


BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
17 H
17




BIBLIOTECA NAZIONALE
6
17 H
17
VITTORIO EMANUELE

NII

Æ

ANI

VLCHRI

ERINI

A

NCISCI

DONI

LIS

VOR.

MBI,

TARENI

IVM.

ASA.

.LXXXV.

ambotti,
ssu.







ANTONII MARIÆ GRATIANI

A BURGO S. SEPULCHRI

EPISCOPI AMERINI

DE VITA

IOANNIS FRANCISCI

COMMENDONI

CARDINALIS

LIBRI QUATUOR.

Accessere Vitæ

PETRI BEMBI,


&

GASPARIS CONTARENI

CARDINALIUM.

Auctore

IOANNE CASA.



PATAVII, M.DC.LXXXV.

Typis Petri Marię Frambotti,
Superiorum permissu.



ANTONII MARIÆ GRATIANI
A BVRGO S. SEPVLCHRI
EPISCOPI AMERINI
DE VITA IOANNIS FRANCISCI COMMENDONI CARDINALIS
LIBRI QVATVOR.

Accesſere Vitæ

PETRI BEMBI, & GASPARIS CONTARENI CARDINALIVM.

Auctore

IOANNE CASA.



PATAVII, M.DC.LXXXV.

Typis Petri Mariæ Frambotti,
Superiorum permiſſu.



ANTONII MARIÆ GRATIANI

A BVRGO S. SEPVLCHRI

EPISCOPI AMERINI

DE VITA

IOANNIS FRANCISCI COMMENDONI CARDINALIS

LIBRI QVATVOR.

Accesſere Vitæ


PETRI BEMBI,

&

GASPARIS CONTARENI CARDINALIVM.

Auctore

IOANNE CASA.



PATAVII, M.DC.LXXXV.

Typis Petri Mariæ Frambotti.
Superiorum permiſſu.





BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
17 H
17

ANTONII
MARIÆ
GRATIANI
A BVRGO S. SEPVLCHRI
EPISCOPI AMERINI
DE VITA
IOANNIS FRANCISCI
COMMENDONI
CARDINALIS
LIBRI QVATVOR.
Accesſere Vitæ
PETRI BEMBI,
&
GASPARIS CONTARENI
CARDINALIVM.
Auctore
IOANNE CASA.



PATAVII, M.DC.LXXXV.

Typis Petri Marię Frambotti.
Superiorum permiſſu.





ILL.^{mo}, ET REV.^{mo} D. D.

ANTONIO

PAVLVCCIO,

Romanæ Rotæ

AVDITORI



Petrus Maria Frambotus F.



CVm primùm in animo habui Ioannis Francisci Commendoni Cardinalis, vitam, meis typis exprimere, non vna tantùm venit in mentem causa, cur hoc meæ industriæ molimen tui nominis amplitudini dedicarem. Gratia, qua



apud te valuit Paulus Parens meus, in quem omnia indulgentissimè conferebas; voluntas benefaciendi quà me in paternę sortis hæreditatem vocasti, ad gratæ mentis significationem, memorem animum excitarunt. Auxit expungendi nominis cupiditatem, rerum, in quibus versabar, cum moribus, & institutis tuis affinitas. Eadem tibi, & Commendono Patria, idem Parentum ordo, nec dissimilia, aut vitæ officia, aut exercitamenta virtutum. Ille Apostolicæ Sedis Maiestatem, ad exteras nationes Legatus circumtulit, & turbatis rebus in tranquillitatem asseruit; Tu Ecclesiastica iura, Sanctæ Sedis fulcra, postquam diu in Patauino Gymnasio Professor Primarius, publicè docuisti, Romanæ Rotæ Auditor, quà sententiam dicendo imponis, quà confirmas, scribendo volumina cum literis & legibus duratura. Par

vir-

virtutis pretium si aliquando li-
cuerit gratulari, nullà lineà non
referes illius imaginem, cuius vi-
tam, vt tibi inscriberem, cum tua
in me merita exigebant, tum etiam
suadebant eximiæ dotes tibi insitæ
à natura, & industria. Fruere hac
specie tui, eaque notà insignitam
testificationem addictionis meæ,
qua soles benignitate, prosequere.
Vale.

TYPOGRAPHVS
Lectori S.

Sextus suprà decimum annus agitur; ex quo prodijt in lucem Parisijs Antonij Mariæ Gratiani, quod diù latuerat opus de Vita Ioannis Francisci Commendoni Cardinalis. Argumenti, & scriptionis dignitati, ex æquo respondit Doctorum hominum plausus, quorum manibus auidè detritus est liber Rerum quidem, & verborum pondere, par vtriusque virtuti, & nomini; sed æditorum codicum numerus, longè minor expetentium votis, præsertim in Italia, in quam pauca exemplaria aduecta fuisse ex Gallia, argumento sunt literatorum querimoniæ, librum inuentu difficilem esse, non sine animi morsu, dolentium. Eorum impulsu, animum adieci ad librum meis typis vulgandum, eâ curâ adhibitâ, nè quidquam desiderari possit in nostra æditione, quod complexa fuerit Parisiensis, ad cuius exemplar nostram exegimus, vt laudem, quam ex Regiæ Typographiæ æmulatione sperare, pro nostra tenuitate non possumus, ex integritate petamus.

Cum

Cum verò extremam iam manum imponeremus molimini, monuit nos, vir in hoc genere literarum versatus, operi pretium factum iri, si vitæ Commendoni à Gratiano descriptæ, adderentur Vitæ Petri Bembi, & Gasparis Contareni à Ioanne Casa olim literis consignatæ, & ab eruditissimo Petro Victorio, post Casam fato functum, publici iuris factæ, eius quoquè operis raritatem nunc ægrè ferentibus bonarum artium cultoribus. Indè enim futurum, vt tres Venetos Cardinales, singularis exempli viros, vnà veluti fœturà renatos, posteritati referat vnus codex, rerum accessione, multò maiore, quàm molis.

Læti, libentesquè morem gessimus suadenti, nec piguit addictam soli Commendono operam, ad Bembum, & Contarenum proferre, quo apertius liqueat, Veneti nominis claritudini, & literatorum commodo nos studuisse. His te præfari volui, erudite Lector, vt palam facta nostri consilii ratione, æquo & benigno iudicio faueas. Vale.



ANTONII MARIÆ GRATIANI VITA

EX PINACOTHECA IANI NICII ERYTHRÆI.



QVam multa sæpè, ac summa ingenia in occulto latent, quæ, si amica cujuspiam opera in apertum proferrentur, maximum sibi, familiæ, patriæque suæ, atque adeò orbi terrarum, splendorem, & ornamentum possent afferre. Nunc autem, cùm, tanquam ferrum humi defossum, in tenebris jaceant, sua desidia, tamquam rubigine exeduntur, & illorum usus nequior efficitur. Atque, ne longiùs aberret oratio, nisi Antonius Maria de Gratianis, Biturgiæ, nobili imprimis loco, natus, in Cardinalem Commendonum inci-

incidiſſet, qui cum Aloyſio fratri magnus uſus, & amicitia intercedebat, vel in caſtris uſu militiam didiciſſet, Iulii patris exemplo, qui ſæpè in ea ordines duxerat, vel procul à Republica ſine litteris, ſine aliquo rerum uſu, agrum, à patre relictum, coluiſſet, vel per inertiam, deſidiamque, morti ſimilem vitam exegiſſet. Commendonus igitur, qui fortaſſe, qua erat animi ſagacitate, adoleſcentis ingenium odoratus fuerat, Aloyſio fratri fuit auctor, ſuaſor, impulſor, vt liberalibus eum diſciplinis erudiendum, inſtituendumque curaret. Itaque, annos natus vnum & viginti, miſſus eſt in quoddam Forolivij oppidum, vbi notus quidam magiſter, brevi, ac noua ratione, eas artes docebat, quibus ætas puerilis inſtitui ad humanitatem ſolet. At ipſe parentum, in ipſo erudiendo, negligentiam, diſcendi celeritate compenſavit. Nam cùm eò eſſet profectus, omnium rerum rudis, paucis pòſt annis an menſibus? reverſus eſt Latini ſermonis adeò peritus, ac doctus, vt diligentiam admirarentur omnes, ingenium agnoſcerent: at Commendonus adeò amplexus eſt hominem, vt eum numquam à ſe dimiſerit,

 ſed

sed in filii loco dilexerit, ac magistri partes sumens, in libris Aristotelis de Rhetorica, de Republica, ac de moribus, erudierit, tum semper ad manus habuerit, eiusque & fide, & industria cognita, omnium consiliorum eum esse participem voluerit, in illis octo nobilissimis legationibus, quibus functus est, quarumque immortalis erit memoria. Quibus legationibus diligenter obeundis, ac fideliter administrandis, Commendonus ita se præbuit, vt eum omnes, tamquam è cælo delapsum, intuerentur. Nam, si repetere memoriam temporum placeat iam inde vsque ab initio nascentis Ecclesiæ, inveniemus nullum vmquam fuisse tempus Reipublicæ Christianę atrox, atque difficile, quin eodem tempore divinitus excitatus sit aliquis, qui ingenio, auctoritate, sapientia, arduis illis rebus, ac dubiis posset occurrere: idque cùm constet, tum ex antiquis, tum ex recentibus nostrorum monumentis, ac litteris, non est necesse pluribus verbis ostendere. Atque in Commendoni ætatem inciderunt hæc omnia, maxima atque grauissima; Concilium Tridentinum, cuius convocandi gratia, bis missus est ad Ferdinan-

dinan,

dinandum Cæſarem, ſemel à Pio IV. Pontifice Maximo, iterum à Cardinalibus, qui ſacroſancto illi conventui preerant; tum res in Polonia conſecutæ ſunt implicatæ, atque difficiles, vnde magnus periculorum metus portendebatur: eò etiam profectus eſt, ſemel, atque iterum; primò Pii IV. iuſſu, vt Nuncij ordinarij provinciam adminiſtraret; quod munus cùm egregiè, atque ſapienter obiret, antequam inde diſcederet, creatus eſt ab eodem Pontifice Cardinalis: deinde coactus eſt rurſus illud iter arripere, miſſus à Pio V. Legatus ad Regem Auguſtum, vt, vxori Catharinæ nuncium remittere cogitantem, de ſententia dimoveret, & ad bellum Turcis inferendum impelleret; vbi etiam, cùm Rex ille diem obiiſſet ſupremum, omnes conatus adhibuit, ut in eius locum ſuccederet aliquis, qui Catholicæ religionis cultor exiſteret; ac tantùm auctoritate potuit, valuitque eloquentia, vt Henricus Galliarum Regis frater, Rex Poloniæ, omnium ſuffragiis, eligeretur. Quibus actis, cùm Pontifex feciſſet illi poteſtatem redeundi in urbem, rebus nondum planè in tranquillo collocatis, & hæreticis

quamcumque sors obtulisset rerum novarum occasionem, paratis arripere, Antonium Mariam, de quo est sermo reliquit, ut, ex Pontificis auctoritate, Episcopos, & Catholicos Regni confirmaret, novòque Regi adesset. Quem cùm adventare, iamque in Saxoniam pervenisse, comperisset, sexcentis fermè millibus passuum obviam illi processit, & quo loco Regni res essent, exposuit; rationes, quibus illud ex sententia administrari, & Catholica fides promoueri posset, ostendit. Quæ ita Regi grata fuerunt, vt ea sibi scripta tradi mandaverit, neque deinceps quidquam, nisi ex eius auctoritate, atque sententia, gesserit. Inciderunt etiam in Commendoni tempora, alia quatuor, maxima, atque gravissima: fides Catholica, tota Germania, labefactata, ac penè convulsa; comitia Augustæ habenda; metus, ne Augustana confessio in summam Germanæ religionis perniciem, Austriæ civitatum populis permitteretur; fœdus adversus Turcam inter Christianos Principes incundum. De his omnibus quater intra paucos annos, missus est in Germaniam Legatus ad Maximilianum Cæsarem, qui etiam fuerat pla-

san-

candus, quòd iniquo animo tulisset, Cosmo Mediceo à Pio V. Magni Ducis cognomentum fuisse inditum, quòd eiusmodi cognomentis, & appellationibus quemquam afficere, ad Imperatorem, non autem ad Romanum Pontificem, pertinere contenderet. In his omnibus adfuit Antonius Maria; neque quidquam sine eius consilio gestum est. Sentiebat enim Commendonus, quantæ sibi eius opera esset vtilitati, ornamentòque. Neque id Regem Henricum fugit; qui magnis ad se illum pollicitationibus, semel, iterum, ac sæpius, invitavit, vt eius opera, quemadmodum expertus fuerat, egregia, atque fideli vteretur. Sed nulla tam luculenta conditio inventa est, quæ illum potuerit à Cardinali Commendono divellere; cui soli, neque alteri cuipiam, quoad viveret, suas operas deberi existimabat. Qui Cardinalis cùm de referenda tot, tantisque illius in se meritis gratia cogitaret, si non pari, grato tamen aliquo munere; die quodam ad se vocatum donavit syngrapho, in quo erat perscriptum, vt ab argentario, quatuor scutorum millia, numerata perciperet, quæ vellet esse quasi mercedem labo-

rum;

rum, quos pro ipso susceptisset; simúlque petebat ab eo, ne hanc, quamuis exiguam, suæ in ipsum voluntatis significationem aspernaretur, sed illud, quidquid esset, æqui, bonique consuleret. Cui Antonius Maria respondisse fertur; quidquid fecisset, se honoris sui gratia fecisse, verum, si res ad calculum revocaretur, bene inita, subductaque ratione, non par inveniretur ratio acceptorum, atque datorum: nam, se multò illi plura debere profitebatur, quàm ipse ab illo accepisset: illum verò dolorem se non posse dissimulare, quòd cerneret, eorum se loco, ac numero haberi, qui mercenariam ipsi operam darent: se enim, nihili antea hominem, eius opera, atque labore, factum esse alicuius precii, ipsique Reipublicæ inventum esse, in vsu, probiorem, ac, petita ab eo demisse, & humiliter venia, syngraphum conscidit. Admiratus Cardinalis magnitudinem animi, spernentis id, cuius alii cupiditate abrepti, fidem iurisiurandi, religionem, iustitiam, bonam famam, existimationemque contemnunt, non ita multò pòst locupletem Saxiferrati Abbatiam, ex qua bis mille scuta quotannis redibant, sibi detractam, est

illi,

illi, quamvis invito, ac repugnanti, elargitus. Mortuo Cardinali, Sixtus V. vsus eo est in Latinis litteris scribendis. Quo in munere perquàm diligentem, ac laudabilem illi operam dedit. Post cuius mortem, eodem gradu fuit apud Alexandrum Cardinalem Montaltum, eique in quatuor illis conclavibus, quæ deinceps consecuta sunt, affuit; in eiusque opera, Clementi VIII. ad Pontificatum Maximum adipiscendum, longè maximus vsus fuit. Id quod Clemens non dissimulavit, sed sæpè, multis audientibus, dixit se Antonii Mariæ in agendo dexteritati, prudentiæ, diligentiæque Pontificatum referre acceptum. Quapropter ornabat eum officiis, beneficiisque pluribus: nam & Episcopum Ameriæ creavit, quòd superiori Episcopo mortuo esset alter in illius locum subrogandus; & Nuncium ad omnes primùm Christianos Principes, fœderis causa feriendi contra Turcas, deinde ad Rempublicam Venetam misit. Vbi maximè duabus in rebus gravissimis eius virtus eluxit. Etenim cùm de iure, imperioque quæreretur, quod Veneti in Adriatico mari exercent, pro Sede Apostolica libellum elegantissimum

scri-

scripsit, qui etiam nunc in Tabulario Vaticani Palatii continetur: neque tamen eo offensi sunt Veneti; cumque Alphonso, Ferrariæ Duce, vita functo, Cæsar Estensis, cognatione illi proximus, Ferrariam sibi deberi contenderet, auctoritate, consilioque perfecit, ne Senatus ille Cæsaris causam susciperet, eamque armis tueretur; imò ab eodem obtinuit, ut Sedi Apostolicæ, plura armorum genera ad illius belli vsum suppeditarentur. Atque constat Clementem habuisse in animo in Cardinalium Collegium eum cooptare, ac non semel, sed quoties Cardinalium comitia essent habenda, descriptum in illis habuisse, qui eo essent honore cohonestandi; sed semper sententia destitisse, deterritum à Petro Cardinali Aldobrandino, fratris filio, cui cum Magno Etruriæ Duce, cuius ille in imperio, ac ditione erat, (nam Biturgiæ, vt diximus, ortus, quæ Magnorum Etruriæ Ducum paret imperio, cum primis illius civitatis numerabatur) variæ, inquam, discordiarum causæ intercedebant. Verùm, cùm iam ætate confectus, & podagræ vehementer obnoxius, re ipsa experiretur, Venetum cælum sibi

sibi minùs esse salubre, petiit opere maximo à Summo Pontifice, ut ab ea provincia removeretur; ac, venia impetrata, Ameriam se contulit. Quam Ecclesiam vsque ad extremum vitæ spiritum, integritatis, prudentiæ, ac sanctitatis fama administravit, quę sit numquam interitura, sed deinceps omnibus qui in eumdem locum, ac numerum venerint, ad similium virtutum exemplum, imitationemque victura. Nemini erat molestus, nemini gravis; sed contrà, omnibus iucundus, omnibus comis; numquam animos extulit, sed demisse humiliterque se gessit; nemini petenti aditum conveniendi non dabat, sed omnes ad ipsum aditus cunctis, qui vellent, quibusvis erant horis aperti: nemo se ab eo despectum, nemo contra rem suam iniuria aliquid decretum fuisse questus est vmquam; sed omnibus ius suum tribuebat, omnes amplectebatur, omnibus se dabat cum magna conversatione; cùm tristibus severè, cum remissis iucundè viuebat; atque, ad Apostoli exemplum, ad cuiusque ingenium, quo omnes lucrifaceret, versabat suam naturam, huc, & illuc torquens, ac flectens. Nullum honesti sermonis

genus


genus à se vnquàm alienum duxit, sed de omnibus rebus, quæ in sermonem, disceptationemque cadunt, copiose, eleganterque disserebat; cum militaribus hominibus de officio Imperatoris, ac de omni re militari, cum eruditis de omni elegantia litterarum, cum philosophis de rerum natura, cum Theologis de Deo immortali, diuinisque mysteriis loquebatur. Denique homo erat omnium, ut dicitur, horarum, temporum, & hominum. Multa reliquit egregia, quæ teruntur hominum manibus; Synodum Ecclesiæ Amerinæ, de bello Cyprio, de casibus adversis illustrium virorum sui ævi, Cardinalis Commendoni Vitam; quo libro omnes ab eo legationes obitæ, omnesque res magnæ sua auctoritate, consilioque gestæ narrantur. Obiit Ameriæ, annos natus quinque & septuaginta, CIↃIↃCXI.



IN-



INDEX CAPITVM



IN LIBRVM PRIMVM.

Cap.

IN LIBRVM II.

Cap.

IN LIBRUM III.

IN

IN LIBRVM IV.

Cap.



ANTONII MARIÆ GRATIANI

DE VITA

IOANNIS FRANCISCI COMMENDONI CARDINALIS

LIBER PRIMVS.



De Origine, Familia, & Parentibus eius.

CAPVT PRIMVM.

GENS Commendona apud Bergomum, nobilem Cisalpinæ Galliæ vrbem, honestæ in primis, ac vetustæ originis habetur. Ipsi stirpem suam ad Germanos re-

 ferunt.



ferunt. Inde virum quemdam domi nobilem nomine Dogaldum, patriâ profugum, Bergomum venisse, & hospitaliter primò à Bergomatibus habitum, mox etiam in civitatem, publicùmque Consilium receptum translatis omnibus fortunis apud eos consedisse memorant. Post multos deinde annos, fortunæ proventu aucti, gentili amisso, cognomen ab dominatu oppidi Bergomatium agri, cui Commendono est nomen, accepere. Et hodie eorum quidam non alio cognomento, quàm Dominorum, vtuntur, vocitanturque. Potentiæ, ac divitiarum familiæ multa, nec pauca sunt argumenta. Præter Commendonum oppidum, Albinum quoque vicum in ditione habuerê. Et Bergomatium Episcopatus, quod non liberalitatis solùm, sed pietatis etiam documentum est, ab iis auctus, ac latifundiis donatus est, in quibus insignia Gentis lapidibus incisa, quo monumentum munificentiæ ad posterorum memoriam extat, in hodiernum diem manent. Ioannes Galeatius Vicecomes Mediolanensium Dux, cujus tantæ fuerê opes, vt ad Italiæ Regnum aspirasse dicatur, Bergomo in potestatem redacto, Commendonam gentem in primis afflixit, penitusque evertit, quia pertinaciùs pro Veneta Republica adversus Galeatii partes stetis-

ſtetiſſet. Concinus tum familiæ Princeps erat, quem patriâ, fortuniſque pulſum Veneti benignè excepêre, ſtipendia ei poſteriſque ejus, ac filiabus dotem de publico ſtatuêre, cujus rei in tabulariis Venetorum extant Senatuſconſulta honorificis in Concinum, majoreſque ejus ſcripta verbis, quos inſignes viros magnis clientelis, & affinitatibus, magnis item opibus, & ſumma apud Montanos hominés auctoritate prçditos appellant; hiſque omnibus ob eximiam in Venetam Rempublicam fidem, atque ſtudium bello Mediolanenſi ſpoliatos teſtantur. Ab hac communi familiæ ruina, pars in vicinis vrbibus, quas ſibi quiſque exilii ſedes delegerat, mansêre; pars Bergomum rediit, vbi hodie quoque inter honeſtos, ac locupletes cives habentur. Ex his, qui ſolo patrio ejecti, reverti Bergomum neglexerunt, proavus Ioannis Franciſci, cujus nos vitam ſcribere inſtituimus, Venetias ſe, reſque ſuas tranſtulit, atque ibi vxore ductâ Ioſephum filium reliquit, atque hic Antonium procreavit: Qui ingenuè à patre educatus vir evaſit in Philoſophiæ, ac Medicinæ ſtudiis non mediocriter eruditus. Quam quidem ipſe artem haud paulò liberaliùs, quàm pro more medicorum, exercuit, non pretium, ſed doctrinæ ac benevolentiæ officii fructum ex

ea petens; fuitque ob id magna in civitate gratia, qua inde Patriciæ nobilissimæ virginis conjugium meruit: Quamquam id quidem non tam gratia assecutum tradunt, quàm quia vxoris frater, cùm ob sordes animi grandem jam natu virginem, & parentibus amissis, quintum, ac vigesimum transgressam annum domi in ancillaribus penè ministeriis nullâ ætatis, aut dignitatis ejus curâ habere porrò pergeret, atque eam locare pari, ne dotem adnumeraret, prorsus negligeret, ipsam sibi, ne in illa miseria senesceret, consuluisse; & Antonio, qui fortè ægram accersitu fratris, curabat, vltro nupsisse. Hoc igitur Antonius fortunæ suæ modo contentus honesto in otio consenuit. Atque hæc gens, & is pater Ioanni Francisco fuit. Maternum autem genus splendidius, illustriusque. Mater Laura Barbadica summo Venetiis loco nata, per quam nobilissimas Patriciorum familias propinquâ affinitate Ioannes Franciscus contingebat; Materna Avia Clara Bolania, cujus dote Barbadicorum ditata est Domus, in quam aureorum numûm supra 70000. intulisse dicitur. Proavus Marcus Antonius Barbadicus, cujus duo fratres natu majores, Marcus, & Augustinus, alius post alium Principes Reipublicæ sunt creati. Marcus modestiâ, at-

que

que innocentiâ vitæ,& gloriâ ablati à paucis familiis, quæ se vetustate originis aliis præferebant, principatus, & ad numero plures penes quas hodie manet, translati celebris. Prudentiæ laude, & rebus gestis Augustinus major, clariorque, cujus Principis auctoritas in civitate tanta fuit, vt in potentiam verteret, majorem, quàm tutum communi libertati fore videretur, ni fides illi, & amor Reipublicæ sanctior, potiorque omni regno fuisset. Augustinus enim majestatem Regis sibi, quàm potestatem apud cives suos esse maluit. Quin eos moriens monuisse dicitur, vt ne posthac quicquam vni tantum juris esse in Republica paterentur. Quod & Veneti secuti consilium sunt, circumcisa, ac severis legibus coërcitâ Ducum potestate. Ex Laura Antonius quatuor liberos suscepit, Ioannem Franciscum, qui natus est Venetiis anno 1524. xv. Kalend. Aprilis hora circiter sexta diei; Iosephum, qui penè infans decessit, Clementiam, & Lucretiam. Hæc adultâ ætate aspernata nuptias Patavii in contubernio sacrarum Virginum, quo vsa à primis annis fuerat, decessit anno 1564. quo tempore Ioannes Franciscus legatione apud Polonos fungebatur. Clementia Venetiis nupsit Baldasari Caveo patricii generis juveni, quas nuptias, absente Ioanne Francisco, Phi-

lippus Mocenigus is qui postea Archiepiscopus Cypri fuit, quicum Ioannes Franciscus à condiscipulatu conjunctissimè vixerat, conciliavit. E Clementia tres nati filii: Ioannes Franciscus, Antonius, & Laura. Hanc virginem viginti jam annos natam, cùm Commendonus jam Cardinalis homini nobilissimo Silvio Gonzagæ despondisset, ante nuptias pestilentia intercepit. Qua quidem pestilentia ipsi quoque parentes ejus, & Ioannes Franciscus frater Patavii anno 1576. continuatis funeribus alius super alio interière. Quem casum, stragemque Domus suæ Commendonus sicuti summo cum dolore accepit, ita eximiâ animi constantiâ pertulit. Antonius natu minimus suis omnibus superstes fuit, atque hic postea à Commendono vnicus hæres relictus, & aliquot ditibus sacerdotiis auctus, vltimus stirpis fuit, cùm sacris addictus prolem non propagarit.

De his quæ infanti acciderunt, ac de periculis eius in navigando.

CAPVT II.

EDITVS primùm in lucem, cùm de more ab obstetrice lavaretur, ipso

in

in alveolo ſua ſponte genibus flexiſſe, junctaſque in cælum manus tetendiſſe dicitur. Item quo die initiandus Chriſtianis ſacris, ſolemnique ritu ſacratæ infuſu aquæ abluendus erat, ad templum cùm deferretur, nebuloſo admodùm cælo repentè è mediis nubibus emiſſo ſolis radio infans clariſſimâ eſt luce perfuſus. Quæ ſeu caſu acciderint, ſive quod ſæpè eveniſſe conſtat, futuram pueri magnitudinem portenderint, conſtanter quidem tum de eo memorabantur. Vixdum quadrimus ſummum vitæ diſcrimen navigans adiit. Cùm mater è Clodia Venetias parvâ cymbâ tranaret, puer, nihil advertente matre ad latus navigii obrepſit, & manu aquam contingere adnitens in mare decidit, & cymba velo, ſecundaque aura ferebatur: exterrita ad filii caſum præcipitatura ſe illa in vndas fuit, ni conantem, ac propè amentem excepiſſent famulæ. At puer admirabili audaciâ, & celeritate nautæ ſervatus eſt, qui clavum regens, animadverſo caſu, relaxato ſubitò fune, quo velum pandebatur, in mare proſiluit, ac ſuſcepto puero incolumem ad navigium, quod dejecto velo conſtiterat, nando retulit, matrique propemodum jam dolore exanimatæ reſtituit. Futura pueri dignitas fecit, vt non fruſtra tam evidenti Dei numine tanto periculo

ereptus videretur. Nec ferè vnquam ille sine periculo navigavit. Romam petens, cùm Clodiæ vt Anconam trajiceret, conscendisset, fractâ per noctem ad Senogalliam navi, vadosum ejectus in littus, trecentos ampliùs passus nandi ignarus, vndantibus supra pectus fluctibus, confecit pedibus; atque ægrè per tenebras in siccum evasit, cùm eorum aliqui, qui eodem navigio vehebantur, aquis obruti perierint. In Belgis Oceani sinum transmissurum ab Amstelodamo cælo sereno, ac secundo provectum vento, tanta eâdem nocte tempestas adorta est, vt obfusis vndique densissimis tenebris, cælo crebris, atque ingentibus tonitribus, fulgoribusq; omnium mentes pavore perstringente, ac non vectoribus modò aliis, & comitibus ejus, sed ipsis etiam territis naviculario, nautisque, non longè abfuerit, quin magnitudine fluctuum navis hauriretur; sed saluti omnibus ipse tum vnus fuit. Nam cæteris horrore, nauseaque jacentibus, animoque, & corpore abjectis, quorum in numero ipse fui, qui hæc postea scripsi, ille quamquam adeò solutus aër in imbrem erat, vt completurus navim videretur, ad officiaque discurrentes in os incidens impediret, tamen nullâ territus re, vno adjuvante cubiculario ejus Dionysio Viterbio Patavino, qui solus

expers

expers nauseæ fuit, ad omnia nautarum munia occurrens, eosque despondentes jam animum, nunc oratione, nunc vltro subeundo opera eorum confirmans navem servavit, cùm sequenti die luce ortâ desævisset tempestas, & reddita mari tranquillitas esset. Ne fluminibus quidem vnquam sine adversis casibus navigavit. Vitandam omnem navigationem, mari, aquisque abstinendum, quòd fatale inde periculum imminerer, prædicentes quosdam, & monentes amicos, risit semper, nec quoties res, atque opportunitas tulit, propterea committere se mari, navibusque est veritus.

De prima eius institutione.

CAPVT III.

SVMMA Patris cura institutus est; nam penè infans specimina ingenij dederat, & ab Astrologis ingentia, atque summa portendi, talium haud incurioso Patri responsum erat. Vix decimum annum agens Latina carmina non scriptitabat solùm, sed etiam de re proposita ex tempore edebat, eratque propterea in amoribus Principum civitatis, quorum amicitiâ florebat Pater, vt multi ad ludum, vbi cum æqualibus instituebatur,

ventitarent, quo pueri ingenium in eius ætatis exercitationibus spectarent, cognoscerentque an famæ, quæ de eo inter aliorum parentes puerorum erat, responderet, nec alio ferè cohortandi, aut increpandi liberos loco vterentur, quàm vt eius ad imitandum exemplum proponerent. Magister illi erat Bernardus Felicianus, vir quidem eruditus, ac diligens, sed quod fateri ipse, ac præ se ferre soleret, Commendoni ingenio, quàm suo maiorem in ciuitate famam adeptus. Vnde cùm multi ad eum è Patritijs primorum filij ducerentur, ipse tamen vnius excellenti indole, atque acumine gloriaretur, eòque studiosiùs, & maiori curâ omnibus doctrinis informabat, instituebatque, quas puerilis illa capere ætas potest. Ab hoc ad Antonium Ariam Hispanum nobilem Grammaticum se contulit, eodemque tempore Antonio quoque Eparcho ab Zacyntho Græcarum litterarum Doctore est vsus, & ipse puer ad omnem disciplinam cùm mirè docilis, tum quod paucis admodum vsu venit, memoria summa ad ea, quæ doctus esset retinenda erat; nam à quibus celeriter res percipiuntur, iis etiam facilè solere excidere, & contrà qui laboriosè discunt, firmiùs omnia aiunt retinere; veluti impressa difficiliùs, quàm quæ modò illita sunt, deleantur. Magnopere

gnopere autem videbatur animus ejus teneri commemoratione insignium Virorum, qui per virtutem ad magnam aliquam gloriam, honoremque pervenissent, eorumque egregia facinora adeò cupidè audiebat, vt sæpè ab ore narrantium talia penderet, sæpè Patrem, Magistrumque oraret, vt sibi de claro aliquo viro commemorarent: sive ea pueri natura, quod illi ætati accidere solet, curiosior fuit, sive animus ejus jam tum magnæ laudis spem affectans, narratione alienæ virtutis gestiebat. Quartum decimum agens annum Patavium à patre discendi causâ est missus, vbi plures annos in optimis disciplinis magnâ ingenii gloriâ est versatus, captus primò Poëtarum suavitate, ita se Poëtices studiis, legendisque ac scribendis carminibus dedidit, vt inde vel præcipuam sibi famam comparaverit, tanto quidem majori immaturæ ætatis ejus admiratione, quanto non æqualibus modò suis in eo genere celeriter antecelleret, verùm etiam cum claris viris conferebatur, qui Poëtices laude præstare tum existimabantur. Philosophiam deinde aggressus doctissimos homines audivit, aviditate ingenti Philosophorum præcepta hauriens, maximè Platonis sapientiâ delectatus, propterea quòd illum diceret propiùs, quàm cæteros à Chri-

ſtianæ Philoſophiæ inſtitutis abeſſe. Multos ejus libros exercendi ingenii causâ è Græco in Latinum vertit, omnes ferè explicatione rerum, quæ obſcuriores eſſent, illuſtravit. Hi poſtea commentarii ejus in manus noſtras pervenerant, quos ſtudiosè conſervatos à nobis, cùm fortè ipſe multos poſt annos reperiſſet, conſcidit, atque incendit, ſanè immerentes. Verùm dum his diſciplinis adoleſcens cupidè animum imbuit, & diſcendi dulcedine ſtudiis nullâ valetudinis curâ vſque indulget, nullumque ſibi legendi, ac meditandi modum ſtatuit, in periculoſum, atque importunum incidit morbum oculorum, quo magnopere illi retardatus, ac pæne interciſus eſt omnis ſuſceptæ laudis curſus. Ab ſucco nimio corporis vis magna ſanguinis in oculos influens aciem obduxerat, curatione adeò difficili, vt cùm multa experto infeliciter omnia procederent, etiam ipſum quadriennium incluſus conclavi, atque impatiens lucis vim infeſti humoris, neque exſiccare, neque aliò derivare vllis remediis præſtantiſſimis adhibitis medicis valeret, deſperatâ valetudine, de illa ipſa Terentiana domo ad Vallis prata, quam Patavii conductam inhabitabat, emenda, omnique deinceps vita ibi agenda cogitaverit. Tandem Ioannis Baptiſtæ Montani Veronen-

ſis

ſis Medicorum tum longè principis conſilio, cauterium ſiniſtro in crure cùm feciſſet, ſive id repertum mali remedium, ſive ſuâ ſponte conſumpta vis morbi eſſet, lumen ei eſt reſtitutum, ita integrâ acie, vt qui acutiùs, aut longiùs cerneret, qui celeriùs objecta oculis percurreret, fuerit poſtea nemo. Toto verò illo tempore, quo oculorum captus vſu in tenebris egit, quamquam omnis ejus fuerit ſtudiorum ratio perturbata, non tamen ipſe ſe deſidiæ, aut languori dedit: Verùm aut dictandis carminibus, quâ re maximè adoleſcentis animus recreari videbatur, temporis ejus moleſtiam lenibat, aut legenti operam dabat, ſolatia mali inde petens, vnde contraxerat. Cùm maximè morbo vexaretur, patrem amiſit octo & ſeptuaginta annos natum, cùm eſſet ipſe decem & novem annorum; cujus morte magnam fecit familiaris rei jacturam, quæ illi tota comminuta, ac diſſipata eſt, cùm curare ipſe res domeſticas nec per ætatem, nec per valetudinem quiret, & Marcus Antonius Barbadicus avunculus ejus, qui tueri adoleſcentis rem debuit, homo effrenatæ avaritiæ etiam diripuit. Quæ tamen ipſe damna haudquaquam quanti erant æſtimavit, doctrinarum cupidine occupatus, & omnibus curis depellendo morbo intentus. Cùm convaluiſſet, conſilio

filio eorum quibus à patre fuerat commendatus, ad cognoscendum Ius Civile animum nequaquam libenter traduxit. Quo ipso in studio vt pares ab eadem celeritate ingenii progressus faceret, eoque magnopere lætarentur, quibus auctoribus eam doctrinæ viam ingressus erat, tamen Platonis, & Philosophorum consuetudinem vt abjiceret adduci cujusquam auctoritate non potuit; & animus jam tum gestiens enitendi, & navandi aliquid studio, in iis maximè virtutis præceptis constitit, quibus ad res gerendas, vitamque in hominum luce agitandam instituitur, frustra suscipi putans rerum abditarum scientiam, nisi ea ad hominum vsum, vtilitatemque comparetur. Eloquentiæ exercitationes omnes, sine qua ipsa vix ratio satis tueri munus suum posse videtur, ingenti labore est persecutus, scriptitando, declamando, colloquendo. Nam & juvenis æqualis sui ob cædem factam capitis arcessiti causam Patavii apud Prætorem egit, tenuitque. Et cùm Patavinorum civitas Francisco Donato Reipublicæ principatu de more gratulatum misisset, orationem, quam Legati habuere, ipse composuit. Quo ex studio id sanè est adeptus, quod posteà magno ei fructui, ac decori fuit, vt promptâ, & expeditâ dicendi facultate rem propositam seu pa-

triâ,

triâ, seu Latinâ oratione, vel continuatâ, & productâ, si res desideraret, ita explicare, ac peragere posset, vt cùm nihil conquirendis verbis, aut jungendis hæsitaret, quod plerisque accidere solet, genus orationis minimè inquinatum, ac barbarum, & certè, quod difficillimum est, æquabile, & vndequaque sui simile teneret.

De profectione ejus ad videndam vrbem, & quo auctore eam susceperit.

CAPVT IV.

Factis per has maximè artes reliquæ vitæ fundamentis, motaque apud omnes magnâ sui expectatione ad vigesimum quintum ætatis annum pervenit, vt erecto ad res capessendas animo ita haud satis certus quam vitæ rationem sequeretur. Erat Patavii Aloysius Cornelius insignis eâ tempestate senex ille: cujus in valetudine tuenda tanta cura, ac religio fuit, vt cùm optimis, & ad concoquendum facillimis vteretur cibis, tamen apposita libra, vt quidque edendum bibendumque erat lancibus examinaret, & modum quem sibi ab intelligentia sui corporis ipse præstituerat, nihil excederet, vnde ei Sobrii cognomen accidit. Hunc cole-

bant,

bant, obſervabantque fere Patavii quoſcumque aut generis, aut ingenii præſtantia nobilitaret; nam & ſplendidè ipſe ſemper, atque honorificè vixit, & ejus domus, quam ad D. Antonii ædificaverat, propter hortos & ædificii elegantiam vulgò viſebatur, & ducebantur homines non literatiſſimi illius quidem, ſed moderati, & maximè acuti, & jucundi ſenis ſermonibus. Itaque nullius frequentior Patavii domus erat; ipſeque mirificâ in omnes humanitate, incredibiliter præclaris ingeniis delectabatur, iiſque cùm opus eſſet, omnibus ſuis ſtudiis aderat. Commendonum ſenex adoleſcentem ſummè dilexit, in quo clariſſima induſtriæ lumina elucebant. Cùm igitur dubitantem quam potiſſimùm vitæ viam inſiſteret, idque ſecum diu, multumque deliberantem Cornelius aggreſſus (ſenſerat enim ſenex ſollicitum adoleſcentis animum) hortari inſtitit, vt ſe Romam conferret; in vna illa civitate virtuti cùm omnia paterent, tot inſtructo naturæ, ac doctrinæ adjumentis celeriter aditum ad res magnas futurum: denique eum ſibi vnum tantæ induſtriæ curriculum videri. Id conſilium ab amantiſſimo ſui homine profectum, vt non aſpernatus eſt adoleſcentis animus, ita accipere, ac de ſe ſtatuere tanta præſertim de re non audebat, eo minùs, quòd cùm

vnus

vnus ipſe Venetiis Commendonæ familiæ reliquus eſſet, interiturum cum eo, ſi ſacerdos fieret, gentis quoque nomen erat; & paterni amici, conjunctique omnes Venetiis eum retinebant. Cùm ſæpe hac de re appellatus à Cornelio nihil ſtatueret, rogare ſenex eum cœpit, vt ſaltem Romam ad viſendam vrbem, formamque Reipublicæ illius cognoſcendam iret. Ad id quidem eo faciliùs perpulit, quòd is erat annus M. D. L. quo indicto à Iulio III. Pontifice Maximo Iubileo, multi mortales, vel ab vltimis profecti terris Romam religionis causâ convenire ſolent; & vrbis templa, & Divorum ſepulcra, Petri maximè & Pauli oſſa eodem condita tumulo venerari. Sub finem ejus anni Commendonus Romam venit, comitibus Hieronymo Renaldo, & Antonio Altano, quorum amicitiâ Patavii plurimùm vtebatur. Quatuor admodum menſes Romæ eſt commoratus. Reverſus Patavium de Romanis rebus, deque tota ratione Romanæ aulæ, & quibus quiſque initiis, & quaſi oſtiis ad eam accedere, per quas artes, ad quem finem ſpectare, & tendere deberet, ita diſſeruit cum Cornelio, vt ſenex exclamaret, aut hunc ſummum Romæ virum fore, aut ſe rerum omnium imperitiſſimum eſſe. Audivi ego aliquot poſt annos, cùm adoleſcens Patavii literis ope-

ram

tam darem, & Commendonus in magno honorum cursu, maximaque hominum spe, atque fama publicas legationes pro Romana re obiret, sæpe hæc commemorantem Cornelium, qui nullâ re magis gloriari videbatur, quàm quòd Commendono auctor Romanæ profectionis ipse fuisset. Singularis hujus viri extitit in Commendonum benevolentia, quam à pueritia ejus susceptam ad vltimum vitæ conservarit. Quam quidem vitam in tantum produxit, vt eo anno sit mortuus, quo Commendonus legatione apud Polonos fungens Cardinalis est creatus. Quo quidem anno cùm ego ex Polonia rediens, quò cum illo eram profectus, Patavii recreandæ valetudinis causâ restitissem, & Cornelium paucos antequam moreretur dies adiissem, effusissimè senex mihi Commendoni Cardinalatum est gratulatus, ex quo tantam se lætitiam cepisse aiebat, vt nihil meminerit sensisse in vita jucundius. Deinde quò die est mortuus, cùm instare sibi vitæ finem præsentiret, deque ea re ita loqueretur, vt non de omnium maximè horribili, sed veluti de migratione quadam in aliam domum, sedens in lectulo, quo perangusto & parvo vtebatur, & Veronica vxor adesset, anus ferè ejus æqualis, mihi magno prorsus, & integro vocis sono, causas, propter quas non invitus

vitus

vitus de vita discederet, commemoravit, ac longo pioque habito sermone, ad postremum hoc, inquit, vno minùs libenter migraturus è vita sum, quòd Commendonum videre antè nequiverim, eo insignem honore, cui à me tantò antè confiso ejus virtute, præstantique natura spe destinatus fuit. Atque hoc loco multa ei, & summa cùm esset auguratus, epistolam ad eum scripsit sua manu, qua certiorem mortis suæ instantis reddebat; hortabaturque eum, vt pergeret iisdem artibus, quibus virtutem suam in amplissimo gradu dignitatis collocasset, in dies magis de Christiana Republica, & Ecclesia Dei bene, ac fortiter mereri; temperantiam coleret virtutum omnium genitricem, qua & mentis acies acuitur, & valetudo, maximum in humanis rebus bonum, integra, vigensque conservatur. Hæc cùm scripsisset, & vix putare se bidui vitam superesse sibi diceret, nos discessimus. Ille paulò post abeuntem credo vitalem vim sentiens arcessi sacerdotes Iesuitas jussit, collocutusque cum iis de divinis rebus, cùm se antè Christianis sacris ritè procurasset, Crucifixi parvum simulacrum læva manu tenens, lætum se, ac bona spe fretum venire, simulacrum intuens proclamavit. Eo deinde posito, decorè sese in lectulo composuit, oculisque occlusis,

aniquam obdormiturus leni efflatu animam egit, cùm vix horæ tres ab eo sermone, quem nobiſcum habuerat, interceſſiſſent. Nam ex illa victus moderatione, mente, ſenſibuſque integris ad poſtremum vſque ſpiritum vixit, quem ad octavum & nonageſimum annum ætatis perduxit. Hæc pauca de Cornelio, viro ac ſene clariſſimo, libuit interſcribere, quando & memorabilis ipſe vir fuit, & Commendonum in primis dilexiſſe eſt viſus.

De primo eius ad Rempublicam acceſſu, & de ratione quam primùm in vrbe habuit.

CAPVT V.

VISA Româ, perceptaque civitatis ejusformâ, nihil vlterà dubitavit, quin ſibi immigrandum in eam vrbem ſtatueret, eorum ſpretis conſiliis, qui ad eum domi retinendum, & honorifica illi conjugia, & acceſſum in ſcribarum Collegia offerebant, in quæ nonniſi honeſti de plebe homines, vetuſtæque in civitate originis, ſi modò patritio genere orti non ſint, admittuntur. Honores enim, & publicæ procurationes, & jus ſuffragiorum Venetiis Patritio tantùm patent: reliqui non in aliam Reipublicæ partem,

quàm

quàm ministerii admittuntur. Sed Commendono major, atque elatior animus, naturaque erat, quàm vt se, aut in scribarum humilitatem demitteret, aut in ea civitate vivere sciret, in qua exors Reipublicæ, nec pari cum reliquis jure esset futurus. Nec magis alia res juvenem, vt Venetias, ac spem propagandæ familiæ relinqueret, compulisse creditur, quàm vt eò decederet, vbi nihil clausum sibi, nihil interdictum, nihil, quod, quominus virtute, atque industria niti posset, impediret. Commodùm hæc cogitantem senior propinquus ejus Ecclesiasticis beneficiis duobus in Patavino agro auxit, quorum ex vectigalibus ad trecenti numi aurei ad eum redibant, tantumdem ex patrimonii sui reliquiis capiebat, præter id quod in sororum dotem sepofuerat. Hoc igitur fortunarum modo compositis domi rebus, Romam concessit anno M. D. L I. nec diù moratus, viam, qua sibi eundum esset, delegit. Plerique homines, qui Romam ad capessendas res vrbanas, quod quidem nemini, quantumvis longinquo, & alienigenæ non licet, quo potentis alicuius gratiâ, atque opibus adiuti facilius enitantur, in Principum, aut Cardinalium alicuius fidem conferre se consuevêre. Sed Commendonus, qui se ita alteri adiungerent ratus non suâ, sed alienâ for-

tunâ



tunâ ferri, nemini vni se applicare, suus, non alienus Reipublicæ non partium eius esse, statim ab initio decrevit; inque eo vsque ad vltimum vno vitæ, & consiliorum tenore permansit. Itaque nactus Romæ Nicolaum Pontium Venetorum Legatum, eum qui postea civitatis suæ Dux est creatus, per hunc Iulio III. Pontifici Maximo commendatus in familiam eius, Cubiculariorumque numerum, vt asciscerctur impetrat; qui tum ordo perhonorificus Romæ habebatur, neque in eum nisi magno cum delectu honoris causâ assumebantur probatissimi iuvenes, & ingenii, & generis dignitate commendati. Hoc modo ille non tam in Iulii familiam adscriptum se, quàm in ius ciuitatis, ac Reipublicæ receptum putavit. Nam Romana res, etsi vnius imperio habetur, tamen quia is eligitur liberis suffragiis, neque ob provectam ætatem diu rerum potitur, nec eius ipsius vllum est in successore arbitrium, ac nemo spe, atque aditu honorum arcetur, inesse huic civitati, & aliæ species Reipublicæ videntur, vt cùm vnus summam potestatem, summumque ius omnium rerum obtineat, nonnullæ tamen esse, & principum, & multitudinis opes videri possint. Itaque Commendonus gratiæ, amicitiisque coniungendis animum intendit, magno iudicio, dele-

ctuque,

ctuque, cuiusque enim ante omnia mores spectavit, studiaque, quarum rerum similitudine maximè familiaritas, & benevolentia confirmatur. Dedit igitur operam, vt qui essent in vrbe viri literarum, & doctrinæ nomine clari, eos haberet amore, & consuetudine coniunctos; nec gratiam solùm inter illos, sed ingenii quoque famam celeriter est assecutus. Quorum præter cæteros familiariter vsus est Hannibale Caro, propter morum, & doctrinæ elegantiam, & suavitatem, Gulielmo Sirleto, qui ei postea collega in Cardinalatu fuit, vir cùm innocentiâ summâ, tum memoriæ tantæ, vt cùm omnes omnium artium libros, omnia scripta Græcorum ac Latinorum vetera, recentiaque infatigabili labore perlegisset, eorum non singulas modò sententias, sed verba quoque memoriter recenseret, cùm bibliothecæ instar, vel de abstrusissimis rebus consuleretur. Quod nisi congestis in vnius notitiam tot rerum doctrinis ingenium impar fuisset, memorabiliorem virum ætas nostra non tulisset. Octavio præterea Pantagato, Iacobo Marmita, Basilio Zanchio, Paulo Manutio, Iulio Pogiano, viris Romanæ eloquentiæ principibus, qui omnes cùm eum ætate anteirent, tamen gravitate, modestiaque morum, & peracri in ipsis quoque

doctri-

doctrinæ studiis judicio juvenis mirificè tenebantur. Nec minùs studiosè è sacerdotum societatibus, maximè Iesuitis, quorum (vt flagrantissima sunt omnium initia disciplinarum) longè tum sanctitas, atque auctoritas inter omnes eminebat, qui scientiâ divinarum rerum, & morum, ac religionis laude commendarentur, amicitias coluit. Probatissimo cuique & prosperæ in civitate famæ diligi, carumque haberi appetens, quod sibi existimationi, atque laudi rebatur fore. Et quamquam amicos non numero, sed genere distinguebat, & doctorum hominum, ac proborum consuetudine maximè vtebatur: tamen quamplurimos ex omni genere benevolentiâ, atque officiis devinctos vti haberet, & quàm latissimè gratiam propagaret, operam dabat. Cæterùm è Cardinalium ordine ingentes viros, longeque inter omnes pietatis, & sapientiæ laudibus præstantes, colendos sibi, atque in vitæ, ac morum institutis imitandos suscepit. Horum observavit maximè Ioannem Petrum Carafam, qui tum Collegii princeps erat, & Marcellum Cervinum, & Reginaldum Polum Britannum. Quorum Marcellus Iulio, ei ipsi deinceps Ioannes Petrus in Pontificatu Maximo successêre: & Polus nihil propius fuit, quàm vt Pontifex renunciaretur iis comitiis,

tiis, quibus Iulius ipse creatus est. Proximos his habuit Iacobum Puteum, Rodulphum Pium, Ioannem Salviatum, Federicum Cæsium, quibus omnibus adeò probatus est juvenis senibus, vt omnes sui perstudiosos, suisque faventes rebus semper habuerit. Innocentium Montium, quem Iulius non humilibus modò, ac sordidis, sed vix satis certis parentibus ortum, ac ne vllius quidem artis specimine commendatum, inopia prolis adoptari à fratre jusserat, atque in summum inde cooptato ordinem, summum gratiæ, atque rerum propè omnium arbitrium, prava, insanaque indulgentia permiserat, cùm vnum omnes appellarent, appeterent, ambirent, omnibus colerent officiis, Commendonus moribus originis suæ sordibus imbutis, non novâ fortunâ, atque amplitudine dignis viventem, nec propriè observavit vmquam, & penitus se domo ejus abstinuit: qui enim intelligeret quale cuiusque sit ingenium ex eorum maximè moribus æstimari solere, in quorum quis amicitiam se contulisset, maluit famæ ex gravissimorum virorum familiaritate, quàm ambitioni ex vnius inconsulti, ac dissoluti iuvenis gratia inservire.



Brevis transcursus rerum, & honorum eius.

CAPVT VI.

PAVLÒ pòst publicis rebus admotus est, atque honores velut impetu aggressus omnes contento propè cursu pervasit, & quod mirabilius, &, vt nos senes longo vsu vrbanarum rerum peritos sæpe narrantes de eo audivimus, prorsus singulare fuit, non suis, non cuiusquam potentis opibus nixo, non petenti, ac sæpe recusanti, minimeque ambitionis causâ alienis moribus servienti, vltro omnia delata, atque ingesta sunt. Anni quatuordecim a primo adventu eius in vrbem ad Cardinalatum intercessere, quibus numquam ferè vacuus à publico munere egit. Eodem quo Romam venit anno M. D. LI. Vrbinum est missus: anno insequenti in Belgas, atque inde in Britanniam. Inde regressus in Lusitaniam est profectus, atque his itineribus Iulii quinquennium est transactum. A Paulo IV. M. D. LV. scribendis epistolis ascitus, eodem anno Episcopus creatur; destinatus & Vrbanus Prætor ab eodem Paulo, sed mox Orator, sive, vt novo quamquam vsitato iam, ac trito Romæ vocabulo vtar, Nun-

Nuntius ad Carolum Cęsarem commorandi causâ apud eum est missus, ad quem tamen bello inter ipsum, & Paulum exorto non pervenit. Reversus Romam ad concitandos ad bellum Principes Italiæ circummittitur, atque iis aditis, Venetiis, vt in eamdem societatem armorum Senatum adduceret, manere est iussus, atque his quoque obeundis muneribus, quatuor ferme consumpti anni, & Pauli Pontificatus exactus est. A Pio IV. quo anno Pontifex Maximus est creatus, qui fuit M. D. LX. Nuntius item ad Ferdinandum Cæsarem, Principesque Germaniæ est ire iussus, qua in peregrinatione annum & dimidium fuit. Post reditum inde à Cardinalibus Concilii prçsidibus ad eumdem Ferdinandum Cæsarem remittitur, eoque celeriter confecto itinere, in Poloniam, vt Nuntius apud Sigismundum Augustum Regem, gentemque esset, protinus legatur. Sic Pii IV. anno item quinto, quo anno Pontifex moritur, absens Cardinalis est creatus. Anno inde M. D. LXVI. à Pio V. legatus ad Maximilianum Cæsarem Germaniæ conventum Augustæ agentem ire jubetur. Ac biennio pòst ad eum à præcipiti consilio tribuendi Austriæ populis ius Lutheranæ hæresis revocandum est missus: alioque item biennio pòst ad eumdem Cæsarem,

& ad Regem Poloniæ de fœdere jungendo adversus Turcas novâ legatione est perfunctus. His itineribus, quibus omnes propè Christianas provincias, quæ in Europa sunt, peragravit, numquam æger fuit, viæ difficultates, laboresque etiam voluptati habuit; non eum æstus, non imbres, non immania Septentrionis frigora fatigarunt. Proposito hoc veluti cursu rerum ipsius singula nunc ordine enarrare pergemus.

De prædictionibus futuræ dignitatis eius.

CAPVT VII.

IMPVBERIS adhuc, & adolescentis tanta opinio, atque expectatio fuit, vt passim prædicarent homines eum ad summam aliquam laudem perventurum. Cùm Romam venisset, statim eadem de illo orta spes. Hannibalem Carum, virum sanè optimum, & vrbanarum rerum diuturno vsu, atque observatione in primis peritum, adolescens ego sæpe audivi cùm diceret, duobus se æqualibus suis Nicolao Ardinghello, & Marcello Cervino primis diebus, quibus Romam venêre, perspectâ eorum industriâ, Cardinalatum prædixisse, in neutro falsum se judicio esse; vtrumque enim per varias mandato-

rum

rum munerum functiones, suâ virtute Paulo III. Pontifici Maximo probatâ in summum ordinem pervenisse; quorum Ardinghellus decesserat, Marcellus in maxima hominum fama, atque spe supremi honoris tum erat. Quem posteà honorem haud ita multis interjectis mensibus mortuo Iulio est adeptus. Commendonum tertium esse Carus aiebat, quem magnis gerendis rebus factum eidem amplitudini ab pari ingenii æstimatione, destinavit. Ei certè tantùm tribuit semper, vt nullius benevolentiam, atque amicitiam magis coluerit: illi fratris filium in domesticorum munerum ministeria tradiderit, nec vllius fidei commendatam domum, suosque magis cupierit: cæterùm comprobatam eventu conjecturam suam, vt impensè, ita non diu lætatus est; iisdem enim diebus jam senex est mortuus, quibus Commendonus ad vrbem Cardinalis venit anno 1566. Ioannes Petrus Carafa Cardinalis, qui posteà Paulus IV. est dictus, summæ vir gravitatis, & prudentiæ consuetudine iuvenis mirè delectatus, sæpe inter suos parem eum omnibus honoribus, & brevi adepturum edixit, ipsumque identidem accendens, hortabatur, vt pergeret ire quibus cœpisset itineribus, ad magna & summa perventurum. Idem cùm non multò pòst Pontifex Maximus

eum Episcopum faceret, ferretque multis laudibus, adiecit:

Debile principiū melior fortuna sequetur.

Sed hæc ex moribus eius coniectabant homines: Illa ex interpretatione astrorum. Quo tempore est natus responsum patri à Mathematicis est, magnum virum fore, summumque imperium ad eum perventurum. Romæ eadem seu verè, sive assentantes spei, quæ de illo erat, cecinêre, & quidem constanter, nec multùm variante iudicio omnes. At in Lusitania cùm eò à Pontifice ad Regem missus venisset; inter eos, à quibus observari, adirique officii causâ solebat, exul Hispanus nomine Maldonatus, studiosiùs eum quàm cæteri percolvit, homo Latinis, Græcisque litteris doctus, & in Astrorum scientia memoriæ eius facilè princeps. Is in longo sermone variè percunctando à Commendono elicuit non diem modò, sed horam quoque ortus eius. Tum positu cœli stellarumque notato, quo quæque in signo, quæve earum inter se coniunctiones, motusve, nascente illo fuissent, ad eum rediit manu ferens parvam schedam, quam Commendono tradidit. In ea Mathematicorum notis situs syderum, descriptioque dimensa, ac designata erat, & subscripta brevis epistola. Natalem à se horam multorum inspectam esse, quoque

nati

nati fato, quæve eventura iis ex astrorum observatione esse viderentur prædixisse: nullius ortum felicioribus signis conclusum animadvertisse. Pergeret porro, & quò Deus, & natura vocarent, sequeretur, imperium ei, ac principatum deberi illius Reipublicæ ad quamcumque se contulisset, suam propè iam ætatem exactam esse, neque ad illud tempus producere vitam posse, filio mandaturum, vt ei à se obsignatas litteras afferret, orare vt memor à quo tantò antè hæc sibi prædicta fuissent, tum aliquam filio gratiam referret, cùm prædictionem suam secuta res confirmasset. Tempus quoque definire non est veritus alterum & sexagesimum ætatis annum, trigesimum tum agentis, in quem annum incidit mors Gregorii XII. Pontificis Maximi, cui ipse successor, & votis bonorum, & studiis Patrum destinabatur, nisi importuni morbi vis eum paucos ante dies, vt suo loco dicemus, præripuisset. Hunc Maldonatum satis constabat multa ab eadem scientia multis, quæ evenêre, prænunciasse. Ipse in exilium ierat, quòd cùm Hispaniæ civitates à Carolo V. defecissent, interconcitatores popularium, vnus omnium acerrimè in illa versatus causa erat. Quamquam antè consulentibus amicis adversum seditionis eventum, & suam ipsius ca-

lamitatem prædixerat, testatus officium nihilominus sibi, atque fidem erga patriam omnibus rebus antiquiorem fore, nec necessario tempori suorum civium defuturum. Cùm exulatum in Lusitaniam venisset, Ioannem Regem monuerat, vt maturaret Emanueli filio nuptias, negans eum adolescentiam evasurum, cuius dicto & pater paruit, & filius intra vigesimum annum ætatis extinctus fidem affirmavit. His coniectorum dictis ad amplissimas opes Commendonus incitari potuisset; sed eà ille haud ignarus vanitatis Mathematicorum; & quæ ipsa portendunt astra, fallacissimo ab iis sensu iudicari, trahique plerumque quò aut assentandi, aut obtrectandi libido rapit, per risum, iocumque accepit, nullam fati vim, omnia cœlesti numine contineri, ac regi existimans, quæque hominibus prospera, adversaque eveniant, ea Dei nutu, atque potestate, à quo singula providentur, atque administrantur, non necessitate vlla fieri naturæ aiebat.



Quæ prima commendatio eius ad Iulium Pontificem.

CAPVT VIII.

HORTOS Iulius extra Portam Flaminiam sumptu, atque opere ianè magno ædificabat, in eos nobilis, ac vetusti fontis aquam virginem duxerat. Antiqui operis statua eam virginis sopitę somno, ac super vrnam recumbentis effundebat. Hanc celebrari carminibus varii generis, prout spatia lapidum erant, quibus incidenda essent, & Iulius iussit, & certatim non Romę solùm, sed per Italiam quoque arrepta materia est decoris ingeniis. Commendonus summum illud studium suum, quo à pueritia fuerat incensus, deque animi ad eam rem impetu plurimùm remiserat; sed tum incitatus studio Pontificis, & contentione eruditissimorum hominum, & ipse epigrammata aliquot, & argumento, & intervallis apta composuit. Quæ cùm Iulius legisset, (& habebatur talium peracutus ęstimator) non probavit modò, sed omnibus prǫlata insculpi protinus iussit. Vocato inde ad se Commendono variè percunctando iuvenis animum exploravit, expenditque. Quo deinde dimisso

conduceretque Commendonum misit. Et quia eodem tempore à Cæsaris Legatis missum ab vrbe certum hominem ad transigendum cum Duce intellexerat, dare operam Commendonum iussit, vt diligentiâ & celeritate illum antecederet. Extemplò profectus, ac brevissimè confecto itinere mandata Pontificis Guidubaldo exposuit, planè iam ad accipiendas quas ei Cæsar conditiones offerebat inclinato, expectantique eum quo coram de omnibus rebus pacisceretur. Sed cùm Commendonus ei, & voluntatem Pontificis, & anceps, nec vllam in partem tutum consilium se, resque suas duorum præpotentium Regum dissidio; armisque miscendi ostendisset, & auctoritate Iulii, & Commendoni sermone permotus, in potestate Pontificis futurum se respondit. Ita stipendio, pactisque conventis in Pontificis militiam est adscriptus, eique vrbis Præfectura tradita. His confectis cùm paulò pòst à Gallis, Cæsarianisque missi supervenissent, comiter atque hospitaliter ab Duce accepti Romam sine effectu rediere. Mandaverat præterea Commendono Iulius, vt si locus ei daretur, Guidubaldi animum de sororis matrimonio exploraret, verùm ita vt nihil suis verbis cum illo ageret, æquum enim censebat priorem se de eo ab Duce appellari. Ea

erat

erat virgo per matrem Camertium Ducum hæres, cupiebatque Iulius, vt Fabritio Montio fratris sui filio desponderetur. Commendonus cùm sublatis post cœnam mensis, longo ambitu variæ orationis, Guidubaldum in hunc sermonem de Pontificis affinitate traxisset, quàm multa commoda, quantasque ad omnia opportunitates ea res habitura esset, disseruit, suamque in id Duci operam, atque studium obtulit. Quod ille non aspernatus, postulavit à Commendono, vt suo nomine optare siquidem id, atque pervelle Iulio diceret. His actis, eâdem nocte conscensis, & crebrò mutatis equis, Romam rediit, cùm Iulius vixdum venisse eum Vrbinum existimaret.

De profectione eius in Belgas.

CAPVT X.

Dissidentibus, ut dictum est, atrocibus inter se odiis Cæsare, atq; Henrico Galliæ Rege, ac exitiabili bello Christianam Rempublicam dilacerantibus, Iulius, quod sui in primis officii erat, de componendis Regum controversiis, reducendisque in gratiam eorum animis, Hieronymum Dandinum paulo antè à se in amplissimum Collegium cooptatum, ac

tam

conduceretque Commendonum misit. Et quia eodem tempore à Cæsaris Legatis missum ab vrbe certum hominem ad transigendum cum Duce intellexerat, dare operam Commendonum iussit, vt diligentiâ & celeritate illum antecederet. Extemplò profectus, ac brevissimè confecto itinere mandata Pontificis Guidubaldo exposuit, planè iam ad accipiendas quas ei Cæsar conditiones offerebat inclinato, expectantique eum quo coram de omnibus rebus pacisceretur. Sed cùm Commendonus ei, & voluntatem Pontificis, & anceps, nec vllam in partem tutum consilium se, resque suas duorum præpotentium Regum dissidio, armisque miscendi ostendisset, & auctoritate Iulii, & Commendoni sermone permotus, in potestate Pontificis futurum se respondit. Ita stipendio, pactisque conventis in Pontificis militiam est adscriptus, eique vrbis Præfectura tradita. His confec... enim paulò pòst à Gallis, Cæsariani... supervenissent, comiter atqu... ter ab Duce acce... Romar... redicre. Mar... rate... dono Iulius... dubaldi... xplora... n...

erat virgo per matrem Camertium Ducum hæres, cupiebatque Iulius, vt Fabritio Montio fratris sui filio desponderetur. Commendonus cùm sublatis post cœnam mensis, longo ambitu variæ orationis, Guidubaldum in hunc sermonem de Pontificis affinitate traxisset, quàm multa commoda, quantasque ad omnia opportunitates ea res habitura esset, disseruit, suamque in id Duci operam, atque studium obtulit. Quod ille non aspernatus, postulavit à Commendono, vt suo nomine optare siquidem id, atque pervelle Iulio diceret. His actis, eâdem nocte conscensis, & crebrò mutatis equis, Romam rediit, cùm Iulius vixdum venisse eum Vrbinum existimaret.

De profectione eius in Belgas.

CAPVT X.

DIssidentibus, ut dictum est, atrocibus inter se odiis Cæsare, atq; Hen... Rege, ac exitiabili bello Chri... ...ublicam dilacerantibus, Iu... in primis officii erat, de... Regum controversiis, redu... ...ratiam eorum animis, Hie... ...dinum paulo antè à se in... Collegium cooptatum, ac tam

conduceretque Commendonum misit. Et quia eodem tempore à Cæsaris Legatis missum ab vrbe certum hominem ad transigendum cum Duce intellexerat, dare operam Commendonum iussit, vt diligentiâ & celeritate illum antecederet. Extemplò profectus, ac brevissimè confecto itinere mandata Pontificis Guidubaldo exposuit, planè iam ad accipiendas quas ei Cæsar conditiones offerebat inclinato, expectantique eum quo coram de omnibus rebus pacisceretur. Sed cùm Commendonus ei, & voluntatem Pontificis, & anceps, nec vllam in partem tutum consilium se, resque suas duorum præpotentium Regum dissidio; armisque miscendi ostendisset, & auctoritate Iulii, & Commendoni sermone permotus, in potestate Pontificis futurum se respondit. Ita stipendio, pactisque conventis in Pontificis militiam est adscriptus, eique vrbis Præfectura tradita. His confec[illegible] cùm paulò pòst à Gallis, Cæsariani[illegible] supervenissent, comiter atqu[illegible] ter ab Duce accepti Romar[illegible] redierе. Man[illegible] præte[illegible] dono Iulius [illegible] dubaldi a[illegible] explorar[illegible] n il[illegible]

erat virgo per matrem Camertium Du-cum hæres, cupiebatque Iulius, vt Fabritio Montio fratris sui filio desponderetur. Commendonus cùm sublatis post cœnam mensis, longo ambitu variæ orationis, Guidubaldum in hunc sermonem de Pontificis affinitate traxisset, quàm multa commoda, quantasque ad omnia opportunitates ea res habitura esset, disseruit, suamque in id Duci operam, atque studium obtulit. Quod ille non aspernatus, postulavit à Commendono, vt suo nomine optare siquidem id, atque pervelle Iulio diceret. His actis, eâdem nocte conscensis, & crebrò mutatis equis, Romam rediit, cùm Iulius vixdum venisse eum Vrbinum existimaret.

De profectione eius in Belgas.

CAPVT X.

DIssidentibus, ut dictum est, atrocibus inter se odiis Cæsare, atq; Hen-... Galliæ Rege, ac exitiabili bello Chri-... R...mpublicam dilacerantibus, Iu-... ...ui in primis officii erat, de ...is Regum controversiis, redu-... gratiam eorum animis, Hie-... Dandinum paulo antè à se in ... Collegium cooptatum, ac tam

conduceretque Commendonum misit. Et quia eodem tempore à Cæsaris Legatis missum ab vrbe certum hominem ad transigendum cum Duce intellexerat, dare operam Commendonum iussit, vt diligentiâ & celeritate illum antecederet. Extemplò profectus, ac brevissimè confecto itinere mandata Pontificis Guidubaldo exposuit, planè iam ad accipiendas quas ei Cæsar conditiones offerebat inclinato, expectantique eum quo coram de omnibus rebus pacisceretur. Sed cùm Commendonus ei, & voluntatem Pontificis, & anceps, nec vllam in partem tutum consilium se, resque suas duorum præpotentium Regum dissidio, armisque miscendi ostendisset, & auctoritate Iulii, & Commendoni sermone permotus, in potestate Pontificis futurum se respondit. Ita stipendio, pactisque conventis in Pontificis militiam est adscriptus, eique vrbis Præfectura tradita. His confe[illegible] cùm paulò pòst à Gallis, Cæsariani[illegible] supervenissent, comiter atqu[illegible] ter ab Duce accepti Roma[illegible] redière. Ma[illegible] præte[illegible] dono Iulius [illegible] dubaldi a[illegible] explorar[illegible] in [illegible]

erat virgo per matrem Camertium Ducum hæres, cupiebatque Iulius, vt Fabritio Montio fratris sui filio desponderetur. Commendonus cùm sublatis post cœnam mensis, longo ambitu variæ orationis, Guidubaldum in hunc sermonem de Pontificis affinitate traxisset, quàm multa commoda, quantasque ad omnia opportunitates ea res habitura esset, disseruit, suamque in id Duci operam, atque studium obtulit. Quod ille non aspernatus, postulavit à Commendono, vt suo nomine optare siquidem id, atque pervelle Iulio diceret. His actis, eâdem nocte conscensis, & crebrò mutatis equis, Romam rediit, cùm Iulius vixdum venisse eum Vrbinum existimaret.

De profectione eius in Belgas.

CAPVT X.

DIssidentibus, ut dictum est, atrocibus inter se odiis Cæsare, atq; Hen- [illegible] Galliæ Rege, ac exitiabili bello Chri- [illegible] [illegible]mpublicam dilacerantibus, Iu- [illegible] [illegible]ui in primis officii erat, de [illegible] [illegible]s Regum controversiis, redu- [illegible] gratiam eorum animis, Hie- [illegible] [illegible]andinum paulo antè à se in [illegible] [illegible] Collegium cooptatum, ac- tam

lamitatem prædixerat, testatus officium nihilominus sibi, atque fidem erga patriam omnibus rebus antiquiorem fore, nec necessario tempori suorum civium defuturum. Cùm exulatum in Lusitaniam venisset, Ioannem Regem monuerat, vt maturaret Emanueli filio nuptias, negans eum adolescentiam evasurum, cuius dicto & pater paruit, & filius intra vigesimum annum ætatis extinctus fidem affirmavit. His coniectorum dictis ad amplissimas opes Commendonus incitari potuisset; sed ea ille haud ignarus vanitatis Mathematicorum; & quæ ipsa portendunt astra, fallacissimo ab iis sensu iudicari, trahique plerumque quò aut assentandi, aut obtrectandi libido rapit, per risum, iocumque accepit, nullam fati vim, omnia cœlesti numine contineri, ac regi existimans, quæque hominibus prospera, adversaque eveniant, ea Dei nutu, atque potestate, à quo singula providentur, atque administrantur, non necessitate vlla fieri naturæ aiebat.



Quæ

Quæ prima commendatio eius ad Iulium Pontificem.

CAPVT VIII.

HORTOS Iulius extra Portam Flaminiam ſumptu, atque opere ſanè magno ædificabat, in eos nobilis, ac vetuſti fontis aquam virginem duxerat. Antiqui operis ſtatua eam virginis ſopitę ſomno, ac ſuper vrnam recumbentis effundebat. Hanc celebrari carminibus varii generis, prout ſpatia lapidum erant, quibus incidenda eſſent, & Iulius iuſſit, & certatim non Romę ſolùm, ſed per Italiam quoque arrepta materia eſt decoris ingeniis. Commendonus ſummum illud ſtudium ſuum, quo à pueritia fuerat incenſus, deque animi ad eam rem impetu plurimùm remiſerat; ſed tum incitatus ſtudio Pontificis, & contentione eruditiſſimorum hominum, & ipſe epigrammata aliquot, & argumento, & intervallis apta compoſuit. Quæ cùm Iulius legiſſet, (& habebatur talium peracutus ęſtimator) non probavit modò, ſed omnibus prǽlata inſculpi protinus iuſſit. Vocato inde ad ſe Commendono variè percunctando iuvenis animum exploravit, expenditque. Quo deinde dimiſſo

ad adstantes conversus, Maiorum, inquit, laudum semina huic iuveni insunt, maiusque ingenium, quàm vt condendis versiculis occupetur. Et Commendonus, sive quòd satis inde fructus, famæque partum sibi, eâque decorari adolescentiam, virum alia decere existimarit, sive gravioribus intentus studiis; nam Theologiam tum magnâ vi aggressus erat; totam rem prorsus abiecit, desiitque, nec posteà per omnem vitam attigit ampliùs, quamquam & factos ab aliis versus legit libenter, & subtiliter ęstimavit. Sed suorum adeò pœnituit, vt etiam ab amicis accuratè conquisitos, in quibus iusta aliquot volumina, & tragœdię, & comœdię erant, omnes incendit, non anteà scribendis iis, quàm tum abolendis intentior. Cùm multa ab eo de studiis litterarum sciscitatus Iulius, triennii operam cognoscendo Iuri civili insumptam didicisset, collaudato instituto eius reprehendit, quòd probari, & appellari Iurisconsultum neglexisset. Commendonus in id triginta dierum spatio impetrato Patavium excurrit, vt quo in loco eam hauserat scientiam, ibi potissimùm eius ab se ratio redderetur. Atque ab Hieronymo Torniello, cui anteà Doctori operam dederat, deductus, vt assolet, laudatusque summâ Collegii approbatione Iurisconsultus appellatus,

pellatus, Romam ad diem commeatus rediit.

Quò primùm publicè missus sit.

CAPVT IX.

GRATVM Iulio, & obsequium juvenis, & celeritas fuit. itaque nihil jam non rectè committi industriæ ejus putans, paucos post dies cum ad Guidubaldum Vrbinatium Ducem misit Vrbinum. Mittendi causa hæc fuit. Contendebant armis Cæsar, Gallique; & cùm Sena nobilis Etruriæ civitas fatigata Didaci Mendotii importuno, superboque imperio, Hispanis eiectis Gallorum præsidium in oppidum accepisset, ad vindicandam, tuendamque eam magnâ vi bellum vtrimque parabatur: vtrique Guidubaldum, cuius erat ditio, vel ipsâ propinquitate bello opportuna, trahere in suas partes, militiamque propositis amplis stipendiis, optabant, Iuliumque Pontificem, cuius auctoritatem secuturus Guidubaldus videbatur, variè sollicitabant. Et Iulius veritus, ne Guidubaldus cupiditate laberetur, atque in vtram ille sectam transisset, sibi ab aliis imputaretur, eum retinere, sibique militare volebat. Qui igitur cum ab studio factionum averteret,

conduceretque Commendonum misit. Et quia eodem tempore à Cæsaris Legatis missum ab vrbe certum hominem ad transigendum cum Duce intellexerat, dare operam Commendonum iussit, vt diligentiâ & celeritate illum antecederet. Extemplò profectus, ac brevissimè confecto itinere mandata Pontificis Guidubaldo exposuit, planè iam ad accipiendas quas ei Cæsar conditiones offerebat inclinato, expectantique eum quo coram de omnibus rebus pacisceretur. Sed cùm Commendonus ei, & voluntatem Pontificis, & anceps, nec vllam in partem tutum consilium sé, resque suas duorum præpotentium Regum dissidio, armisque miscendi ostendisset, & auctoritate Iulii, & Commendoni sermone permotus, in potestate Pontificis futurum se respondit. Ita stipendio, pactisque conventis in Pontificis militiam est adscriptus, eique vrbis Præfectura tradita. His confectis cùm paulò pòst à Gallis, Cæsarianisque missi supervenissent, comiter atque hospitaliter ab Duce accepti Romam sine effectu rediere. Mandaverat præterea Commendono Iulius, vt si locus ei daretur, Guidubaldi animum de sororis matrimonio exploraret, verùm ita vt nihil suis verbis cum illo ageret, æquum enim censebat priorem se de eo ab Duce appellari. Ea

erat

erat virgo per matrem Camertium Duci hæres, cupiebatque Iulius, vt Fabritio Montio fratris sui filio desponderetur. Commendonus cùm sublatis post cœnam mensis, longo ambitu variæ orationis, Guidubaldum in hunc sermonem de Pontificis affinitate traxisset, quàm multa commoda, quantasque ad omnia opportunitates ea res habitura esset, disseruit, suamque in id Duci operam, atque studium obtulit. Quod ille non aspernatus, postulavit à Commendono, vt suo nomine optare siquidem id, atque pervelle Iulio diceret. His actis, eâdem nocte conscensis, & crebrò mutatis equis, Romam rediit, cùm Iulius vixdum venisse eum Vrbinum existimaret.

De profectione eius in Belgas.

CAPVT X.

DIssidentibus, ut dictum est, atrocibus inter se odiis Cæsare, atq; Henrico Galliæ Rege, ac exitiabili bello Christianam Rempublicam dilacerantibus, Iulius, quod sui in primis officii erat, de componendis Regum controversiis, reducendisque in gratiam eorum animis, Hieronymum Dandinum paulo antè à se in amplissimum Collegium cooptatum, ac

tam præcipuâ apud Pontificem gratiâ, atque auctoritate florentem, Legatum ad Cæsarem misit. Is Commendonum, cujus antè ingenium nonnullâ eius consuetudine probatum, perspectumque habebat, secum ducere cupivit, impetravitque à Iulio. Celeriter juvenis gravitate, & modestiâ morum, & omni officiorum humanitate cum cæteris carus, iucundusque, tum longè acceptissimus Legato haberi est cœptus, atque intimis quoque consiliis adhiberi. Itaque ad Cæsarem cùm venisset, & nunciata paulò pòst Edoardi Britannorũ Regis mors esset, in Britanniam ab eo est missus: de qua profectione priusquam dicamus, causam paulo altiùs ab origine repetere operæpretium fuerit. Henricus Octavus cùm duodetriginta annos Catherinam Ferdinandi Regis Hispaniæ filiam, Caroli Cæsaris materteram in matrimonio habuisset, filiosque ex ea suscepisset, seu deflorescentis ætatis eius, vergentisque ad senium pertæsus, sive alterius amore ab illa alienatus, ad cupiditatem eius repudiandæ impotenti animo incubuerat, effrenatæque libidini, quâ præceps ferebatur, causam prætexebat, quòd Catherina antè Arturo fratri suo nupta fuisset, qui quartumdecimum annum agens intactam puellam relinquens morbo decesserat; & virgo petentibus enixè Regibus patre, ac

soce-

ſocero ex auctoritate Iulij II. Pont. Max. tradita Henrico fuerat. Cum Romæ, vt matrimonium, quod ſibi non iuſtum cum Catherina eſſe aiebat, dirimeretur, impetrare nequiſſet, amens cupiditate, ac ſcelere, ſpreto Pontifice Maximo, abiectòque religionis, & ſacrorum reſpectu, omni divinarum, atque humanarum legum iure contempto, exacta thoro, & coniugio ſuo Catherina, Annam Bolenam, quam perditè deperibat, vxorem duxit, & à Pontificum Maximorum fide deſciſcens, penitus ſe, regnumque à Catholicæ Eccleſiæ corpore præſcidit; eundemque ſe ſummum in ſuo regno ſacrorum Antiſtitem appellavit. Quo facto veluti perrupto aggere omnis ille praviſſimarum opinionum, hæreſumque oceanus Angliam inundavit. Vnde tanti, ac tam ſævi ſeditionis æſtus, tot monſtrorum ſpecies prodierunt, fruſtra obnitente, & acribus ſuppliciis auctores coërcente Henrico. Moriens inde Edoardum filium tertia vxore ſuſceptum ſucceſſorem Regni reliquit, puerum indolis probæ, ſed adeò à tutoribus, rectoribuſque in ſacrorum diſciplina corruptum, vt vna illi religio fuerit veræ religionis fundamenta evertere, funditusque eruere. Verùm is ſeu morbo, ſeu fraude ſuorum intra XVII. ætatis annum extinctus, Regnum, excluſâ

Ma-

Mariâ ſorore, Ioannæ conſobrinæ ſuæ filiæ teſtamento reliquit. Hanc Dudleus Nortumbriæ Dux ſummam ſub Edoardo potentiam adeptus, nurum ſibi adſciverat, inſtrumentumque transferendi in domum ſuam Regni habebat; ſed Maria, cognitâ fratris morte, haudquaquam ſegniter ad vindicandum ius ſuum exſurrexerat, provectaque ingenti popularium favore, paucis diebus paternum Regnum recepit; & quod alterius Regni inſtar fuit, Nortumbrius ipſe, & Ioanna, & maritus Guilfordius in poteſtatem eius venêre. Nam Nortumbrius palam factâ morte Edoardi, quam ipſe dum deſtinata diſponit, triduum occultaverat, cùm teſtamentum Principibus coram aperuiſſet, ex eoque Ioannam nurum Reginam nuncupaſſet, ac deductam in Londinenſem arcem, vt mos genti, in poſſeſſione Regni locaſſet; nuntiis mox de Maria allatis, deprومptâ Regiis theſauris pecuniâ, ac magnâ largitione militibus ſibi, vt rebatur, firmatis, celeriter copias adverſus Mariam eduxerat, vt antè eam opprimeret, quàm ad convaleſcendum ſpatium haberet. Sed tanta repentè ad Mariam animorum facta inclinatio eſt, vt non deſtituerint modò Nortumbrium milites, ſed cuſtodiâ circumdatum Reginæ tradiderint. Maria iuſto, quamquam infelici

Cath-

Catherinæ, & Henrici matrimonio erat nata, ac primâ ætate, cùm frater eâdem matre genitus intra infantiam mortem obiisset, non regio solùm cultu, regiisque opibus innutrita fuerat, sed vnicè dilecta parentibus, etiam in non dubiam spem Regni educata, nuptiæque eius maximis Europæ Regibus sunt appetitæ. Quâ fortunâ adeò post repudiatam matrem, prolapsumque ad flagitia, & scelera patrem decidit, vt ex auctoritate eius, de sanctioris consilii sententia hæreditatis, ac successionis in paternum Regnum iure priuata, ancillaribus ministeriis Henrici pellicibus famulari cogeretur. Nec post patris mortem honoratior apud Edoardum fratrem fuerat, abiecta, spretaque, ac procul Regia habita, magis divina ope, quàm cautione, & custodia sua Nortumbrii fraudes variè vitæ eius insidiantis, vitaverat. Fuit enim innocentissima fœmina, & pari Catholicæ religionis constantiâ, & vitæ sanctitate, vt nihil adepta Regnum habuerit prius, quàm patris, fratrisque leges adversus iura sacrorum latas abrogare, ac pristinum pietatis cultum restituere, vsque adeò in id intento studio, vt monenti Carolo Cæsari consilium ne approperaret, neve tam immaturis rebus sese indicaret, responsum sanè memorabile reddiderit: Se dum deserta, desti-

tutaque in sua calamitate iaceret, non alterius spe, atque ope, quàm Dei sustentatam, ad Regnum inde provectam fuisse: Itaque statutum sibi, cui salutem, & dignitatem deberet, ei non cunctanter, aut obscurè, sed statim, ac propalam gratiam profiteri. Nec quia ob id crebræ eam seditiones, tumultusque quorundam, qui omnium rerum licentiæ, ac impunitati assueti, ac propè omni religione soluti ægrè sub iugum suave, ac salubre Christianæ disciplinæ redibant, exceperunt, destitit incepto; sed punitis fortiter auctoribus, ac multitudine ad sanctitatem reductâ, eximia cum gloria & Regnum pacavit, & colendæ pietatis rationem constituit.

De eius in Britanniam adventu, & actis ibi per eum.

CAPVT XI.

VERÙM, vt vnde transgressi paulùm seriem rerum, temporisque sumus, eò revertamur in continentem post nuncium extincti Edoardi nihil nisi itum ad arma ab Nortumbrio, & gentem Mariæ studere incertis rumoribus afferebatur. Nam ardente inter Gallos, & Cæsarem bello omnia plena suspicionum erant,

omnia

omnia littora, ne quis ignaris præfectis, aut traiiceret in insulam, aut inde appelleret, custodiebantur. Postremò etiam desertum à militibus Nortumbrium, & prosperæ Mariæ res nunciabantur. Hieronymus Dandinus Legatus, cùm Regni nobilissimi paulò antè vnius furore, atque amentiâ Regis à Catholica religione, & fide Pontificis Maximi avulsi salus ageretur, & Mariæ conatus aut adiuvandi à Pontifice, aut confirmandi esse viderentur, vehementer Britannicis nuntiis excubabat, qui ipsi cùm nec certi, & secundi tamen venirent, aliquem in Angliam virum industrium, intentumque, qui explorata, & certa omnia referret, mittere agitabat, cùm ei à Iulio litteræ id ipsum iubentes redduntur. Nam Iulius Edoardi morte acceptâ, Reginaldum Polum, qui tum ad lacum Benaci haud satis firmâ valetudine locorum salubritates sectabatur, mittere in Angliam decreverat, idque per litteras Polum docuerat. Cui cùm nihil properè agi, & certiora expectari placuisset, Dandinum de eo per celerem tabellarium monuerat. Tum ille Commendonum, quem gerendis rebus peracrem, cupidum navandæ operæ, & consilio promptum cognoverat, appellat, hortaturque, vt rem eius ingenio, & solerti studio dignam suscipiat. Haud cun-

ctanter

stanter Commendonus, quamquam magnæ, & in traiiciendo difficultates, & traiecto pericula proponerentur, operam profitetur. Collaudato iuuene, rebusque communicatis Legatus ei propria nulla mandata dedit, nisi vt diligenter omnia cognosceret, quæ agerentur, quique aditus, quæque spes recipiendi eius Regni ostenderentur. Si locus cum Maria agendi daretur, eam ad sananda religionis vulnera, suumque Deo reddendum cultum hortaretur, Pontificisque ad id non solùm studium, sed etiam opes polliceretur. Denique omnia pro fide sua, & prudentia gubernaret. Ille cùm per infestissimos Romano nomini hostes, & tum licentiâ, & futuri metu efferatos iter esset, ne se cuiusque crederet fidei, sine comite, aut servo vllo Bruxellis profectus Gravelingam vno die itinere confecto venit. Quo ex oppido commodissimus erat in Britanniam traiectus: ibi duos sibi corporis ministros ignaros sui conduxit, vtrumque Gallicæ, alterum etiam Anglicæ peritum linguæ. Cum his composita sibi causâ, quòd avunculus mercaturam Londini fecisset, multaque negotia haud satis explicata decedens reliquisset, navem conscendit, ac nequaquam secundâ tempestate transvectus in insulam, Londinum contendit, quò profectam Mariam, re-
ceptam

ceptamque in itinere cognoverat. Eò cùm venisset, plena turbarum omnia, feroces adhuc licentia hæreticos, conantesque Mariam à pristina revocanda religione absterrere, & Reginam illam magis, quàm Regni potentem invenit. Nam & ipse interfuit, cùm ausus sacerdos in templo adversus novas concionari doctrinas, adeò iram insolentis iam talium multitudinis commovit (& genus est omne hæreticorum audaciâ, & temeritate præceps) vt non obstrepuerint modò dicenti, sed miles quidam è media concione nudatum pugionem in perseverantem orare conieceerit. Quo facinore Commendonus est admonitus quanto ipse in discrimine versaretur, si aut quis, aut à quo, aut qua de causa venisset, rescirent. Nec tamen hoc metu, ac difficultate destitit; quin ad ipsam iam adire Reginam parabat, cùm fortè Ioannes Lius nobilis Anglus ei occurrit, quem sub Edoardo ob religionem profugum in Italia familiariter noverat, nec parvis officiis devinctum habebat. Ac primò quidem perhumaniter amplexum offerenti ecquid eo tempore in Britannia quærenti, eadem avunculi negotia, pecuniamque sibi pluribus in nominibus relictam obtendere. Pòst vbi carum Reginæ eum, atque inter intimos ministros comperit, multaque amicè secum, ac
fideu-

fidenter ab illo de Republica, præsentique rerum statu, atque omnia pro pristina familiaritate, & beneuolentia fieri satis antea, vel ex constantia auitæ pietatis probato, causam aduentus sui aperit, celeriterque ab eo ad Reginam deducitur. Quod tamen ipsum non sine difficultate fuit; omnia enim septa custodiis, omnes clausi aditus erant, ne quis externus cum Regina colloqui clam aliis posset: maximè Cæsar, & Pontifex suspecti habebantur; quorum cum altero de matrimonio sentirant agi, alterum pollutæ religionis, bonorumque à templis direptorum vltorem timebant. Reginam Commendonus ad pristinas sacrorum ceremonias, fidemque restituendam, Regnum Catholicæ Ecclesiæ reconciliandum, ac referendam hanc statim gratiam Deo, qui eam deuictis sine vulnere, sine ciuili sanguine perduellibus, atque hostibus suis, potestatique eius traditis, paterni Regni compotem fecisset, cum esset hortatus, atque omnes in id Pontificis Maximi facultates pollicitus, à Regina aduentu eius mirè lætata perbenignè est auditus; prolixè multa de se, deque fide, ac studio suo erga Pontificem Maximum, & Catholicam Ecclesiam professa, de ratione conficiendæ rei, consilioque suo cum eo communicauit, iussumque redire ad se dimisit; monitum

prius

priùs etiam atque etiam, vt custodiam sui haberet, diligentissimeque caueret, ne, quid acturus venisset, à quoquam sentiretur, rebus enim tam turbidis periculum eius præstare se vix posse. Interea pacandis rebus intendit, multitudinem armatorum, & quorum ægrè coerceri licentia poterat, qui Reginam in Regni possessionem reducere, adesseque initiis eius etiam repugnante ipsâ voluerant, in suam quemque domum dimisit, ciuitatemque illâ turbâ, & colluvione hominum exhausit, exonerauitque. Cum Cæsare matrimonium Philippi filii sui offerente, quo ipsa communitura sibi Regnum prepotentis, & propinqui Regis connubio videbatur, de fœderis, & affinitatis conditionibus occultè agebat, caussamque Nortumbrii, quem in custodia habebat, cognosci, perficique iusserat, ac in singulos dies magis convalescens, rerum, ac Regni potens efficiebatur. Commendono ad eam quoties vellet, atque opus esset, per eumdem Lium adeundi facultas erat. Cùm & fœdus cum Cæsare, & nuptias cum filio pepigisset, nec tamen id palam esset, arcessi Commendonum iubet, ei tum mentem, consiliumque suum omne patefecit, litterasque ei manu suâ scriptas ad Iulium Pontificem perferendas dedit, quibus se, Regnumque in fide, & auctorita-

te

ac Pontificum Maximorum fore pro certo confirmans pollicebatur; addens de cæteris rebus mandata se Ioanni Francisco Commendono dedisse, de ipso plura scíturum. Summa mandatorum fuerat, Reginam habito Britanniæ sanctiori Consilio, ex eius auctoritate patris, fratrisque scita, iussaque de religionibus abrogaturam, statimque Legatos Romam, qui Pontifici Maximo debitum fidei, & obedientiæ officium persolverent, missuram: Interim postulare, vt Iulius publicè Anglis ignosceret, ne cui assensisse Henrico, Edoardoque diuinum sibi ius arrogantibus, desciuisseque à majorum pietate, & Romanæ Ecclesiæ fide, fraudi, noxæve esset; Reginaldum Polum Cardinalem cum summa potestate Legatum in Angliam mitteret, à quo hæc omnia ritè fierent, resque sacræ ad pristinæ disciplinæ normam per eum ordinarentur. Cum his mandatis extemplò proficisci parantem Regina biduum Londini retinuit, vt Nortumbrii damnationem, pœnamque præsens aspiceret. Is enim à Iudicibus rerum capitalium majestatis damnatus fuerat, productusque in publicum capite pœnas luere est coactus, veniâ priùs filiis, nuruique ab clementi Reginâ impetratâ, cùm ipse eiuratâ hæresi, cui non errore mentis, sed cupidine potentiæ adhæsisse se confitebatur,

batur, ad Catholicæ religionis fidem rediisset, Catholicisque sacris sese ritè procurasset.

De ritu eius in vrbem.

CAPVT XII.

SVPPLICIO de Nortumbrio sumpto, Regina Commendonum cum litteris, & mandatis, vt suprà ostendimus, dimisit, iussum eum fide omnia ad Pontificem perferre: nec præterea cum vllo mortalium, præterquàm cum Polo communicare. Ille cùm triduo in continentem transmisisset Bruxellis à Legato Romam dimittitur, quò per equos, qui dispositi ad celeritatem sunt, continuato die, noctuque itinere, nona, postquam à Legato discesserat die, pervenit, milliarijs ampliùs mille propè incredibili cursu confectis. Quamquam diverterat ex itinere ad Polum, ac mandata ad eum Reginæ pertulerat, nunciaveratque Dandini verbis, vt profectionem suam tantisper differret, donec tranquillæ in Anglia res compositæque essent. Id Cæsarem magnopere eum rogare; nam Cæsar matrimonio Mariæ Regnum Angliæ filij opibus, suisque adjungere maximè cupiens, cùm satis abhorrere ab ea voluntate Anglorum animos in-

telligeret, intentâ curâ observabat, ne quid conatui suo impedimentum afferret. Et Polum ipsum esse in Anglia, qui Reginæ maritum destinarent, intellexerat, ac ne ipsa quidem Regina initio eum asperata dicebatur, quæ à Commendono quæsierat, an eum lege sacrorum, qua Polus adstrictus erat, Pontifex soluturus fuisset; erat enim Diaconus, cui ordini sæpe tributa legis venia est à Pontifice Maximo: sed postea Gallorum vim metuens, quos adversarijs suis studuisse compererat, nec Anglis ipsis satis iam fidens, ad Philippum inclinavit. Ex eo Cæsar Polum ante peractas filij nuptias transire in Angliam nolebat, non tam fidei eius diffidens, quàm timens, ne adventu eius territi hæretici ad res novas respicerent, studiaque ad Gallum verterent, eiusque adiuti viribus sua consilia disturbarent. Romæ suspensa omnia, ac profectum modò in Britanniam Commendonum auditum erat, & Pontificem ingens cura, quis exitus rerum in Insula futurus esset, intentum, sollicitumque habebat. Itaque Commendonum non certas solùm, sed perfectas res, & supra spem lætas afferentem tanto gaudio accepit, vt lectis Reginæ litteris, quæque mandata ab ea, quæque gesta ad eam diem essent, totoque penitus illarum rerum statu percepto, cuncta ordine referente Commen-

mendono, tenere lacrymas nequiverit. Ac tu verò, inquit, fili, non lætus modò Nuncius mihi, sed vnus minister præclari operis, atque effector extitisti, plusque nobis tua præstitit industria, quàm nos auti votis, & optatis, nedum spe concipere simus; arcteque complexus iuvenem, ac multis præterea laudibus, vt dignum erat, prosecutus; Deo summas gratias egit, quòd potissimùm in Pontificatu suo amissum nobile Regnum ad officium, fidemque Catholicæ Ecclesiæ redire voluisset. Sed tantum solus gaudium cùm non caperet, impatiensque moræ vellet extemplò suam felicitatem aliis impartiri, & Commendonum iuberet comparare sese, vt omnia sequenti die Senatui, quem ob id esset vocaturus, renunciaret, non est veritus ille admonere Pontificem Reginæ voluntatis, ne ea tum efferrentur, suæque in id obligatæ fidei. Quam ego verò, inquit, si per te liceat, pari religione, ac tua iussa apud Reginam sum executus præstitero. Admiratus constantiam iuvenis Pontifex, quæque effanda, quæque reticenda essent cum eo constituit, seque ipsum ea Patribus expositurum ostendit. Verùm in Senatu recitatis Reginæ litteris, reliqua ipse, vt acceperat, enarrare orsus, medium sermonem, cui non satis, credo, moderari poterat, repentè abrupit, ac vo-

cari Commendonum, introductumque Patribus coram expromere quæ sibi pridie nunciaverat, iussit. Quemvis, vel exercitatissimum Patrum, & dicere, & audiri in eo loco assuetum tam subit res, nullo spatio ad meditandum dato, perturbasset, nedum iuvenem, quem aspectus modò Pontificis, & consessus summorum virorum, & maiestas illius loci conterrere, & confundere potuit, præsertim cùm Latinè (peregrina nunc nobis lingua, neque enim aliter licet eo loco verba facere) edisserenda illa essent. Commendono id fere in omni vita accidit, vt initio dicendi rubore quodam ingenuo perfunderetur, timidiusque inciperet; sed vbi velut iter ingressus orationis erat, nemo illo solutior, liberiorque incessit, nam & sententiæ illi percrebræ, & verba apta rebus suppetebant. Tum quidem, vt semper, non timidè solùm, ac dubitanter, sed penè tremens est orsus, quod ei in modestiæ, ac verecundiæ laudem vertit. Nam sumens inde paulatim animum, eo ordine, eâ copiâ, & prudentiâ orationis cuncta vt acta, vt sibi à Regina mandata erant, exposuit, atque de toto statu Britanniæ disseruit, vt omnes Patres in admirationem sui verterit, atque vnus eorum illud ex Euangelio dictum vsurpans: Quis putas, inquit, puer iste erit? Eius certè diei gloriâ satis creditur
adi-

aditum illi, viamque ad reliquas res, honoresque, quos deinde cepit, gessitque, maximè munivisse. Nam & Pontifex perhonorificis est eum verbis prosecutus, & singuli postea Patrum accersitum ad se domum iuvenem complexi, & gratulati ei sunt, & prolixè studium, atque operam suam polliciti. Ante omnes Ioanni Petro Carafæ Cardinali, qui in Britannia fuerat, eiusque Insulæ magnam notitiam habebat, mirè est ex eo conciliatus. Nec apud Patres solùm, sed in vulgus quoque celebre esse inde nomen illius cœpit. Iulius ex litteris Reginæ, atque oratione Commendoni tridui supplicationes indixit, solemniaque sacra instituit, quibus ipse rem diuinam fecit, eiusque nuncij lætitiam omnibus rebus celebrari imperavit. Commendonum inde, quoties mentio rei incidisset, laudibus tulit, de mensa ad eum sæpe misit, magnoque in honore, ac pretio semper habuit. Quibus ille rebus nihilo elatior, cùm ei ab omnibus magna gratulatio fieret, in sua se vitæ, morumque modestia diligentiùs etiam, quàm anteà continuit.



De profectione eius in Lusitaniam.

CAPVT XIII.

IOANNI Lusitaniæ Regi inter hæc Emanuel filius, quem vnicum Regni hæredem habebat, moritur. Eodemque die in afflictæ domus solatium Emanuelis conjux filium enixa est. Ad hunc igitur consolandum Regem ægrum animi ex tam acerba morte filii, gratulandumque alterius ortum, Iulius Commendonum in Lusitaniam misit. Eò cùm Galliam omnem ab Alpibus ad Pyrenæos, Hispaniamque item quanta in longitudinem patet, pedibus transgressus venisset, honorificè acceptus, comiterque habitus à Rege est, cujus ipse cùm morum, atque ingenii dexteritate, tum de Britannis rebus, quarum recens adhuc fama erat, curiosè multa exquirentem facundè alloquendo, magnam sibi gratiam conciliavit. Vnde eum Rex etiam legere in militum, qui Christi appellantur, societatem voluit, in quam Principes gentis pro magno dignitatis ornamento optari à Regibus solebant. Quod cùm ipse alienum vitæ suæ institutis ferens recusasset, Ioannes rubram ei crucem singulare societatis eius insigne tradidit, potestatemque ei fecit, quem vellet, eo mi-

litiæ

litiæ honore decorandi, dum ingenuis ortus parentibus, majoribusque esset, idque Legato suo Romæ solemni ritu probaretur: quem ipse honorem in nobilissimum juvenem amicum suum postea contulit. Discedens à Rege ad visendum inclytum religione templum Diui Iacobi in Galitiam proficiscitur, prosequente eum Ioanne omnibus humanitatis, & benevolentiæ officiis. Nec aliâ re libentiùs Lusitanicam illam profectionem, munusque susceperat Commendonus, quàm quòd ei occasio videndi tot exteras provincias futura esset, Galliam enim, Hispaniamque diversis iens, rediensque itineribus perlustravit. Et fuit sanè videndi, cognoscendique res externas singulari studio. Nam & situs regionum, & opportunitates earum, quæ maria, qui portus, quæ flumina, quibus quæque rebus abundaret, egeretque, qui hominum mores, quæ studia, quæ regendę publicę rei ratio, diligenter admodum inquirebat, eaque adeò tenaci memoriâ complectebatur omnia, vt barbara quoque nomina hominum, locorumque retineret. Quæ res ei, cùm propè omnem inde Europam studio eodem, ac diligentiâ peragrasset, magno vsui, atque laudi postea fuit. Ex Lusitania Romam cùm rediisset, Iulius octavum & sexagesimum agens annum, postremum vitæ diem

obiit, vir ingenuæ, ac liberalis naturæ, planeque probus, & innoxius, ac ne litterarum quidem, & industriæ expers, sed negligens rerum, & in Pontificatu adeò curas omnes, laboresque refugiens, vt abditus hortis, quos immani sumptu ædificabat, hilaritatibusque intentus suis, ne Senenses quidem, quos Cosmi Florentinorum Ducis, atque Hispanorum arma premebant, ad se vrbem, agrum, suaque omnia in Romani Pontificis ditionem dedenda venientes audierit, quamquam & Galli, quorum ope illi defendebantur, huic deditioni annuerent, neque adversarentur Hispani. Iis temporibus ætatem degerat Iulius, quibus gravitas, modestia, pudor pro tristitia, atque inertia ducebantur, cunctaque voluptas, & lætitia, & effusus in omnem jucunditatem animus habebat, nec aliàs Ecclesiastica disciplina solutior fuit. Beneficia & sacerdotia haud aliud, quàm alimenta luxuriæ haberi. Eorum plura, & quæ per leges non liceret capi: vt quidam tres Episcopatus vno tempore gesserint: passimque ea gratiæ, non meritis dari. Amictus sacerdotalis ad honorem, & dignitatem institutus, omnibus sordere, sagulum, quàm toga magis placere. Neque liberiùs vivere, ac se prorsus hilaritati dedere. Denique conviviis, ludis, specta-

culis

culis indulgere, cum mulieribus discumbere, cum iisdem vnà vectari per vrbem turpe, ne gravibus quidem, & honoratis viris habebatur: adeò licentia, & consuetudo mores, judiciaque corruperat. Hæc Iulius eodem depravatus vsu, & fecerat juvenis, & fieri se Pontifice facilè est passus, virtutis cultor magis, quàm vindex vitiorum. Sed Commendono sponte honestis, & priscis moribus insistenti tot inquinata corruptelis tempora in gloriam cessêre, cujus etiam fructum secuta mox severior ætas attulit.

De Marcelli, & Pauli Pontificum Maximorum studio erga eum.

CAPVT XIV.

MARCELLVS Cervinus, qui secundus est appellatus, in Iulii locum Pontifex creatur. Cujus tanta virtutis opinio fuit, tanta spes restituendi per eum antiquam disciplinam, pristinumque cultum, ac splendorem religionis, & Christianæ Reipublicæ, vt præclarè actum cum illo videri possit, quòd intra vigesimum diem ostentatus terris, ereptusque fuerit. Neque enim erat mediocris sapientiæ, motæ de se tantæ expectationi respondere. Et is quibus diebus Pontifex est renunciatus

Commendonum vltro accitum inter familiares receperat. Et Ioannes Petrus Carafa qui ei successit, cui Paulo IV. nomen est inditum, statim Pontificiis epistolis scribendis designavit. Cui muneri vnà cum illo Paulus insignes dignitate, & eruditione viros, partitis inter eos provinciis præposuit. Ioannem Casam Archiepiscopum Beneventanum, Annibalem Borzutum Archiepiscopum Avenionensem, Antonium Ælium Episcopũ Polensem, Angelum Massarellum item Episcopum, & Sylvestrum Aldobrandinum Iurisconsultum, ad quem postea ob excellentem industriam, atque fidem, aliorum senescente gratiâ, rerum propè omnium summa delata est. Paulus non solùm dignitate princeps amplissimi ordinis, sed sacrarum rerum doctrinâ, eloquentiâ, magnitudine animi, innocentiâ morum, & totius vitæ sanctitate; & ad hæc ætatis quoque honore longè inter omnes Patres eminebat. Itaque ei Commendonus in Cardinalatu præcipuam observantiam, cultumque tribuerat. Et ipse senex adeò juvenis ingenio est delectatus, vt multas sæpe horas cum eo, legendo, disserendoque nunc de privatis, nunc de publicis rebus perfamiliariter, jucundeque consumeret, eumque haud ferme alio, quàm filii nomine appellaret. Pontificalibus

libus comitiis prælato Marcello, cui ipse quoque Paulus, etsi quinque & viginti annos natu minori suffragatus erat, omnes de illo spes omnibus deciderant, concurrentibusque ad Marcellum cunctis, desertum, destitutumque ab omnibus, quibus anteà coli, frequentarique solebat, Commendonus tum maximè assiduus cum illo, majori, quàm anteà studio assectari, deducere, observare, & ad omnia præstò esse. Itaque ergo creatus Pontifex Commendonum ob modestiam adire ad eum differentem, vltro requisivit, habitationem in Palatio, sumptumque largè præberi jussit, Carolo, & Ioanni fratris filiis commendavit verbis, & pluribus, & amantissimis, ac filium ipsum, quoties mandaturus ei aliquid esset, appellare perseveravit. Arcanis & rebus, & sermonibus inter intimos ministrorum admittens. Nullius denique operâ libentiùs vti, ac ne consuetudine quidem, ac domestica collocutione cujusquam æquè delectari est visus. Primis inde Pontificatus diebus, ignarum, non solùm non petentem, Zacynthiorum Episcopum designavit, Venetorum Legato coram honorificâ oratione prosecutus. Abnuentem, seque imparem ferentem Pontifex osculatus admonuit honores pari pudore recusaret, ac peteret; quæ enim ei nullo ipsius ambitu,

aut studio, sed vltro deferrentur ab eo, cui vis divinæ potestatis inesset, perinde accipienda, ac si manifesto Dei ipsius instinctu obvenirent. Cum Episcopatu Beneficium ei in Veronensi agro dedit, cujus annuum vectigal erat quingentorum aureorum nummûm.

De novo ejus itinere in Belgas.

CAPVT XV.

Ex his rebus non dubia opinio incesserat homines, iuvenem nullis, aut pecuniæ, aut voluptatum illecebris corruptum, & inquinatissimo sæculo ultro se majorum disciplinæ subiicientem, ætate, viribus, animo vigentem, & ab his artibus acceptum Pontifici ad Cardinalatum usque proferri. Quam ille opinionem occulere per modestiam, atque adeò obruere eam conabatur. Contrà quàm plerique faciunt, sanè ineptè, qui famâ, ac prædicatione sui haud minus quàm ipsâ re efferuntur, monstrarique, ac celebrari spes suas gaudent, ac levi auditioni ipsi de se ante omnes credunt, ut quidam prædives, & maximè ambitiosus, cùm suum nomen inter eos ferri, quos sermo vulgi proximis Comitiis Cardinales destinabat, accepisset, ipsum dicitur appellasse Pontificem, tua-

magnum memorans totâ urbe rumorem esse de constituta ejus voluntate cooptandi se in Cardinalium numerum, ac sibi id multos affirmasse. Cui subridens Pontifex, At isti, inquit, falsa narrant, nec tu iis ullam fidem habueris. Longè ab hac vanitate aberat Commendonus, nec tamen vitare invidiam potuit, quæ eò acrior erupit, quo minùs loci ad obtrectandum inveniebat. Verùm ut artificiosa, & callida malitia est, quem crimine non possunt, laudibus eum suis oppugnare aggrediuntur, extollere ingenium, vim animi, corporisque, & in gerendis rebus studium, & industriam, & per speciem honoris amandandum, habendumque procul à Pontificis oculis curant, ita rati opportuniorem fraudi fore. Ad procurandam igitur Rempublicam apud Carolum V. Cæsarem, revocato inde Archiepiscopo Consanorum, qui ei muneri à Iulio præpositus fuerat, destinatur. Sed quia eo tempore suspensum induciis bellum inter Cæsarem, & Gallos erat, Pontifex è Cardinalium Collegio Legatum ad Cæsarem creavit Scipionem Rebibam, eumque in Belgas proficisci, Cæsaremque cohortari ad pacem ex induciis firmandam jussit; misso eadem de re Carolo Carafa Cardinale ad Henricum Galliæ Regem. Commendonus iter cum Rebiba suscepit.

Jam

Iam è Mediolano per Helvetiorum fines in Belgas egressi erant, cùm Mastricum ad Mosam flumen, oppidum ditionis Caroli intrantem Legatum festinus tabellarius ab Vrbe missus assequitur, eique à Ioanne Carafa Pontificis fratris filio litteras reddidit, quibus iura fœderum à Cæsarianis violata, insidias Pontificis vitæ factas, bellumque exortum nunciabatur, ipseque, & Commendonus jubebantur, omisso itinere, quod instituerant, redire Romam, & incolumitati suæ, si possent, consulere; cavereque diligenter, ne in potestatem adversariorum venirent. Legatus eo nuncio vehementer perturbatus, quòd in media Germania, atque in Cæsaris ipsius Regno deprehensus, quò, aut quà elabi posset, ignorabat, tradere se hosti, & quemcumque sors cogeret casum subire parabat. Sed Commendonus vbi ea accepit, confusum novitate tam subitæ rei Legati animum confirmat, docet quanti ad omnia intersit non intercipi eos, & publicas litteras, & publicarum rerum ministros in hostium venire potestatem, vt carcer, & reliqua captivitatis mala negligantur. Posse si consilium, celeritasque adhibeatur, antequam adventus ejus vulgaretur, aut nunciaretur Cæsari, aliquò inde evadi. Sibi videri, vt Cardinalis cultus, insigniaque

que

que Legati deponerentur, & mutatis vestibus, relictoque omni comitatu, cum paucis, atque expeditis extemplò se in Galliam proriperent. Hac approbata sententiâ Rebiba regionum nescius, & consilii inops regendum se Commendono permittit. Deposito igitur sacerdotali ornatu, & familiarium sagis, palliisque assumptis, cùm paucis oppido egrediuntur, dato mandato his, qui relinquebantur, vt si quis de Legato quæsisset, adventare eum, & mox adfuturum responderetur. Commendonus ex consuetudine sua omnia percunctandi, & nota loca, nominaque locorum, & qui circa fines, quæ proxima Gallorum oppida, præsidiaque antè inquirendo compererat. Nemo enim eo percunctator curiosior fuit, minutis teneri, quàm quid præterire quod scitu dignum esset malebat. Ad ea ducibus agrestibus hominibus, quos subinde parvâ mercede comparabant, per devia itinera incolumes priùs pervenêre, quàm de fuga eorum resciri ab adversariis potuerit; qua quidem in fuga longè maximum discrimen Commendonus ipse adivit, cùm in densissimis Arduennæ saltibus, prægressis reliquis solus ab via aberrasset, totam enim noctem per tenebras vagatus, ægrè posterâ luce ad socios, de salute ejus vehementer sollicitos, se recepit, atque per
Eburo.

Eburonum, seu Leodiensium fines in Galliam, atque Lugdunum transgressi, inde cum Carolo Carafa ab Henrico redeunte, classe Gallicâ Romam omnes trajecêre.

Ad Venetos, & alios Italiæ principes mittitur.

CAPVT XVI.

INterea Romæ Marco Antonio Columnæ Ascanii filio, quòd occultos domi suæ cœtus adversus Pontificem habuisset, dies est dicta, cumque citatus non adesset, maiestatis damnatus oppida, quæ intra Romanæ Ecclesiæ fines obtinebat, amisit. Hinc exortum inter Pontificem, & Cæsarem bellum, cùm Cæsar non opprimi Columnam suarum rerum interesse diceret, Paulus impediri se in suo iure iniquissimum censeret. Commendonus igitur reversus Romam initio huiusce belli, statim vix tridui quiete concessâ, ad Principes beneficiarios Romanæ Ecclesiæ continendos in officio, ne quis auctoritate, & pollicitationibus Cæsaris abductus de fide decederet, est missus. Quorum Hercules Ferrariensium Dux, etiam in societatem armorum venit, infestumque bellum in circumpadanis locis

Cæsa-

Cæsarianis fecit. Sed cùm maximè omnium cuperet Pontifex Venetos sibi propter civitatis eius opes, ac dignitatem adiungere, tantùm Commendoni industriæ atque fidei tribuit, ut eum potissimùm Venetias mittendum censuerit. Quod quidem Veneto civi ante ipsum côntigit nemini, præterquàm uni Petro Bembo, viro ætatis eius famâ eruditionis præstantissimo: quem Leo Pontifex ab simili caussa Venetias ad Senatum misit. Eaque res Commendono haud mediocri apud cives suos gloriæ fuit, cùm tantis de rebus uni commissum munus, unus Principis latus tegens, cæteris omnibus infra se positis conspiceretur. Quin etiam accidit, ut illis fortè diebus Antonius Trivultius Tolonensis Episcopus, vir apud Insubres claræ nobilitatis, qui tum pari Nuncii munere Venetiis fungebatur, in Cardinalium Collegium à Paulo sit lectus: cuius honoris ornamenta ab Vrbe ad eum missa, Commendonus illi ex authoritate Pontificis tradidit solemnibus in sacris, quibus Princeps, Senatusque celebrandæ rei caussâ intererant, Antoniique ad genua accidentis capiti purpurei galeri insigne imposuit; quod cùm faceret, succlamatum à quibusdam est; Antoni hanc postmodum reddere operam Commendono memento. Ea enim eius erat virtutis fama, ut

passim

passim summos illi honores homines augurarentur. Cæterùm Commendonus usque fere ad exitum belli in ea ciuitate est retentus, ubi sæpe apud Venetos de iniquitate adversariorum, de iniuriis, de insidiis Pontifici Maximo factis, de periculo in quo Romana res versaretur, ac de Hispanorum cupiditate Italiæ Regnum affectantium, gradumque sibi ex subacto Romano Pontifice, populisque eius imperio parentibus ad reliqua, & ad ipsos Venetos struentium, copiosis, crebrisque orationibus disseruit. Et quamquam Venetorum civitas pacis, & otii studiis dedita armorum motus reformidet, Senatusque exactæ senectutis Pontifici haud fidens, temerè in bellum adversus præpotentem Regem non esse sibi descendendũ statueret, tamen ne cadere quidem rem Romanam, & crescere supra modum Hispanorum in Italia opes, non ad se magnopere pertinere existimabat. Commovebaturque Commendoni oratione, affirmantis, nisi Veneti opem tulissent, suaque pro Italiæ salute, & pro Antistite sacrorum, & principe Christianæ Reipublicæ iusta, & pia arma aduersus gentis externæ, & nequaquam vanâ spe omnium libertati imminentis vim opposuissent, oppressum in tanta, tam repentini, nec opinati belli mole Pontificem Maximum, cui si victo

jugum

jugum ab superbo hoste injectum fuisset; id verò non turpe solùm, ac deforme Venetis, qui confugientem ad eorum societatem Pontificem aspernati dicerentur: quod à pietate, & sapientia Senatus alienum esset, sed periculosum quoque, atque adeò exitio proximum fore. Hæc Commendonus cùm apud Patres, tum apud amicos, & propinquos suos graviter, accurateque disserens, civitatem in magnam curam, metumque conjecerat, ne Hispani, gens imperii avida, imparatum aggressa Pontificem subigerent, atque nullo inde pudore reliquarum civitatum libertati vim afferrent. His anxii, cùm neque tutum civitati suæ esse videretur pati in tantum jam propagari Hispanorum in Italia opes, vt omnium rerum vis, ac potestas ad eos perveniret, neque tamen temerè se dubio implicare bello vellent, in præsentia medium sequi consilium placuit. Reconciliatores pacis se ferentes Franciscum Frumentum scribam Reipublicæ cum litteris, & mandatis ad Albæ Ducem, qui pro Cæsare Italicis rebus cum imperio præerat, mittunt. Orant, vt vi, atque armis absistat, neque sacrosanctum Pontificem, quod invidiosum Hispanorum nomini, & à Cæsaris, Regisque filii pietate abhorrens esset, oppugnatum eat: posse de quibus dissiderent

vti-

vtilius, salubriusque per communes amicos componi. In eamdem sententiam litteras in Hispaniam ad Regem dedêre. Videbantur & ad minas, denunciationesque belli, si preces non valuissent, impelli posse, tantus metus incesserat civitatem, ne Pontifex inermis, & impar opprimeretur, protinusque inde ipsi à victoribus peterentur. Sed Carolus Carafa Cardinalis, vbi descendere ab Alpibus Gallorum copias accepit, spe victoriæ perinde ac ipsâ victoriâ inflatus, ac tumens, Venetias ipse excurrerat, Senatumque vrgendo ad capessenda simul arma, atque infestæ gentis spiritus infringendos, persequendosque communes hostes, & Italiâ pellendos hortabatur. Ingentem vim equitum, peditumque invictę juventutis è Gallia adventare, & transgressas Alpes esse, Pontificem ad vltionem sui inflammatum enixè instruere bellum, justumque exercitum habiturum. Accedere Ferrariensium Ducem opportunum distinendo circa Padum hosti; victoriam esse in manibus, magnaque victoriæ præmia: Venirent ipsi in partem, & augendi imperii occasionem elabi sibi ne paterentur. Hæc Carafa elatè, ac magnificè jactabat: Cæterum Senatum, quem metus ex periculo Pontificis ad curam rerum suarum converterat, tantæ ostentatæ vires securum sui

magis,

magis, quàm alieni sollicitum reddiderunt. Itaque accepto, cultoque omnibus honoribus Carolo, & speciosis responsis sine vllo effectu dimisso, ipsi quietem egerunt.

Quomodo è Pauli gratia decidit.

CAPVT XVII.

CARAFA quamquam sensit hac jactatione virium laxatum ab se eum metum in Venetorum animis esse, quem Commendonus studiosè intenderat, & quo vno trahi Senatus in causam posse videbatur, tamen errati sui invidiam in Commendonum ipsum vertit, quem occultè oderat dissimilitudine morum. Nam Commendonus arctiori amicitiâ ejus, vel vltro officiis invitatus abstinuit semper, horrens ingenium hominis mente malî imbutum, ac perditum flagitiorum consuetudine. Vnde obsequii jus obtinere apud eum, quàm gratiæ, & familiaritatis satius duxit. Ergo vitare arcanos aditus, temporaque, & publicarum rerum ministerium, non malorum conscientiam appetere. Si quando imprudens indecoris supervenisset, abire statim, tamquam per reverentiam, adversus eum. Venetiis solemnes post dapes, quibus Carafam

Sena.

Senatorum vnus acceperat, nobilium matronarum cœtum, saltationemque celebraturum, moris civitatis, quàm personæ suæ magis memorem, vnâ ingrediente, & in assentationem ejus hilarè, ac jucundè agente, togatâ comitum turbâ, solus Commendonus reliquit, fictâ sibi discedendi causâ, veniaque impetratâ ab libente, sed occultè irascente, quòd exprobrari sibi quos ille respueret mores, rebatur. Haud ignotum id Commendono, cujus & audita vox inter suos scientem se, ac prudentem labi: sed honesti, decorique amor in juvenis animo ambitione validior erat. Offendebatur quoque Carafa, quòd cùm ipse numquam de Hispanis, Regeque eorum mentionem sine insectatione, & contumelia faceret, furorique eius assentantes plerique assiduè probra ingererent, moderatiùs Commendonus ageret, & quamquam apud Senatum pro Pontificis causa acriter, tamen cum privatis nomen Cæsaris, Philippique modestè, nec sine honore vsurparet; sedare, quàm intendere odia vtilius ad omnia ratus. Carafa igitur Romam reversus frigidè rem actam à Commendono dicere, Hispanorum respectu, quibus occultè studeret. Nec apud Paulum cupidine vindictæ flagrantem atrocius vllum crimen. Itaque rediens Romam Commendonus ad pedis oscu-

osculum admissus, brevi sermone, nec pro pristino amore comiter, atque amanter excipitur à Pontifice. Sensit ille ictum se Carafæ malevolentiâ, quam sponte motam multi spei eius invidentes aluerant, atque incitarant. Sed & fore ita prævideraț, nec remedia quæsivit. Non ipse locum, tempusque aptum alloquendi Pontificem, non per alium purgare se tentavit, tacitus, pacatusque injuriam tulit. Mansit tamen sua illi integra dignitas, neque re, neque dicto minus liberali est violatus. Non ædes in Palatio ademptæ, non victus præberi desitus, ne aditu quidem, atque amicitiâ prohibitus, nisi quòd ipse vltro se rebus subduxit, idque Carafa satis habuit, virum insontem, & secundissimæ famæ, vltrà insectari, aut non ausus, aut non visum. At reliqui fermè omnes, quicumque initio publicis negociis, consiliisque à Paulo admoti fuerant, graviùs perculsi, Palatio alii ejecti, alii carceribus inclusi, in exilium alii pulsi, in quibus & ii fuere, qui maximè Commendono obtrectaverant. Nam Carafa, vt solus omnium rerum potiretur, neminem vllo amicitiæ, aut gratiæ jure pollere apud Pontificem patiebatur, nisi qui ab ipso provecti ejus beneficium agnoscerent. Ita alium alia de causa omnes amovit, in locoque eorum clientes suos sufte-
cit,

cit, homines, quibus nulla Reipublicæ, aut honesti cura, ipsaque in illum fide, non religione, sed vtilitate, ac spe improbâ crescendi ex publicis malis stabat. Vacuus igitur Commendonus publicis muneribus, insperatumque eo tempore nactus otium, avidè studia sua repetiit, opusque antè inchoatum à se de jure Romani Imperii ad Germanos translati, de Pontificum Maximorum potestate, ac de publicorum Conciliorum vi pertexere, atque absolvere est adorsus. Ob id assiduos in Vaticana Bibliotheca vetustos, ac situ, & pulvere obsitos libros excutere, evolvere, totam scrutari, atque eruere antiquitatem, multa librariorum, multa etiam suâ manu exscribens. Per hæc ipsum fermè annum vtilibus, atque honestis studiis cùm transegisset, postremò bona cum Pontificis venia anno insequenti M.D.LIX. ab Vrbe Venetias discessit, inde Zacynthum, ac Caphaleniam, quarum Insularum Episcopus erat, transmissurus. Verùm dum ibi tempestatem ad navigandum idoneam opperitur ad XV. Kal. Septembris Paulus IV. decessit, tertium quidem & octuagesimum agens annum, sed irâ, ac mœrore magis, quàm senio confectus, quòd scelerum Carafæ, fratrumque, vt diu nescius, ita serus vltor extitisset.

De

De Carafa, fratribusque Vrbe pulsis.

CAPVT XVIII.

CARAFÆ Cardinali duo fratres erant, natu major Ioannes Dux Paliani, minor Antonius Marchio Montibelli, vterque titulum per alterius iniuriam adeptus. Diversi vitijs, sed omnes arrogantiâ, & socordiâ pariter odiosi, invisique. Ceterùm discordes inter se, obsidendis patrui auribus, ne quid quod ipsorum scelera proderet, permanare ad eum posset, fraterna concordia, & fides ex mutuo metu. Vni Paulo fictæ probitatis, & innocentiæ speciem præferebant; apud alios certabant flagitiis. Ac falsus simulatione Paulus iis se abutendum permiserat, intentus ipse jubendis novis legibus, queis projectam hominum licentiam frenaret; & domesticæ turpitudinis nescius aliorum ordinabat mores. Vnde pari odio & virtutes ejus, & vitia suorum habebantur. Quæ cum omnem excessissent modum, extitit, qui misereretur Pontificis, alioquin egregii, & publicæ rei percupidi; & in quo, præter asperius adversus repugnantes ingenium, vehementioremque naturam, nihil quod magnopere reprehendi posset, invenires, quando ille in-

tantam invidiam, atque offensionem hominum nullo suo merito adductus videretur. Is quicumque fuerit (nam & in occulto mansit, nec sciri ad rem magnopere pertinet) dicitur veniâ impetratâ, quòd non hæc anteà detulisset, vitam, mores, facinora trium fratrum, ac dedecora domus omnia aperuisse, addito, quantum inde ad bonos offensionis, quantum ad ipsum invidiæ, atque adversæ famæ redundaret. Attonitus ea audivit Pontifex, & vbi haud vana referre viso fides authori fuit, ingenti dolore, atque impetu exarsit, cùm quid potissimùm in eos statueret pudore simul, itaque confuso non satis succurreret, in præsentia misit, qui omnes, quicumque se aliquâ propinquitate contingeret, aditu, & conspectu suo prohiberet, & Senatum in sequentem diem, quia tum nox suberat, vocari jussit. Cùm ventum in Senatum est, gravi oratione priùs de Patrum fide est conquestus, à quibus admonitum se oportuit eorum, quæ contra publicam rem, famamque, & existimationem suam fieri animadverterent. Quamquam ignoscere se alienis dixit, quando à suis tam scelaratè deceptus, ac proditus fuerit. Trucibus inde verbis in eos invectus, Carafam Cardinalem legatione Bononiæ, atque omni publicâ administratione removit; Ioanni milita-

rem

rem ducatum, atque imperium, quod ei totâ Romanæ Ecclesiæ ditione erat, item Præfecturam classis ademit: Antonium, suâ Burgi, & Palatii custodiâ privavit, atque ipsos, & præterea reliquos gentiles, atque affines suos, præter Alphonsum, Cardinalem Antonii filium spectatæ modestiæ juvenem, ante noctem excedere vrbe, & assignata cujusque exilio in oppida abire imperavit; malum minatus, si quis aliquem eorum vllâ re juvisset. Professusque graviora meritos, adjecit vlciscendi sui, ac dignas pœnas à sontibus repetendi palmam successori relinquere. Cum multa in hanc sententiam atrocia plenus iræ, vultu, voce, oculis terribilis intonuisset, (& inerat ei dicendi summa vis, summaque facultas, & gravitas, & trux cùm ira efferbuisset, oculorum obtutus) adeò exterruit Senatum, vt magis nutu, vultuque mitiora Patres precari viderentur, quàm quisquam aggredi sermone auderet. Et Ranutium Farnesium, Cardinalem clementi ingenio, liberalique naturâ, ac præstanti facundiâ juvenem, vnum lenire iram, tegere reos, deprecari tam subitam damnationem, audiendosque, & copiam adeundi patrui aures, diluendique quæ objicerentur, aut clementiam implorandi fratris filiis non negandam differer: orsum responso adeò

sævo pertulit, vt diceret, *Si Paulus III. avus tuus, Ranuti, eâdem severitate Petri Loysii filii sui facinora, moresque coercuisset, non illum fœdum in modum trucidatum, laceratumque Placentini è fenestris in viam publicam proieçißent.* Tum verò ne hiscere quidem audente vllo exilium Carafæ, cæterisque indicitur, denunciaturque, nullam veniæ spem, nisi fortè in obsequio esse. Tum dilabentibus qui assiduè assectari, deducere, observare consueverant, qui fere fortunæ auram, non amicitiæ jura sequuntur, Commendonus, (nondum enim Româ discesserat) quamquam florentium domo pridem abstinuerat, tum labefactos, pressosque omnibus officiis percoluit, maximè Cardinalem, à quo etiam decorum navatæ fidei testimonium tulit: cùm enim eum Vitellius Cardinalis Palatio exeuntem solaretur, & vt fit, bonam habere spem juberet, Carafa versus ad Commendonum, qui ponè sequebatur, dextrâque in humerum ejus injectâ: *Quid*, inquit, *Vitelli, non æquo animo adversa nostra feramus, quando sic tulit? Quem si nos audissemus, numquam hoc scopulo impacti tantam contumeliam subire nunc necesse haberemus.* Ita Carafa Marinum exulatum abiit, cæteri item quò quisque jussus erat. Pontifex ad hæc eorum acta permulta rescidit,

quos

quos ipsi publicis muneribus præposuerant, statim ejecit, tributa, oneraque se inscio ab iis imposita populis sustulit. Nec tamen grata hac in vulgus erant, quia non tam ex beneficentia in alios, quàm ira in suos profecta interpretabantur. Et quamquam illos amotos rebus, punitosque gaudebant, tamen quisque quid sibi timendum esset, quando proximis tam implacabilis fuisset, reputabant. Quantum verò terroris ea severitas in omnes effuderit, id argumentum sit, quòd cùm, fortè ignara rei in Vrbem venisset, eo ipso tempore Poliniani Marchionis uxor, Pontificis ipsius sororis filia, inventus nemo sit, qui eam domo reciperet, quæ ve venerat frequenti comitatu, imbre maximo, totam emensa vrbem, ab singulis Principibus, cum quibus aliquod hospitii jus haberet, exclusa, ad publica diversoria descendit, sed ne ab iis quidem admissa, timentibus cunctis, ne quid contra voluntatem Pontificis facerent, post diuturnum ludibrium remota in Vrbis parte ab caupone omnium ignaro, humili, ac sordido tecto madida, deformisque recipitur. Inde insequenti die primâ luce Neapolim abiit. Et Carafa Cardinalis cùm ab ægritudine animi morbo quoque corporis graviter decumberet, medicosque accitum Romam misisset, nec

ire ad eum, nec ea de re Pontificem appellare quisquam est ausus. Non omittam hoc loco exitum horum fratrum, qui documentum mortalibus esse possunt, quàm incertis casibus humanæ res versentur, & quàm instabili gradu illi nitantur, qui fixam terræ mentem cœlo numquam erigunt. Hi satis amplâ domi fortunâ orti, eâ mox per ruinam partium, quas secuti fuerant, dejecti, diu exules, atque egentes fuerunt, & Carolus vitam mercede militiæ sustentavit. Ad eam inde potentiam pervenerant, vt potiundi Neapolitani Regni spem animo concipere, atque aggredi potuerint, rerumque arbitri quatuor Romæ annos fuerint; tandem à patruo indelebili ignominiæ notâ Vrbe expulsi, quandiu ille supervixit, exularunt. Postremò à Pio IV. qui post Paulum Pontificatum gessit, Carolus, & Ioannes capti, damnatique, ac publici carnificis manu necati sunt.

Finis Libri Primi.



ANTONII MARIÆ GRATIANI

DE VITA

IOANNIS FRANCISCI COMMENDONI CARDINALIS

LIBER II.

Ad Cæsarem, & Germaniæ Principes de Concilio mittitur.

CAPVT PRIMVM.

MORTVO, vt tradidimus, Paulo, Commendonus omisso consilio in Græciam navigandi Romam est reversus,

eo animo, vt successorem sibi in Episcopatu à novo Pontifice postularet. Retinuerant enim eum in Italia sui, nec passi trajicere Zacynthum fuerant. Quid enim longinqua, atque inopi in insula inter paucos, & sordidos Græculos incultam, desertamque ab amicis vitam ageret, vt maris, & navigationis incommoda non extimesceret? Ipse si non eundum sibi, ne habendum quidem Episcopatum statuit. Romæ post quartum demum interregni mensem renunciatur Pontifex Ioannes Angelus Medices Mediolanensis, qui Pii IV. nomen accepit. Ab eo facilè impetratum, vt alius Episcopus Zacynthiensibus præficeretur, arbitriumque deligendi Commendono ipsi permissum, quem etiam honorificâ oratione Pius est prosecutus, virum talem Romæ ad vsus Reipublicæ retinendum ferens. Mansit igitur Romę Commendonus imperio Pontificis non integrum annum. Quo tempore traditis in custodiam Carafa Cardinali, & fratre ejus Palliani Duce, cùm amici quoque eorum, & qui sub Paulo aliquam partem Reipublicæ administrarant, & maximè belli consiliorum participes fuerant, passim alii in vincula conjicerentur, alii fugâ sibi consulerent, ne aut diluere sua, aut aliena prodere crimina cogerentur, Commendono tanta fides innocentiæ, atque inte-

integritatis fuit, vt neque ipse in vllius culpæ suspicionem Pontifici, aut Iudicibus veniret, neque necessitas ei vlla imposita sit testimonio suo cujusquam periculum onerandi. Interea Pius cùm multas Christianæ Reipublicæ partes pravis religionibus turbatas, & præter cæteras Germaniam à Christianis sacris palam descivisse, & gliscere in dies malum, remediumque posci maximè à Pontifice animadverteret, animo sanè ingenti publicum omnium Episcoporum Concilium habere instituit: invitatus maximè opportunitate pacis paulò antè inter Gallos, & Hispanos compositæ. Ita edictis promulgatis, missisque per provincias Concilium Tridentum convocavit. Quam vrbem Paulus, & Iulius Tertii Pontifices Maximi antè delegerant, vt quia Germanorum causâ ea suscepta res esset, eorum quoque commoditati in primis consuli videretur. Est enim intra fines Germanorum in Rhetiis Alpibus sita. Cùm ad ipsos mittere Germaniæ Principes, in quibus aliquot erant magnæ dignitatis, atque potentiæ Reguli, aliquem statuisset, qui eos aut exciret ad Concilium, aut quid spei ostenderetur sanandi mentes tot hæresum labe depravatas exploraret, deligendusque ad id munus vir cùm fide, atque industriâ spectatus, tum doctrinâ, atque eloquen-

tiâ promptus videretur, multi, vt fit, suam ad id operam profiteri, magnisque studijs per potentes, & gratiosos homines apud Pontificem contendere instituerunt. Sed non iudicio solùm, & sermone hominum vni Commendono ea provincia destinabatur, illum parem tali negocio ferentium, qui præter litterarum, & ingenii laudes innocentiâ vitæ, & gravitate morum antecelleret. Sed Pontifex ipse sepositum sibi in hanc ipsam Legationem cum pro aliis petentibus respondit. Vocato igitur ad se, cùm ei suam sententiam aperuisset, litteris, mandatisque instructum dimisit: iussum ante omnes Ferdinandum Cæsarem adire, perlatâque ad eum Pontificis voluntate, eius ad reliqua consilio maximè vti. Commendonus præmissa suorum parte, iussisque per Carnos in Regiam Cæsaris pergere, ipse cum paucis dispositos per equos Tridentum, atque inde Viennam contendit: quò circiter Kal. Ianuarii anno M. D. L XI. venit. Erant apud Cæsarem Pontificis Nuncii duo, Stanislaus Hosius Episcopus Varmiensis, Polonus, & Zacarias Delphinus Episcopus Pharensis, Venetus, paulò antè de Vngaricis rebus ad Ferdinandum missus. Atque is proficisci ad civitates, Regulosque, qui Rhenum accolunt, eosque ad Concilium invitare est jussus, dum Commea-

mendonus trans Visurgim, Albimque interiora Germaniæ peragrat. Cum his communicatis rebus vnà ad Cæsarem postera die deducuntur, à quo Commendonus comiter, benigneque acceptus, litteras ei Pontificis manu scriptas reddidit, easque oratione subsecutus, quæ sibi mandata erant, aptè, & copiosè exposuit. *Summa fuit, Pontificem Maximum occurrendum tot hæresibus, magna in dies incrementa capientibus ratum, postquam & Dei, & cælestium opem, veniamque implorasset, & Regum cæterorum, & ipsius in primis Cæsaris sententias perrogasset, Christianæ Reipublicæ Concilium de integro cogere Tridentum decrevisse, vt discussis, quibus Christiana res in sectas, ac dissidia abit, erroribus, antiquus decor, speciesque, & pax Catholicæ Ecclesiæ redderetur, aut si qui adamatas semel opiniones pertinacius amplecti voluissent, illi à cæteris manifesta animi labe distinguerentur. Quamquam autem omnes vniversè per edictum evocarit, tamen dedisse hoc Pontificem dignitati Germaniæ, suoque in gentem illam summo, ac singulari animo, vt duos Episcopos, se, & Pharensem obire omne Germanicum nomen, & singulos Principes, liberasque civitates ad id Concilium celebrandum, ac de communibus rebus in medium consulendum adhortari iusserit. Quod quo promptius, ac*

sine vllo metu à cunctis fiat, velle, iuberéque Pontificem omnibus tutò veniendi publica sub fide potestatem esse, iusque liberè, atque audacter apud Patres disserendi, quæ quisque de re seu conqueri, seu disceptare, seu rogare Patres voluerit. Petere ergo à Cæsare, vt qui reliquos Reges dignitate præstet, exemplo quoque anteeat, & Tridentum primo quoque tempore Legatos suos mittat, qui non peragendis modò, sed inchoandis quoque rebus adsint, salutaremque hunc Pontificis conatum opibus, auctoritate, consilio iuvet. Cæsar collaudato Pontificis pio instituto, seque in auctoritate ejus futurum semper, neque passurum vllâ re desiderari ab se officium suum pollicitus, monuit Nuncios Germaniæ Principes illos, qui à Catholicæ religionis fide desciverant, postquàm de Pontificis Maximi voluntate habendi Concilium certiores facti sunt, missis inter se Nunciis, locum, diemque statuisse, quo & ipsi de suis rebus convenirent: Diem ad IX. Kal. Februarii, locum Nauburgium Misniæ vrbem ad Salam fluvium sitam delegisse. Quando commodiùs vniversos coactos in vnum ipsi allocuturi videantur, sibi quidem videri, vt eò vnà vterque Nuncius proficiscatur, aut enim moturos aliquid, aut quid spei in singulis sit, certiùs intellecturos; sed leniter agen-

do, mulcendoque animos, pluſquàm caſtigando apud alienatos, atque contumaces profecturos. Se quoque idoneos viros ex ſuis eodem allegaturum, mandaturumque iis, vt Nuncios, remque ſtudio ſè, vt locus dabitur, adjuvent. Verùm inſtare diem, nec Germanos credi diu Nauburgii moraturos, vt ſi in tempore adeſſe velint, ne differendus diſceſſus ſit, & iter maturandum. Pragæ certiora à Ferdinando filio ſuo ſcituros, & conſilium tempori accommodaturos. Quamquam Commendono ea profectio non probaretur, quòd diceret in tali conventu, neque Nunciis adeundi, ac agendi cum ſingulis, & conſilia eorum disjungendi, qua vna viâ profici aliquid poſſe videretur, facultatem, & vnam omnium ſententiam fore, & aſperrimum quemque plurimùm valiturum, tamen cùm Collegis non refelli Cæſaris conſilium, quod ipſi poſcere, & ſequi juſſi eſſent, placuiſſet, ſequenti die Viennâ diſcedunt.

Acta per eum in conventu Germanorum.

CAPVT II.

PRAGAM ſeptimâ die, atque inde hieme ſævâ, atque adeò frigidâ, vt ferri vix poſſet, viâque per Bohemiæ ſaltus maximè

ximè nivibus impeditâ, die quintâ Nauburgium venerunt. Advenientibus nec obvium missum, nec ullum honoris, aut amicitiæ officium, nec omnino hospitale quidquam tributum. Biduo cognoscendis rebus dato, tertiâ die constituunt, ut singulos suæ quisque provinciæ privatim conveniat. Delphinus ad Palatinum, Rheni, Commendonus ad Ducem Saxoniæ (ii quia è septem viris erant, qui jus creandi Romani Imperatoris habent, cæteris præminebant) mittunt, qui adeundi tempus postulent. *Ab utroque idem, responsum, in communi conventu, nihil nisi de communi sententia agi posse, relaturos ad socios, & voluntatem omnium significaturos Romanis.* Decernitur inde in eorum consilio privatis colloquiis in re publica opus non esse: & verba Legatorum ab adversariis venientium omnibus coram esse audienda. Ab hoc decreto mittunt cum militum cohorte, quam Saxo ad custodiam corporis habere circa se consuevit, primos amicorum, qui Nuncios in curiam deducant. Illi quamquam id quidem minimè voluissent, tamen recusare non ausi, ne si ab his exclusi forent, ab nullo deinde Germanorum satis benignè acciperentur, ire porro, & alloqui universos statuunt. Curru vectos, Germani, qui ad deducendum eos venerant, pedibus,

bus, quod honoris est, antecesserunt, & Principes ingredientibus ad se omnes assurrexêre; non tamen illis dextras ex more gentis porrexerunt, qui mos apud Germanos, sicuti servatus amicitiæ pignus habet, ita prætermissus non dubium est alieni, atque aversi animi argumentum. Nuncii litteras Pontificis edictique exempla singulis reddiderunt: vbi consedêre, prior Delphinus omnia quæ edicto continebantur, de voluntate Pontificis, de studio, atque consilio medendi tot morbis, quibus Christiana Respublica ex mota semel religionis fide laboraret, est persecutus. *Tum eius excipiens orationem Commendonus admonuit Germanos temporis ad sacrum celebrandum Concilium peropportuni, reconciliatâ nuper inter Gallos, atque Hispanos gratiâ, & pace constitutâ inter duos opulentissimos Christiani nominis Reges, & eo nobis Pontifice ad regimen divinarum inter homines rerum dato, qui curas, & cogitationes suas huc omnes contulerit, vt pietas, cultusque Dei purus, sanctus, inviolatus habeatur, custodiaturque, & si quid negligentiâ irrepsit in publicas ceremonias, quod alienum à dignitate Christianæ fidei videatur, id verò antiquari, atque abrogari velit, ac præterea corrigi, emendarique, & ad veteris disciplinæ normam restitui, quidquid in hominum moribus*

bus à maiorum nostrorum sanctissimis institutis deflexißet. At cùm Christianos omnes gaudere huius celebratione Concilii, quo pristinus Ecclesiæ decor, & moribus pudor reddatur, debere, tum verò ab his accipi animis libentibus, qui sive errore decepti, seu callidâ quorumdam sacrarum litterarum interpretatione inducti, se ab aliorum sententia, placitisque seiunxißent. Cùm enim nostra omnium salus verâ de cælesti numine opinione, atque fide maximè contineatur, nec fides esse vera, nisi vna, possit, eaque non à singulis pro cuiusque libidine animi diiudicari; sed ab vniversis ex cælestibus iussis constitui debeat, an vsquam meliùs, certiusque exquiri, aut dilucidiùs explicari veritas queat, quàm vbi ex omnibus gentibus coacti doctissimi mortalium convenêre? Vbi à sacratis viris nihil nisi rite, placatoque per preces, & sacrificia Deo incipitur? Vbi omnia divino instinctu, afflatuque aguntur? Nec verò vltrà cunctandum, differendumque remedium esse; prolabi enim, ac ruere quotidie in deterius rem, divinos monitus, præceptaque detorqueri, perverti, depravari ab ambitiosis novarum rerum auctoribus, quos dum nescia sui multitudo suscipit, favoreque tollit, infirmari vim legum, & ipsa convelli fundamenta religionis, quæ quanto periculo moveantur, non necesse esse apud expertos memorari.

Neque verò Christianam esse religionem inventu hominum comparatam, sed cælitus traditam nobis, ac præsentis ore Dei institutam, vt eam arbitrio subjicere, attrectare, minuere, sensui suo accommodare mortalis nemo possit, quin idem se, & gravissimo piaculo, atque inexpiabili fraude in perpetuum obstringat, & erroribus inexplicabilibus, turbulentissimisque involvat. Quippe sacrorum dicta librorum, si quisque pro captu ingenii sui interpretetur, idque verum sit, quod cuique probabilius visum fuerit, tum quot capita hominum tot fore de divinis rebus sententias. Ab tali arrogantia, ac vanitate longè sanctos illos abfuisse viros, qui, quæ à præsenti Deo acceperant, nobis tradiderunt, traditaque capite, ac sanguine suo sanxerunt; nam Divos Paulum, & Barnabam, vt Lucas rerum ab Apostolis gestarum scriptor memoriæ prodidit, de controversia inter Christianos tum fortè Alexandriæ orta de Moysis legibus, nihil ausos statuere, Hierosolymam petiisse, ac rem ad Concilium Apostolorum retulisse, decretoque eorum paruisse. Hinc nostram à primordio sui vniusmodi de cælestibus fidem, immutabilemque manere, aliorum variam, multiformem, nec vsquam firmè consistentem esse. Nempe Dei cultum, ac religionem, quæ verâ sanctitate nitatur, vsu, & consensu augeri, ac propagari, mo-

raque,

raque, ac tempore stabiliri. Hominum commenta, quæ tantùm novitate placent, atque impetu pollent, diuturnitate vanescere, & extingui. Quot his paucis annis opiniones summis vulgi studiis acceptas cum ipsis auctoribus consenuisse? Quot quotidie exoriri novas, aut veteres, & pridem explosas, atque obsoletas revocari? Ecquis in tanta licentia, atque impunitate modum audaciæ statuat, ne ad vltimum impietatis provolvatur? Etenim quibus tam varii, ac diversi ritus, & modò hæc, modò illa sacra, ac semper prioribus rejectis novissima maximè placeant, iis brevi nulla fore. Tollenda igitur hæc dissidia, tantumque coalescere, atque hærere in Republica malum non sinendum, quod & Dei in nos iram irritat, & si invaluerit, distracturum, ac debilitaturum rem Christianam, & Turcis veris, & internecinis Christiani nominis hostibus, & iam pridem ab sua immani potentia, nostraque infelici discordia in omnium cervices imminentibus, aditum ad communem perniciem patefacturum. Proinde mitterent Legatos, & de quo vel minùs liqueret, vel ab aliis dissentirent, conditorum nostrorum exemplo ad publicum Concilium referrent. Magis hæc cum silentio audita sunt, quàm quidquam movere Germanos, quos in eum locum ad confirmanda, & renovanda inter se fœde-

ra contraxerat, non cura concordiæ, aut religionis, sed metus, ne quo Regum consensu vis eis pararetur, armisque, ac bello parere Concilii voluntati, iussisque, & rapta Ecclesiis restituere, atque ad auctoritatem Pontificis redire cogerentur. Nunciis orantibus, multi è Germanis Principibus, qui in consilio ex more aderant, singula verba excipientes, vtriusque orationem perscripserunt. Ac tum quidem non alio responso accepto, quàm deliberaturos de postulatis eorum Principes, domum iisdem comitantibus Germanis, à quibus anteà deducti fuerant, redierunt. Vix horæ vnius spatium intercessit, cùm missi à Principibus tres viri eorum, quos ipsi, quia publicarum rerum participes, ac ministros habent, Consiliarios vocant, aduenêre: introductique litteras, quas Nuncii à Pontifice Maximo singulis Principibus reddiderant, ad eos retulerunt, his totidem ferme verbis vsi. *Principes, cùm has litteras eis redderetis, appellatos se filios à Romano Pontifice non adverterunt, quem quia ipsi parentis loco non habent, ne litteras quidem tali cum appellatione accipere ab eo voluerunt. Responsum à Commendono est, Non aliter appellatos à Pontifice Maximo Germanos Principes, quàm quomodo Cæsar ipse, cæterique Christiani Reges, & Principes nuncupa-*

cupari ab eo consueverunt. Illi positis litteris abiêre. Nunciis quamquam reiecta legatio videbatur non acceptis Pontificis litteris, ex quibus fides dictis eorum habenda erat, tamen quia illi edicta de Concilio retinuerant, opperiri paululùm rei finem placuit. Germani remissis epistolis, ac lectis edictis de responso consultant, sententiasque alius alio ferociùs dicunt; nam quo quisque asperiùs, & contumeliosiùs adversus Romanos loquebatur, eo plus laudis ab aliis, & gratiæ ferebat: audiebaturque vt vsurpatorum sacrorum, & Germanicæ libertatis vindex. In quibus acerrimum fuisse Christophorum Virtembergensium Ducem accepimus, qui præter insitam Germanorum ingeniis ferociam, magnas possidebat opes ademptas templis, vnde iustos dominos exturbarat, ac supra centum millium aureorum vectigal sibi ex illa rapina confecerat. In eadem noxa & cæteri ferè Principes erant: sed Cristophorus eo infensior nobis, quo plura eripuerat, increpare confidentiam Pontificis eos ad Concilium evocare ausi, & tentationem eam esse dicere, vt si molliri, si flecti leni, ac subdolâ oratione se patiantur, mox graviora moliatur, donec aut vi, aut dolis eos sub antiquum jugum servitutis redigat. Ex hujus maximè sententia, & repudiatæ litteræ

teræ Pontificis fuêre, & quæ inde contumaciter responsa sunt, composita.

Principum Germaniæ ad Pontificis Maximi Nuncios contumeliæ plena oratio; & Commendoni responsio ad eos.

CAPVT III.

TRIDVO igitur pòst expectantibus Nunciis, vt ad accipiendum responsum in Conventum vocarentur, decem ad eos Consiliarii primarii homines magnâ comitum frequentiâ missu Principum venêre; inter quos dignitate præstabant Misquitius quidam, & Gregorius Cracovius, amicorum intimi, ille Palatini, hic Saxoniæ Ducis. Omnes à Nunciis summa cum comitate, atque benignitate appellati, atque accepti cùm essent, Cracovius vir multarum linguarum peritus, nec ignarus dicendi, ita Latinè infit. *Magnopere mirantur Germaniæ Principes quâ tandem de se opinione, aut spe fretus Romanus Pontifex eorum tentare constantiam, & se compellare legationibus sit ausus: cùm incredibile sit, ignorare eum quæ ura sacrorum sancta Germanis, quam de divinis rebus infixam animis fidem habeant ab eo tempore, quo eam scriptam, firmatamque, & comprobatam illustribus sacrarum*

rum litterarum testimoniis Carolo V. Cæsari triginta abhinc annis Augustæ tradidêre. Sed neque tum temerè, aut levibus de caussis fecêre, vt à Pontificum ditione, ac potestate, cui parere antea assueverant, desciscerent, quando non IESV CHRISTI nomen, aut gloriam propagari, curarive ab iis, sed propriæ potentiæ, atque amplitudini studeri didicerant. Neque nunc sibi statuunt Pio IV. ad Concilium vocanti obtemperandum, penes quem ne esse quidem vllum eius rei arbitrium sciunt. Etenim auditu etiam indignum est, eum disceptatorem aliorum controversiæ, ac discriminum statui, qui ipse discordiarum, ac dissensionum omnium fons, & origo sit, & in Iudicis sedere loco eum, quem maximè sisti ad iudicium, inter reosque haberi convenit, & à quo vno veritas ipsa tam diu tam immaniter oppugnatur. Cui enim obscura sunt Pontificum Romanorum studia committendi assiduè armis inter se nationes, dissidiaque serendi, quò ex aliena pernicie suas ipsi opes, & potentiam augeant? Cui non nota insectatio, ac sævitia adversus eos, qui à cultu ipsorum, atque inanium idolorum ad veram pietatem animum traduxerunt? Quis verò nescit quantum contaminatæ superstitionis, ac falsarum opinionum dispersum per gentes sit à Romanis Pontificibus; quantum tenebrarum Evangelii luci offu-

offusum, & nunc maximè offundatur? vt tetriores, ac fœdiores errores ferat, foveatque vester iste Pontificatus, quàm olim ante cognitum Christum gentes habuêre; & quod detestabilius est, res impias, & execrabiles honestis nominibus tegitis, & morum, & sacrorum corruptores, vni sacratarum legum auctores, & custodes haberi vultis. Nos verò cùm ipsi cupimus, tum in omnibus esse populis non dubitamus probos, & Reipublicæ amantes viros, qui vanas istas fraudes, & impuras corruptelas, quibus deformatam Ecclesiam cernimus, aboleri, auferrique cupiant, & veram, & cum cælestibus iussis consentientem disciplinam restitui. Quod sanè in primis curæ esse debuisset Romanis Pontificibus, qui sibi tot sæculis superbum in Christiana Republica titulum, summumque sacrorum ius arrogarunt. Sed nimirum constat eos id quidem minimè velle, qui vnâ dominandi libidine occupati, cumulandis superstitionibus, quàm divinis rebus ordinandis magis intendunt. Falsò præterea, & iniquè Germani levitatis à vobis insimulantur, & sibi non constare, pluresque in sectas divisi contrariis, & repugnantibus opinionibus iactari dicuntur, cum vna nostrorum omnium voluntas, & consensio sit in eam doctrinæ formulam, quam scripto comprehensam Augustæ ex auctoritate Cæsaris edidimus: ab

ea

ea nostri Principes neque se discessuros vnquam profitentur, & minimè verò leges imponi sibi à Romano Pontifice passuros. Nullius enim mortalium, nisi Cæsaris imperio Germani continentur, quippe hic arbiter, ac princeps, & caput rerum est in Christiana Republica, huic, non Pontificibus vestris, iusta, & legitima Concilia cogere, atque habere ius est. A quo cùm Legati ad Conventum hunc venerint, iis suam de convocando hoc tempore Concilio rationem, at sententiam Principes exproment, cum Romano Pontifice omni rerum communicatione in perpetuum sibi abstinendum esse statuunt. Vos verò iidem Principes, quia claris Venetorum familiis ortos, & egregiis virtutis, ac sapientiæ laudibus excellentes esse viros acceperunt, omni quoque honore, & observantiâ dignos iudicant, præstitissentque ea vobis, si privati huc, non Pontificis Romani iussu ad eos venissetis. His acceptis Nuncii pauca inter se collocuti, non tacitis ea esse ferenda statuunt. Tum Commendonus: *Fecêre*, inquit, *prudenter vestri Principes, qui quando talia responsuri erant, absentibus ipsis ea, quàm coram dici à vobis maluerunt. Quò enim acerbitas ista, ac licentia verborum adversus eos, qui ad suum testandum studium Reipublicæ, vestrumque in vltimam vsque Germaniam venire nos iusserunt? Scilicet*

hunc

hunc quoque morem à Doctoribus, ac Magistris vestris didicistis incessendi contumeliis, invidiaque onerandi eos, quorum redargui rationibus, ac veritate revinci vos sentitis, cuius tamen ea vis est, vt maledictis illustretur, non obruatur. Cæterùm ego dicta criminosè à vobis in Pontifices Maximos refellam, non imitabor, vt vos modestiâ quoque, & temperamento linguæ, non solùm causâ vinci à nobis intelligatis. Quo animo, & quo consilio Pius Pontifex Maximus vocatum Germanos ad Concilium miserit, dictum abundè à Collega, meque est nuper apud ipsos Principes; optimo scilicet, & cùm publicæ, tum in primis Germaniæ salutis cupido; licèt id vobis, vt cætera, suspiciosè, criminoseque libeat interpretari. In sanandis enim Ecclesiæ morbis, nec iustius aliud, nec vsu compertum est salubrius, vllum remedium, maiores nostri adhibuerunt, quàm auctoritatem publici Concilii, cuius tanta maiestas, sanctitasque apud omnes Christianos omnibus temporibus fuit, vt eius iussis haud secus, quàm cælestibus monitis paruerint homines, ii etiam, qui aut proprio mentis errore, aut alterius impulsu lapsi, ab aliis discreparent. Quoties enim accidit, vt ægrè, ac gravi, ac pestilenti hæresi laborantes provinciæ, Concilii auctoritate acceptâ ad sanitatem, officiumque redierint? Et quis adeò proiecti

pudoris est, qui plus sapientiæ, plus consilii vindicet vni sibi, quàm tribuat vniversis? Et adversari consensui eorum audeat, quos Deus nobis interpretes religionum, & sacrorum magistros dedit, & quibus ipse præsentiam sui in perpetuum est pollicitus, & sæpe manifesto numine declaravit? At vos etiam de exemplo, ac de iure Concilia convocandi, habendique dubitare, & cavillari vultis? Vnde verò vobis venit in mentem hanc potestatem à Pontificibus Maximis, penes quos ab Ecclesiæ ortu, Dei, hominumque concessu fuit, perpetuaque mansit, ad Cæsares transferre, qui nec vsurparunt vnquam ut suam, & Ferdinandus ipse ad quem vos scilicet eam defertis, non recipit? Quippe discrimina sui, & Pontificis muneris, & novit ille, & qui vir est antiquæ sanctitatis etiam servat: ea autem quæ sint, non est huius loci disserere, neque omnino res vllum sermonem desiderat, cùm obscurum nemini sit, quâ fide, & observantiâ, & optimus quisque Cæsarum Pontifices Maximos coluerit, & Ferdinandus colat, & quàm ipse paterno animo, atque amore à Pio Pontifice habeatur. At ne illud quidem est ignotum, quàm propensa Pontificum Maximorum studia in Germanos semper fuerint, quantaque ornamenta in hanc gentem contulerint. Vnde enim vobis Cæsares? Vnde Imperii hoc decus, & ius Impera-

peratoris eligendi, quo cæteris nationibus præfulgetis? An igitur Pius IV. Pontificum aliorum vestigia secutus, & officii, ac personæ memor, quæ illi divinitus est imposita parentis, & rectoris humani generis, si errantis Germaniæ curam habet, si monitum vos, si patriâ charitate revocatum à pravissimis erroribus, invitatumque ad Concilium nos misit, quorum tamen dignitati tribuere vos aliquid videmini, id ei audaciæ vertetis? mirari vos dicetis? Videre vel hinc licet, quàm à recto maiorum vestrorum more, ac voluntate descivėritis. Illi dubiis, aut incommodis eorum rebus nusquam aliò fidentiùs, quàm ad Pontifices Maximos refugerunt. Vos Pontificem vltro admoventem vulneribus vestris manus, iniqua cum exprobratione repellitis. Revocandi autem veterem disciplinam, ad eamque corruptos hominum mores emendandi curam ad Pontificem Maximum pertinere, quod obijcitis, & nos fatemur. Atque id quidem Pius IV. statim ac est Pontifex renunciatus, enixè, ac studiosè facere est aggressus, & nunc impensiùs in idem opus incumbit; & quia magni negotii res est, quo absolutiùs, perfectiusque conficiatur, omniaque, quæ vbique sunt, incommoda comprehendat, vniversèque ad omnes permanet, de Concilii ipsius sententia, & ex consulto Patrum sanciri, constituique voluit, idque

vobis ignotum esse non debuit, cùm & edi-
cto contineatur, quod legistis, & quæ Ro-
mæ aguntur, perferri ad vos quoque potue-
rint, nisi capere cuncta in deterius, & ho-
nesta, rectaque nescire, & tantùm secus
facta reprehendere, atque insectari liberet.
Et quid ego nunc illam orationis vestræ par-
tem refellam, quâ nobis superstitionis cri-
men, si Deo placet, & obscurati Evangelii
invidiam, maculamque infligere, odio ve-
ri, ac libidine maledicendi occæcati, non
estis veriti? Quibus gloriari liceret nullâ re
æquè Romanam Ecclesiam cæteris Christia-
nis populis, quàm Evangelii propagatione,
custodiâque præstitisse, nisi à consuetudine
nostra abhorreret, aliter, quàm in eo glo-
riari, cuius cælesti numine hæc orbi terra-
rum salutis, & beatitudinis lux effulsit. Sed
profectò constat omnibus antiquitatis monu-
mentis veteres illos Patres, qui maximè
sanctitatis, & doctrinæ laude floruerunt,
Christianamque pietatem pariter moribus,
atque ingeniis illustrarunt, ab usque Apo-
stolorum memoria, vt quæque res dubia,
aut difficilis explicatu incidisset, Romanam
Ecclesiam consulere, eiusque responsis haud
secùs, quàm divinis oraculis stare consue-
visse. Possem ego, ad quamcumque terræ
plagam me verterem, percensere Reges vlti-
marum quoque gentium, nationesque, quæ
sacrorum iura petitum Romam misere. Pos-
sem

ſem & innumerabiles hominum multitudines, Pontificum Romanorum curâ, atque illius Eccleſiæ ſtudio ab impiis falſarum religionum ludibriis, quibus captas mentes habebant, ad Chriſti veri Dei cultum traductas commemorare, cùm nulla Chriſtiana provincia ſit, quæ aut acceptæ, aut conſervatæ Catholicæ religionis gratiam Romanæ Eccleſiæ non debeat. Sed vt alios mittam, (neque enim mihi apud vos agenti aliena exempla conquirenda ſunt) quæro à vobis, vnde Chriſtianæ religionis, fideique primum nomen Germani audiveritis? Vnde magiſtri pietatis, vnde Euangelii ipſis lumen, diſciplinaque ad vos peruenerit? An inficiari poteſtis, quòd Chriſtiani ſitis, quòd barbaras ſuperſtitiones exueritis, id ſecundùm Deum beneficium eſſe Romanæ Eccleſiæ? Ab hac prima Chriſtianæ pietatis ſemina iacta in vobis ſunt, ab hac ſacrorum ius, & Dei rite colendi, ac de diuinis rebus verè, recteque ſentiendi tradita ratio eſt, à qua ſummo iſto imperii, & maieſtatis honore præ cæteris gentibus aucti, atque decorati eſtis. Ab hac vos Eccleſia, quæ beneficiis meruit, vt parentis maieſtatem apud vos obtineret, poſtquam gratiæ obliti deſciuiſtis ab hac veritatis, ac fidei regula, ad quam omnes, quæ rite Chriſtum Deum venerantur, gentes, ſuas de diuinis rebus rationes ſemper direxerunt, poſtquam declinaſtis,

& quod vnum rectum est ad cælum iter reliquistis, in quos, Deus bone, & quàm deuios anfractus deflexistis? quibus vos erroribus implicuistis? quibus mentes vestras tenebris mersistis? At etiam iniquo animo ferri à Principibus vestris nuper dicebatis, quod nos variâ, ac multiplici religione agitari, impellique Germanos vobis adiecimus, idque inficias ire verecundia non fuit. An potest clarius, an euidentius esse quidquam vestris inter vos de tota cælestium rerum, ac diuinarum ceremoniarum ratione dissidiis, & concertationibus? Vna est vestrûm omnium consensio, & conspiratio aduersus nos, Ecclesiamque à qua defecistis; cætera nihil dissimilius, nihil disiunctius, nihil discrepantius. An verò id non testatum omnibus? An non omnis referta libris Germania est, contraria, & pugnantia docentibus? An adeò hebetes nos, ac rudes Germanicarum rerum esse putatis, ista vt ignoremus? At Lutherus quidem ipse, Paulus alter, vt vos vultis, qui præceps se ex Ecclesiæ naui in mare deiecit, à quo iactata à vobis Augustana formula conflata est, quando sibi, aut in quo satis constitit? An istam ipsam formulam non quotannis quamdiu vixit, commutatam, diuersasque in sententias contortam edidit? An qui posteà ipsum secuti sunt, non æquè licenter trahendo eam, quò cuiusque libido rapuit, to-

tam

tam aliam fecerunt? Sed quot iam rixæ inter vos de dictis, sententiisque Lutheri? Et quotus quisque est, qui quæ placita illi sunt probet? Quot Melanchthon? Quot Oecolampadius? Quot Zuinglius? Quot denique Calvinus trahit? Quot alii sexcenti, qui omnes de summis rebus à Luthero, atque inter se dissentiunt? Non modò civitas, aut municipium; sed ne domus quidem in Germania est vlla horum certaminum expers. Cum viro vxor, cum parentibus liberi de fide sacrorum, de diuinarum litterarum intelligentia altercantur. Fœminæ, pueri in circulis, in cauponis, inter pocula, ludosque, quod miserandum est, de religione constituunt. A vobis denique ipsis hoc ipso in Conuentu, quanto laboratum est opere, vt aliquam vniusmodi mentis speciem præferre possetis? Quod assequi tamen nequiuistis: scilicet, vt discrepare inter se vera, ita coniungi, & conuenire falsa non possunt. Et quantò quis ab Ecclesiæ portu magis recedit, quantò longiùs à vera, stabilique fide in errorum veluti pelagus prouehitur, tantò cæcioribus fluctibus iactatur, fallacioribusque opinionibus inuoluitur. Quin vos ipsa varietas, inconstantiaque Doctorum vestrorum reuocat aliquando ad cogitationem veritatis, quæ simplex, neque plus una est? Quin imitamini Pauli Apostoli exemplum, ad nostram

eruditionem memoriæ proditum? qui cùm nihil, nisi diuino spiritu afflatus ageret, diuinitusque traditam sapientiam haberet, ut labi, atque errare nullo modo posset, tamen diuinitus item admonitus de re, quæ iustam dubitandi causam habere aliis videri poterat, ad Apostolorum Concilium retulit, ne fortè, ut Lucas inquit, in vanum curreret, aut cucurrisset. Sed hæc vos videritis. Pontifex quidem Maximus pio, piique parentis officio adversus vos functus, omnique nixus studio, ut deuiis quoque, & contumacibus filiis salutem redderet, iure vobis, ac omni Germaniæ exprobrabit illud Euangelii, Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina convocat pullos suos sub alas; & noluisti? *Quæ autem postremò honorificè de nobis ipsis dixistis, pro priuato Principum erga nos studio, priuatas quoque gratias iis à nobis referre vos iubemus. Cæterùm ea nos non aliâ re deberi nobis, quàm eius à quo missi sumus nomine, profitemur.* Hac à Commendono habitâ oratione, Germani nullo dato responso discesserunt, variè pro cuiusque ingenio dicta Nuncii accipientes; pars veritate perculsi taciti ingemiscere, fremere alii, ac indignari, ea dicere tam celebri loco ausum. Et mox conventus ipse dissolvitur, renovatis fœderibus, & constituto, vt neque ipsi mitterent ad Concilium,

lium, & metum iniicerent Germaniæ Episcopis, ne à custodia rerum suarum abscederent. Actum inter eos magnis certaminibus est de conciliandis opinionibus, quibus diffidebant Palatinus, qui totum Calvinum amplectebatur, Lutherique explodendi locum quærebat, vt ad Augustanam formulam Melanchthonis quoque apologia adderetur, contendit: eo enim libro Melanchthon paulatim à Luthero, cui in docendi munere successerat, deflectens, viam ad Calvini disciplinam aperuerat. Alii item alia adscribi demissè Augustanæ formulæ, vt cuiusque rationibus conducere, aut ingeniis aptiora esse videbantur, postularunt. Id cùm alii indignè ferrent, res in magnam est altercationem adducta. Et Ioannes Federicus Vemariensium Dux, Friderici illius filius, qui à Carolo V. armis victus, septemvirali dignitate privatus fuerat, susceptum familiæ suæ inde ab initio Lutheri patrocinium tuendum sibi existimans, quamquam Palatini filiam in matrimonio haberet, tamen adeò soceri auctoritatem non est reveritus, vt palam eum Calvinianum, & Augustanæ formulæ desertorem appellarit, protinusque se concilio proripiens in suum regnum abierit. Quæ res actionem illam, & consultationem omnem abrupit. Nuncii cuncta ordine Romam

ad Pontificem perscripserunt, ubi maximè probata ab omnibus Commendoni oratio est, quâ contumaciam Germanorum tam licenter in Romanam Ecclesiam insultantium, egregiè retudisse est visus. Cùm enim aptè ad rem, vereque, tum moderatè simul, ac fortiter, & prorsus pro maiestate Romani nominis locutum prædicabant. Nos exitum, actaque in eo conventu paulò fusiùs tradidimus, quia & celebris res fuit, nec scitu iniucunda, & veriùs differi, quàm à nobis, qui omnibus rebus interfuimus, à nemine posse est visa.

De reliquo eius per Germaniam itinere.

CAPVT IV.

NVncii Naumburgio profecti ad reliqua obeunda digrediuntur. Commendonus Saxoniam intrat, fide priùs ab Augusto Duce acceptâ per regni sui fines tutò transeundi. Is erat Augustus non immiti vir ingenio, & fessus tantâ sectarum varietate, nascentium quotidie, atque intereuntium, aliquam gratiæ, ac pacis cum Pontifice reconciliandæ rationem iniri cupivisset; sed in discordia, ac defectione audacissimi, atque infestissimi cuiusque, valentissima semper auctori-

tas

tas est. Tum improbi, ac turbulenti furore, sapientes necessitate reguntur. Altera, quàm à Naumburgio profectus est die, Lipsiam venit; inde Halam, vt ibi Archiepiscopum Magdeburgensium conveniret. Is erat Ioachimi Brandeburgii septemviri creando Cæsari, quos Germani à munere Electores appellant, filius: sed eo non invento Berlinum ad Ioachimi ipsius Regiam perrexit, Albi flumine ad Vitembergiam traiecto. Oppidum Lutheri furore, & Caroli V. victoriâ, & Federici Saxonis, & Lantgravii clade nobilitatum. Ioachimus Alberti patris curâ in fide Romanæ Ecclesiæ diu retentus, post mortem inde patris, temporum illorum procellâ abreptus se hæreticis adjunxerat. Sed tamen ex ingenio suo multa retinuerat de pristinis sacrorum ritibus, multa item ex disciplina Lutheri respuerat. Advenientem Commendonum perhonorificè hospitio accepit, coluitque omnibus humanitatis officiis, plura vt ne à Catholico quidem præstari potuerint. Cùm eadem apud illum Commendonus, quæ Naumburgii dicta ab se, Collegaque de Concilio fuerant, disseruisset, responsumque pro catera benignitate ejus accepisset, quo magnum pacis, & compositionis studium declarabatur, ac de Pontifice, & Romana Ecclesia

mentionem numquam sine honore vsurpasset, cupientem deinde discedere, aliquot apud se dies precibus, & comitate retinuit, quotidie plures cum eo horas consumens, vt numquam nisi ægrè à colloquio, ac sermone ejus avelli videretur, viri ingenio, atque eruditione, vt ipse ferebat, delectatus: inerat enim Commendono gravitas, & facundia par, & mira rerum variarum notitia, & serius, atque efficax sermo. Itaque non difficile ei fuisset Ioachimum ab illo errore, in quem credulitate lapsus erat, ad Ecclesiæ fidem reducere, fatentem jam ignota sibi fuisse multa, quæ Commendonum disputantem audierat, nisi suorum auctoritas eum continuisset. Nam Germaniæ Principes omnes ipsi doctrinæ, omnium exterarum rerum, morumque expertes, mirum quàm se plerumque iis credunt, quos sibi in consilium asciverunt, scientiâ juris, aut industriæ opinione commendatos. Ii Ioachimum deterruêre, ne orationi, cohortationibusque Commendoni assentiretur. Ab eo profectus Brunsvigiis, Lunemburgiis, cæterisque regionis ejus Regulis, Episcopisque conventis, ad Rhenum per Vestphalos iter vertit, visis circa Paderbornam campis, saltibusque Variana olim clade, & Arminii victoriâ claris; quæ loca adhuc post tot sæculorum

ſpatium à Germanis cum gloria, & oſtentatione majorum ſuorum virtutis monſtrantur. Sed ingenti dolore animi circumiens Saxoniæ vrbes afficiebatur Commendonus miſeratione tot populorum à propria ſalute aberrantium, atque impiâ paucorum fraude tantis ſeſe erroribus, ac exitiabili ſuperſtitione obligantium. Nec tenere lacrymas poterat, aſpiciens tot monaſteria, quæ ſanè frequentia per omnem Germaniam immanibus ædificata ſumptibus viſuntur, tot templa magnificis ſtructa operibus, monumenta veterum pietatis, alibi ſpoliata, deſertaque miſerabiliter ſquallere, alibi prorſus diruta, ac vaſtata eſſe, quibuſdam etiam locis non in profanos modò, ſed etiam abominabiles canum, atque equorum vſus haberi, vt quibus altaribus ſacrificia Deum propitiantia fieri antè conſueſſent, iiſdem iumentorum præſepia locarentur; tantus in quibuſdam furor, tanta inventa rabies eſt. In Vbiis apud Agrippinenſem Coloniam, vrbis ejus Archiepiſcopum, atque inde bidui itinere adverſa progreſſus ripâ ad Confluentem Moſellæ, Rhenique, Trevirorum item Archiepiſcopum adiit; eſt enim vterque è ſeptemviris, qui Cæſarem creant. Tum navigio exceptus ſecundo flumine ad Oceanum vſque provehitur, tantùm ex itinere ad Cliveſem

Regu-

Regulum digressus. A mari Bruxellas petiit, conventâque ibi Margaretâ Philippi Regis sorore, quæ cum imperio iis gentibus præsidebat, in Eburones ad Leodiensem Episcopum transiit. Vnde eum haud parvi initium motus in Brabantiam (ea Belgarum regio est) revocavit. Lovanium est ampla, ac nobilis gentis ejus vrbs, in quam studiorum, ac litterarum causâ magnus è totis Belgis, circumjectisque Provinciis adolescentium numerus convenire solet. Ac tum doctissimis hominibus divinarum rerum, & sacrarum litterarum interpretibus florebat. Inter hos quæstio, ac dissensio magnis orta de rebus distraxerat civitatis studia, vehementerque accenderat iuvenum animos, vt non modò in scholis palam pro sua quisque sententia contenderent: sed scriptis quoque, librisque placita tueri parabant; quæ res alienissimo tempore novum datura incendium, aditumque hæreticis ad perturbandas Belgarum res factura videbatur. Eò accersitus Commendonus vocatis ad se, qui vtriusque factionis capita erant, quà comiter appellando, quà leniter castigando, & de rebus ipsis, quæ in disceptationem venerant ex vsu disserendo, erumpentem illam flammam repressit, neque destitit, donec auctores quoque dissidij in gratiam, concordiamque

que

quereduxit. Quæ res non parvam illi famam, atque existimationem adiunxit; quippe quos non Magistratus auctoritas, non imperium Præsidis revocare à pertinaci contentione potuerat, vnius viri prudentia, aptusque mulcendis, tractandisque eorum animis sermo, ad pravam æmulationem deponendam pertraxerat. Hac re perfectâ, Pontificis Maximi litteris ad Daniæ, ac Sueciæ Reges vltimas Germaniæ, ac Septentrionis oras incolentes, proficisci, atque eos invitare ad Concilium iubebatur. Nec ille moram sibi ad proficiscendum fecit; properans difficillimum iter antequàm exiret æstas conficere, ne hyeme in frigidissimis regionibus deprehenderetur. In Holandiam cùm transisset, conscensâ apud Amsterdamiam navi, Oceani sinum, cui incolæ Zudersee nomen dixêre, sævâ vexatus procellâ traiecit, atque inde per Frisios in Saxoniam, ac Lubecam, nobile ad Balticum mare, oppidum venit. Certos hinc homines ad vtrumque Regem misit, & priùs voluntates eorum cognoscere, quàm ipse se tam barbaris nationibus committere statuit. Ac Danus quidem iuvenis aspero, ac feroci ingenio, & vsque adeò vino, atque intemperantiæ deditus, vt raró sobrius inveniretur, interque ipsa pocula efferri insolenter, ac iactari solitus, superbè, ac rusti-

rusticè respondit, non esse, cur se Romanus Episcopus legationibus sollicitaret. Suecum, qui missus est, comparatâ classe in Britanniam parantem traiicere, ab Elisabetha Regina inani spe coniugii illectum, invenit. Hic quamquam in Lutheranorum erroribus institutus erat, & tum etiam, vt sibi Elisabethæ animum, cuius magnopere affectabat nuptias, conciliaret, Calvini scilicet sapientiam amplexabatur; tamen magnificum existimans se in vltimis positum terris tam longinquis legationibus adiri, *benignè Commendono rescripsit, sive in Regnum suum, siue in Britanniam, quò propediem transmissurus erat, ad se venisset, verba eius libenter auditurum, neque ei vllum apud se ius hospitii abfuturum*. Commendono, neque Sueciam petere, vnde profecturus Rex erat, neque eum in alieno adire Regno est visum, sed Pontificis iussum de eo opperiri, atque interim in Belgas reverti decrevit. A Lubeca bidui itinere Hamburgium venit, opulentum oppidum, ac frequens, non longè à mari, quà se Albis in Oceanum effundit tantus quidem, ac tam lato alveo, vt nos qui ab Hamburgio Stadiam petentes medio flumine navi descendebamus, veluti magno pelago navigantes ripas fluminis ab neutra parte cernere satis possemus, neque ea latitudo non ma-

gna-

gnarum quoque navium capax, quæ ab Oceano ad mœnia vsque oppidi subvehuntur, variâ merce onustæ: Cymbros olim ea loca, Vandalosque tenuisse credunt, & hodie septem circa civitates pro communi libertate inter se nexæ fœdere, Vandalicæ vocitantur. Ad Bremam inde traiecto Visurgi nobili item Germaniæ flumine, per Frisiæ, ac Vestphaliæ fines in Holandiam, atque inde Bruxellas rediit. Ibi Pontificis litteras cùm accepisset, quibus comprobato consilio eius, vt omissâ ad Regem Sueciæ profectione in Italiam reverteretur, & ex itinere civitates, Regulosque, qui Rhenum circa colunt, adiret iterum, eosque, & maximè Episcopos ad Concilium exciret, iubebatur. Per Rhemos Lotharingiam petiit, & regionis eius Regulo appellato in Treviros, atque ab his navigio per Mosellam vectus ad Rhenum descendit, ac Maguntiam, atque inde Assemburgium ad Maguntinorum Archiepiscopum se contulit. Is est Archiepiscopus septemvirûm, qui Cæsarem suffragiis suis creant, loco, ac dignitate princeps. Paulùm inde à Rheno discedens ad Herbipolensem, & Bambergensem Episcopos divertit. Ab his Norimbergiam prævalidam Franconiæ vrbem, atque inde viso Aistadii Episcopo, Monachium ad Albertum Bavariæ Du-

Ducem venit, atque ab eo discedens, decimo tandem, ac septimo mense, postquam profectus ex Italia fuerat, Tridentum pervenit, quo iam frequentes Patres ab Italia, Hispania, Galliaque ad celebrandum Concilium convenerant. Tridento Romam vocatu Pontificis perrexit, Germaniâ, quantà à Belgarum vltimis finibus, Britannicoque Oceano ad Oderam flumen, atque ab Dania, Cymbricaque, & Baltico mari ad Rhetias Alpes patet, omni peragratâ, omnibus latissimæ gentis populis, Principibusque aditis, pari industriæ, atque innocentiæ opinione apud omnes relictâ. Mirabantur plerique, quòd cùm tot feroces, & Romano nomini infestas nationes obivisset, omnes non solùm intactus ab iniuria, sed ne risu quidem, aut ludibrio vllo violatus evasit, sive hæc in ipso cautio fuit, seu spectatæ virtutis, atque integritatis fama venerationem eius etiam apud barbaros fecerat. Nam Germanorum ingenia aspera, indomitaque, quemadmodum vera Dei religio, cultusque molliverat, ac frenum ferocibus animis iniecerat, ad humanitatemque traduxerat, ita solutis nunc, abiectisque Christianæ legis, ac disciplinæ vinculis, quibus antea continebantur, efferari iterum, atque in antiquam revolvi truculentiam, barbariemque videntur, hæ maximè

mè gentes, quæ longiùs ab exterorum commercio remotæ, interiora Germaniæ colunt. *Romæ Commendonus in renuncianda apud Pontificem legatione, multa de Germaniæ vulneribus commemoravit, nihil ibi intactum à pravis religionibus, nihil non pollutum, nihil non inquinatum. Priscæ sanctitatis instituta omnia, aut vi sublata, abolitaque ab hæreticis, aut novorum rituum contagione contaminata, & corrupta. Ecclesiasticum ordinem, amissâ maiorum disciplinâ, licentiam omnium rerum amplexum, ac plerosque non tam officio, ac studio religionis, quàm vtilitate, ac spe retineri. Episcopos præposteris animis posthabere divinarum rerum curam, & vt suæ sibi fortunæ, opesque, & princeps ille splendoris, ac dignitatis locus, quo inter cæteros eminent, salvus, inviolatusque permaneat, id enixè laborare. Hinc Regulis, ac potentibus hominibus, quos antè in sua auctoritate habere consueverant, adulari, tantòque deditos, atque obnoxios magis esse, quanto illos auidiùs, aut occupandis Ecclesiasticis bonis inhiare, aut occupatis incubare sentirent: scilicet quorum cupiditati, conatibusque obvidm ire, insolentiamque coercere, & deberent, & si se noßent, coniunctaque, & concordia habere consilia vellent, etiam possent, eos ipsi vltro metuunt, suspectosque gratia, atque officiis lenire, & conciliare*

ciliare

ciliare student. Quin Episcoporum quosdam à fide Romanæ Ecclesię desciuisse, atque in Principum hæreticorum clientelam se tradidisse, eorumque tectos ope ex sua libidine viuere. Ad Concilium arbitrari se eorum venturum neminem, paucos missuros, si quidem sibi, qui aut valetudine, aut senio inualidi, inhabilesque ad laborem, iterque essent, prolixè pollicitos se Pontificis Maximi dicto audientes futuros, ac Tridentum primo quoque tempore venturos, cæteros manendi veniam omnes orare, negareque sine euidenti periculo posse ab se Ecclesias, resque suas relinqui, patentes aduersariorum iniuriis, & absentiâ suâ opportuniores excubantibus in omnes occasiones hæreticis futuras. Aduersus hæc tot incommoda, quæ apta, atque vtilia remedia, quibus Catholici, & Ecclesiastici præsidiis, adiumentisque fulciendi, confirmandique esse viderentur, quibus inter se fœderibus iungendi, obligandique, quò ab inimicorum fraude, atque vi tuti libertatem suam, munusque vindicarent, ac neminem magnopere formidare necesse haberent, exposuit. Quæ omnia magnâ, & locorum, & hominum, & rerum illarum notitiâ, memoriâque disserentem attentè audiuit Pontifex, acceptumque, & collaudatum amantissimis verbis redire Tridentum, atque eadem Præsides Concilii edocere, iisque tantam

Rem-

Rempublicam agentibus consilio, atque operâ adesse iussit. Profectus Tridentum cùm omnia Præsidibus, vt præceperat Pontifex, nunciasset, non diu moratus, vt se paucorum mensium otio à laboribus, curisque tam diuturnæ peregrinationis reficeret, & familiares, ac domesticas res suas, quæ ipsum aliquando præsentem magnopere desiderabant, constitueret, impetrato commeatu Venetias concessit, vbi ingenti gratulatione acceptus à suis, omnique cultus honore, atque officio ab omnibus fuit. Quippe magnum iam esse eius nomen, magna de rebus ab eo sapienter, atque industriè administratis prędicatio. Æquè & acceptus Principibus civitatis, & gratiosus in vulgus, clarusque haberi, vt nullum non virtuti eius patere, atque adeò deberi honorem homines existimarent.

Noua eius ad Cæsarem profectio.

CAPVT V.

QVieto, ac tranquillo animo rem suam familiarem, domesticamque curantem, & iam cum studiis, librisque suis in gratiam redeuntem, instruentemque se ad ea, quæ pro sententia dicturus de religionibus, de sacrorum fide,

de, de correctione, atque emendatione morum in Concilio erat, novum de integro iniunctum iter ab instituto avertit. Ferdinandus Cæsar, acto Germaniæ conventu, in quo Maximilianum filium successorem sibi in Imperio designaverat, vt ex propinquo Tridentinis actionibus, Patribusque adesset, Oenipontem accesserat, oppidum ditionis suæ haud ferme plus centum millibus passuum à Tridento distans. Hinc vt præsens assidebat Patrum consiliis, mente vir optimâ, & magno in Christianam rem studio, & pietate: sed ex eo genere hominum, qui quanto sunt ipsi probiores, tanto difficilius esse alios improbos arbitrantur. Quæ ingenia maximè opportuna sunt alienam simplicitatem per speciem boni, rectique ad fallendum captantibus. Itaque callidorum quorumdam instinctu, quædam interdum movebat, & à Præsidibus Concilii, Concilioque ipso postulabat, quæ turbandis rebus magis, quàm ordinandis, quod ipse cupiebat, fore videbantur. Venerat ex Gallia Tridentum eo tempore Carolus Lotharingius Cardinalis, idem & Archiepiscopus Rhemensium, summâ auctoritate vir, summisque & suis, & familiæ opibus: magno item vsu, excellentique ingenio, ac doctrinâ præditus; denique animis, genere, dignitate ingens vir: sed

has

has laudes longè superabat ambitio hominis propè immensa, quâ elatum animum stimulabat insana cupido cuncta sub arbitrium, nutumque suum revocandi. Galliæ Episcopi, qui satis frequentes partim ad Pontificis Maximi edictum, partim ipsum secuti Cardinalem Tridentum convenerant, non sentire modò cum illo, sed ne audere quidem ab eius auctoritate discedere videbantur. Cæsaris quoque Legati ventitare ad eum, frequentare domum, ac pellecti conferre consilia dicebantur. Incussit ea res curam Patribus, ne turbidi aliquid rebus tranquillè ad eam diem procedentibus, ex his coitionibus oriretur. Id ne fieret, cavendum in tempore rati Præsides mittere ad Cæsarem delectum è Patrum numero aliquem, à quo de Concilii, præsentiumque rerum statu ille erudiretur,& si quid incommodæ opinionis animo eius inculcatum à suis hæsisset, evelleretur. Eum denique de Gallorum postulatis, ac de Lotharingi ingenio, atque animo ad vasta semper, atque immodica aspirantis, edoceret. Ad id vnus ex omnibus maximè idoneus visus est Commendonus. Venetijs igitur evocatum proficisci extempò iubent. Nihil cuiquam eâ tempestate in eo Concilio tam speciosum, tam decorum, tam quod sermones hominum subiret, quòdque plus invi-

inuidiæ ſuccenderet, accidit. Chriſtiani nominis conventus habebatur, quiſquis doctrinæ, quiſquis ingenii laudibus vſpiam totâ Europâ emineret trecenti ferme Epiſcopi, tot inſignes virtute viri Tridenti tum erant, quorum nemo non par, quantumvis magno negotio, nemo non in eam mitti legationem expetiſſet. Omnibus vnus, & abſens, & non petens eſt prælatus, tantùm ei ſuperior ad Germanos obita legatio nominis, tantùm exiſtimationis pepererat. Nec ipſe opinionem, ac ſpem ſui fefellit. Nam Cæſarem non modò ab omni cogitatione, ſi qua iniecta illi fuerat, novandi aliquid, aut fovendi alterius cuiuſquam conſilia, quibus arbitria Patrum labefactari, aut ſcindi conſenſus, voluntaſque eorum poſſet, abduxit; ſed in priore ſua mente, ac ſententia adeò confirmatum reliquit, vt Lotharingius ipſe paulò pòſt ad eum viſendum Oenipontem profectus nihil eum immutarit; atque exinde habitum, ac peractum ſine ſuſpicione vlla Concilium ſit.



In Poloniam Nuncius Apostolicus ad Regem mittitur.

CAPVT. VI.

COMMENDONVM Tridento Venetias redire domesticæ iterum res coegêre. Sed ne ea quidem diuturna mansio illi fuit. Nam Pontifex certior factus turbatas magnopere in Polonia res, periculumque esse, ne hæreticorum factio, quæ tum maximè valens, ac vehemens (vt fere sunt acres primi desciscentium motus) ferebatur, per tumultum, ac seditionem statum illius Regni perverteret; tamquam si, vt quaque pars Reipublicæ ægrotare cœpisset, huius mandanda curationi foret, Commendonum Patavio, quò se ille tum contulerat, atque privatarum rerum curâ excitum in Poloniam protinus iubet proficisci, manereque apud Regem, & dare operam, cùm vt pristinam sacrorum fidem à perditarum sententiarum contagione, quoad fieri posset, prohiberet: tum sacerdotum ordinem primas in Polonorum Senatu, ac Republica partes obtinentem, in quem maximè incurri ab seditiosis illis, atque amentibus novarum opinionum auctoribus sciebat, ab impetu, atque iniuria tueretur, Regem

in officio retineret, atque ad amplectendam religionis Catholicæ causam excitaret. Commendonus quamquam perexiguum ad se comparandum spatium Pontifex concedebat, cupiens maturè eum gentis conventui, quem tum maximè indictum cogi Varsaviam acceperat, intervenire; tamen magnâ adhibitâ diligentiâ paucioribus, quàm quos Pontifex præfinierat diebus, cum reliquis rebus splendidè instructus, tum egregio comitatu, viæ se dedit. Semper quidem ille magnam curam in comitum, atque fan iliæ delectu habuit, ne quem secum duceret, non temporibus, non moribus suis congruentem. Sed tum eo maiori quàm antea studio, quo in longinquiorem, & perturbatiorem Provinciam iturus erat, insignes ascivit viros, nulli in ea re impendio, aut sumptui parcens. In quibus excellentes litterarum, & doctrinæ laude fuère Paulus Emilius Ioanninus exquisitâ, ac multiplici eruditione vir, qui postea Montaltensium Episcopus in Picentibus fuit; & Federicus Pendasius, summus ætatis eius Philosophus, cujus non multò pòst ex ipsa Polonia magnâ propositâ mercede à Veneto Senatu, vt Patavii publicè Philosophiam doceret evocati, atque inde Bononiam translati, nomen inter cæteros acuminis, & ingenii famâ claruit. Commen-

donus

donus igitur Patavio Novembri mense profectus, celeritate, quanta per ingruentem hyemem, impeditasque multis rebus vias adhiberi potuit, iter intendens in Poloniam, atque Varsaviam in tempore venit. Præcesserat magna de prudentia, ac virtute illius fama, cùm multorum gentis eius hominum, quos ipse antea amicitiâ, & consuetudine devinctos habebat, sermone, & litteris celebrata, tum maximè prædicatione Stanislai Hosij Cardinalis Varmiensis, vnius è Concilii Præsidibus, cui cum Commendono plurimus vsus, & familiaritas intercedebat. Itaque & advenientem Chelmensis Episcopus, & Plocentium Palatinus primarij homines perornato, ac frequenti comitatu ad tertium ferme lapidem obviam Regis missu egressi cum omni humanitatis, ac benevolentiæ significatione acceperunt; & apud Regem ipsum singulari in honore, atque dignatione fuit. Vim enim illam ingenii, quæ in eo semper summa enituit, atque vitæ integritatem, & modestiam Rex adeò suspexit, vt quamquam ipse cupiditatibus suis impotenter parere assuesset, tamen alienę virtutis haud sanè obtrectator, & diligere eum, & certè revereri magnopere visus sit.

De sacrorum disciplina in Polonia depravata.

CAPVT VII.

REgnum Poloniæ Sigismundus Rex Augusti hujus, ad quem Commendonus venerat, pater, diu temperato, justoque imperio habuerat, filioque moriens firmum, atque stabile reliquerat, vir cùm cætera rectus, & rei suæ probè gnarus, ac prudens, tum eximiâ, & constanti in Christianam religionem fide. Qui cùm junctos sibi amicitiâ,& affinitate Germaniæ Regulos aliquot haberet, iis sacrorum jura turbantibus adeò non favit, vt graviter correptos missis legationibus ab exitialis sententiæ ausu deterrere conatus sit, florentem Germaniæ statum, roburque validissimæ gentis convelli, atque infringi confusione illâ religionis identidem monens. Idem paulò pòst ab eodem furore desciscentes cum omni propè Germania à Carolo V. Federicum, & Lantgravium, armaque moventes, & se ad societatem ejus belli promissis ingentibus sollicitantes, non rejecit solùm, sed cladem, quâ mox afflicti corruerunt, vtrique prædixit; adeoque cavere, atque alieno periculo sapere didicit, vt nec ipse se in illud

illud bellum interposuerit, nec privatim ex suo Regno quempiam ulli parti militare sit passus, quod apud Polonos gentem ex legibus suis, non ex Regum libidine vivencem, & maximè gaudentem libertate, non mediocris curæ, atque diligentiæ fuit; tantumque omni tempore studii posuit in eo, ne qua contagio pestiferarum opinionum in suum Regnum manaret, ut ne libera quidem suis commercia cum Germanis reliquerit. Mercatores, ut aditu in Regnum non prohibuit, ita licentiâ invehendi, ac per colloquia, cœtusque disseminandi novam religionem, acribus edictis, ac pœnis frenavit, planeque coercuit. Quin ne parentibus quidem, quod antea fiebat, mittere in civitates Germaniæ liberos disciplinæ, ac litterarum causâ permisit, nisi quas integras, nec illâ pollutas esse lue constaret, quamquam huic curæ ejus molestum adversarium experiretur Albertum Brandeburgium societatis Theutonicorum in Prusia Magistrum, qui cùm à religione defecisset, idem virus, quo societatem suam non multò pòst oppressit, etiam in Polonia spargi cupiebat. Sed Sigismundus hoc studio, curaque, quandiu vixit, ad ultimam vitæ senectutem pervenit, si non inviolatum à peregrinis religionibus Regnum præstitit, certè incrementum sume-

se eam pestem non est passus. Post mortem inde ejus, nec consilium par, nec animus ad eam curam Augusto filio fuit. Ita spes erecta eorum, quibus per hæc crescendi materia quæritur. Secutum filii, matrisque diffidium, quo Regis, legumque resoluta majestas, latè aditum excubantibus in occasionem hæreticis patefecit; continuoque omnis errorum, ac perditarum opinionum cohors irrupit. Fortè amissâ Isabellâ vxore in amorem Barbaræ Radgivillæ Augustus illapsus erat, cui mulieri claro in Lithuania genere, ac principe familiâ natæ omnium rerum, quàm famæ major semper cura fuit. Prostratâ pluribus pudicitiâ, ab iis ipsis formam, corpusque, & mollem lasciviam laudantibus deductus ad eam primò Rex ferebatur. Cæterùm vtcumque potitus, adeò blanditiis, & consuetudine ejus est irretitus, captusque, vt brevi mulier non contenta vi, atque potentiâ, nomen quoque conjugii, & mox Reginæ appellationem affectarit. Idem Augustus ipse eo impensiùs cupere, quo plura adversarentur, vt ferè humanum ingenium vetita flagrantiùs appetit. Id enim verò mater, sororesque Regis, haud aliter quàm dedecus ingens domus, ac dehonestamentum aversari. Mater erat Bona Sfortia, Galeatii, & Isabellæ Aragoniæ filia, illius

cuius iniuriæ funestam illam, ac calamitosam facem accenderunt; quâ, Italiâ Gallorum petitâ armis, ac diuturno vastatâ bello, omnis propè Patrum memoria conflagravit. Bonæ ingenio materni inerant spiritus, & minimè muliebres curæ, & viro assueverat ab senecta, ac miti naturâ vxori obnoxio, vt non consortem modò Regni, sed sæpe arbitram ageret. Filium ipsum Regem imperiosè habuerat, eo exuentem matris obsequium impatientiùs tulit. Et Barbaræ amores ipsa exploratiùs norat, vt ferè turpia fœminarum fœminis, quàm viris celeriùs, certiùsque noscuntur, & filio obiectabat. Quæ igitur ne honestam quidem, & probam è priuata domo nurum toleratura fuisset, scortum vsque ad æmulationem sui, nuptiasque, & regium nomen, quod ipsa iam spe satis polluisset, extolli ferociter fremebat. Eo Augusti animus magis accendi, nec mora nuptiis fuit. Sed quia non vt coniugis, ita Reginæ quoque nomen, ornatumque, & insigne Regium tribui ab illo, aut ne tribueretur obsisti, intercedique à matre poterat, nisi Senatus voluntas accederet, sine cuius ordinis auctoritate nihil in Republica decerni ex legibus Polonorum potest, magnis iacturis conciliare, ac trahere ad se quisque Principum animos, singulorumque affectare sententias.

tias. Auguſtus ſuum cuique dicere in deligenda vxore iudicium, nec Regem non æquâ cum cæteris conditione eſſe debere. *Quæ in matrimonii ius, in domum Regiam, in fortunarum, ac totius vitæ ſocietatem recepta iam ſit, cur ei Regium nomen, & par cum viro honos, qui mos in privatis valet, negetur? Bona adverſus hæc turpitudinem nuptæ, incontinentiam filii obijcere; & ſi iuvenis infirmitate lapſus nominis, ac decoris ſui curam abieciſſet, publicam fraudem, noxamque abeſſe debere, nec ipſos alienæ intemperantiæ participes, ac ſuffragatores fieri, ſcilicet Reginam appellarent, haberentque, quam nemo domi ſuæ nurum, ob vitæ probra paſſurus eſſet.* Vicit tamen reſpectus Regis, maieſtaſque, & coniux Barbara, & Regina appellata eſt. Cæterum dum diſcordant ipſi, Regia vis hebetatur, & impunitas, & licentia dominatur. Ita Regnum brevi, ex leviſſimi cuiuſque libidine, peregrinis ſacris, inſtitutiſque, & opinionibus novis oppletur, diſpergentibus latè virus multis novitatis Doctoribus, vt numquam deſunt, quibus captæ errore mentes emolumentò ſunt. Nec ſecretò, atque intra privatos poſtes Chriſtiani ritus contemnuntur, ſed in publico etiam, ac palam novarum diſciplinarum rationes, ac præcepta traduntur, cœtus, concioneſque mixtæ

homi-

hominum, mulierumque turbę habentur: novis ritibus res divinæ, precationesque fiunt. Vetus & à maioribus sanctè culta religio eluditur, irrisuique habetur, incestoque ore, ac maledictis incessitur, ac multis passim locis aboletur: templa invaduntur, bona Ecclesiarum ab alienis dominis occupantur, fortunæ diripiuntur, sacerdotes sedibus suis pelluntur, omnes denique ceremoniæ, omnia pietatis iura confunduntur. Principes quoque viri, & serpenti latius quotidie malo pars magna Senatus, eâ contacti labe habebantur, validiorque factio erat, quàm vt leges, aut Regem timeret. Iam non impetu solùm, sed tempore etiam invaluerat morbus, cùm Commendonus in Poloniam venit, atque hæretici Ecclesiasticorum exitio maximè imminentes, ad eorum accidendas opes Senatusconsultum à Rege proximo superiore anno extorserant, quo sacerdotale ius magnopere minui videbatur, auctique animi de vetustis legibus, quæ adversus violatores sacrorum institutæ apud eos sunt, abrogandis, agitabant. Et illi quidem (vt mos perpetuus omnibus hæreticis) quamquam diversis ipsi sententiis, rationibusque inter sese pugnent, studia adversus nos coniuncta habebant, ardentesque animis, & conatu summo cœptis incumbebant.

De dissensione inter se Episcoporum in Polonia, & quorumdam consilijs à Commendono repudiatis.

CAPVT VIII.

APVD Catholicos nihil acre, nihil vehemens, nihil quo stare, atque niti firmè consilium posset, cernebatur. Segnes, & cui vni fidere videbantur, causæ indormientes agebant, & malis haud aliunde maius, quàm ex bonorum mœrore incitamentum. Episcopi, quorum semper in Senatu, & in Republica auctoritas fuit, quique coniunctis viribus, animisque facile non restitissent modò adversariorum conatibus, sed etiam in officio manere eos, & parere legibus coegissent, tantâ dissoluti, ac dissipati discordiâ, in tot scissi studia, tantisque in occulto odijs, mutuaque invidiâ diffidebant, vt nemo eorum non reliquis omnibus infensus, invisusque esset. Ita nihil ab his in medium consulebatur, adversariorum amicitijs, gratiæque servientes, suæ quisque privatim rei studebat. Ius, ac Respublica in medio iacebat. Duo erant eorum, & ordinis sui, & Senatus totius loco, & auctoritate facilè principes, Iacobus Veangius Archiepiscopus Gnesgnensis, & Philippus

pus Padnevius Episcopus Cracoviensis, ille honore, hic divitijs, & opinione ingenii præstabat. Inter hos præcipuè, nec obscuræ simultates cùm essent, dispares animis, consiliisque, par cupiditas miscendi, ac turbandi res sollicitabat. Vcangio inhæserant novæ opiniones, quibus inquietabatur animus suâ sponte varius, inconstans, & novis vsque studens rebus, vt si perturbatâ Republicâ invecta nuper disciplina, religioque prævaluisset, exclusâ Romani Pontificis auctoritate, summum se Antistitem, ac Principem sacrorum in Polonia fore, ad summasque opes perventurum, vt suæ quisque cupiditati blanditur, sibi persuaserat: neque ex hæreticis deerant, qui assentando spei illius alimenta subiicerent. Apud Commendonum is priscæ religionis studium simulans, deplorabat perditas Catholicorum res, dissidia Episcoporum, cæterorum languentes animos incusabat, Regemque deditum adversariis omnia illis indulgere querebatur. Hunc inde coercendum minis, ac denuntiationibus terrendum esse, disserebat. Catholicos infensos ei esse, omnes ob crebras in Magistratibus, publicisque muneribus repulsas, & favorem in adversarios; nec eorum defutura studia, si se ipse Romani Pontificis nomen, auctoritatemque præferens, Ducem præbuisset,

ac Regem ipsum ingenio timidum, atque audenti opportunum, metu subactum, sibi obnoxium fecisset, scilicet his consiliis averti Augustum à Pontifice, tradique hæreticis, atque ità suas procedere rationes, cogitataque cupiebat. Padnevius quoque idem de Rege terrendo, quamquam diverso animo suadebat. Neuter publico bono, sed suæ quisque rei tendentes, privata consilia habebant, ad ea aptam sibi facere Rempublicam cupiebant. Hic auctoritate, & gratiâ Regis tantus paulò antè fuerat, vt omnia arbitrio suo subiecta haberet. Eâ non deciderat solùm, sed vt plerumq; acrius ex magna benevolentiâ exsurgit odium, invisus, suspectusque irâ, atque invidiâ æstuans agebat. Et superbus, atque indomitus animus, & dominari assuetus, eminentibusque inter cæteros opibus subnixus quiescere non poterat. Regem sibi magno aliquo periculo, metuque implicandum callidè rebatur, tum aut necessitatibus compulsum vltro ad se venturum, aut locum sibi ad vltionem ex eo aliquem futurum sperans. Eum igitur accusans apud Commendonum magnis criminibus vt reum agebat, nihil leniter agendo profecturum, opponendas formidines, intentandas minas, denunciandum periculum esse. His infirmum, & fractum animum, & ex conscientia omnia timentem

tem in fide, atque Pontificis Maximi futurum. Nihil fallebant hæc consilia Commendonum, qui & ipse per se satis vtriusque ingenia tractando perspexerat, & percunctationibus, quibus primum semper tribuere tempus consuevit, aperta & explorata omnia habebat. Itaque longè aliâ, quàm quâ ipsi voluissent viâ ingressus, Regem non asperandum minis, quæ nisi prompta vis ad cogendum adsit, plerumque vanæ evadunt, aut in intempestivè feroces recidunt: sed crebris orationibus hinc confirmabat adversus metus quosdam, qui ei à falsis, callidisque hominibus ostentabantur; hinc monebat, ne ipse se, Regnumque in id discrimen vltro conijceret, quod connivendo, atque indulgendo, vitare posse consideret. Quippe sic quidem contrahi, maioraque in dies incrementa capere id malum, constare. *Quid hac temerariâ licentiâ decedendi à fide, quam maiores nostri de divinis rebus habuère, fieri aliud, quàm ius, morem, leges publicas sperni, infringi, subverti? Regni fundamenta subrui, ac labefactari? Adimi Regibus vires, ac tradi multitudini, & seditiosissimo, ac audacissimo cuique adiungi? Eo ipso, quòd ille sæpe quereretur esse quosdam, quorum apud nobilitatem auctoritas valeat, vt illi plus privatim, quàm Senatus, ac pene quàm ipse*

Rex polleant: propterea quòd iis multitudò fidat, eorumque orationi assentiatur, admoneri eum, & ad cogitationem rerum suarum conuerti debere, nec ultrà pati inualescere eorum audaciam, qui excussâ omni legum reuerentiâ ex libidine sua omnia agant, cœtus cogant, Concilia habeant, concionibus seditiosis homines à vero Dei cultu ad peregrinas ceremonias, & perniciosos errores auertant; qui denique sibi tantos spiritus, tantam arrogantiam sumpsere, ut pæne iam nec ferri, nec corrigi posse videbantur. Ad hoc Dei quoque metum inijciebat, eum numinis sui vindicem, ultoremque, seu neglectæ, seu pollutæ religionis futurum, tantoque grauiores pœnas ab iis repetiturum, qui veluti in custodia locati legum, ac publicorum sacrorum sunt, quanto eos celsiores inter mortales honore, imperioque præstare, ac præfulgere voluit: nam in minuenda, violandaque diuinarum ceremoniarum disciplina, Deique opinione, aut iussis peruertendis, qui alios, cùm possint, ab impio ausu non coercent, exitiosiùs peccare, quàm illos ipsos, qui alienâ fraude inducti, mentis errore labuntur. Excitabat præterea illum parentis sui summi viri, ac Regis in illa propulsanda peste diligentiâ, ac pietate; interdum vicinæ Germaniæ, & tum maximè flagrantis Galliæ ruinas, cladesque memorans, ut ex alie-

nis

nis malis vtilia sibi exempla caperet, hortabatur. Episcoporum verò gratiæ reconciliandæ magno studio, curaque intendit, rei cùm ipsi se sponte suâ, nodisque inextricabilibus plenæ, tum eo difficiliori, quòd palam amicitia; & benevolentia simulabantur, odium; & obtrectatio in occulto erant: Ipse & singulos monendo, rogando, obtestandoque castigavit; & omnes in vnum coactos multis sæpe; & gravibus verbis, est adhortatus; vt communem causam communibus consiliis agerent; neu se; neu dignitatem suam pertinaci discordiâ proderent, ad eamque evertendam, gradum, aditumque hæreticis ipsi facerent. *Si consentientibus studiis; animisque amplexi Rempublicam fuerint, non magno negotio vulnera Ecclesiæ in eo Regno à paucis hominibus imposita sanari, & legibus, quas maiores eorum ad sanciendam Ecclesiastici ordinis maiestatem, firmandamque religionis fidem piè, sapienterque condiderunt, vim suam reddi, & aut falsa animi opinione deceptos reuocari, aut nimia ambitione, & cupiditate prouectos cohiberi, & sub legum iura compelli ab iis posse: Sed quo maiores in Republica opes eorum, quo honor, dignitasque præstantior esset, eo promptiùs priuatas simultates pro publica salute deponere, & patriæ, & religioni, quæ tam ab dissidio*

eorum,

eorum, quàm ab alieno scelere grauius laboraret, remittere debere. Id ab iis fidem, id munus, atque officium ipsorum postulare, id Regem, id Senatum velle, id omnes bonos flagitare. Quem quidem Regem ne quidquam ab singulis, aut incusari, aut appellari, si vniuersi disiuncti, dissipatique sese ab aduersariis obterendos, atque subigendos vltro traderent, qui ut intenti, ut vigilantes videantur, somno, ac socordiâ Catholicorum fieri, & audaciâ, & consensu eos, non viribus terribiles esse. Huius generis orationibus sicut planè mederi imbutis pravâ æmulatione, atque invidiâ animis non potuit, ita est assecutus, vt alios adiungeret sibi, alios verecundiâ obstrictos contineret, æquioribusque & erectioribus ad omnia vteretur. Per hæc, taliaque cùm magnam sibi fidem, atque existimationem apud Regem, apud omnes fecisset, multa salubria in Republica hortatu, atque consilio eius acta, multa, quæ evertendæ pietati fuissent, reiecta sunt. Cùm tributum Rex decerni sibi extraordinariæ magnæ pecuniæ in sumptus belli, quo tum à Moscis, trans Boristenem carpebatur, vehementer cuperet, hæretici per factiosos, ac populares homines rem impediebant. Id callidè molientes, vt inde concessi tributi mercedem decretum abrogandis, aut infirmandis legibus, quæ

con-

contra nova invehentes sacra, aut de veteribus quidquam mutantes sunt, auferrent. Etenim hoc vno telo multis in locis petita, gravissimeque vulnerata religio est. Nam capti, perciti que pravis erroribus populi ius, quibus velint ceremoniis res divinas procurandi, ac de Deo, vt cuique visum sentiendi, loquendique à Regibus pretio mercati sunt. Et Reges ipsi proditam religionem à cultu, & pietate abductam ad præmium, & quæstum transtulêre. Nil ergo mirum, si tempestate nostrâ sæpe evenisse videmus, vt & populi irato, & maiestatis suæ violatores vlciscente numine, omnibus discordiarum, ac bellorum cladibus affecti sint, & Reges, quam semel multitudini licentiam peccandi in Deum, & in maiorum instituta, empti, ac deliniti pretio laxavere, ad eam ne adversus se quidem ipsos cohibendam potentes inde fuerint: justamque illis ea in pœnam verterit, vt intestinis seditionibus, suorumque factionibus vexati, vno tempore, & imperii vim amiserint, & exhausti sumptibus inopes, atque egentes, vsque obsequi vulgi studiis, & turbulentissimi, & audacissimi cujusque libidini obnoxii agere cogantur. Id tum ne fieret vna obstitit vigilantia Commendoni, atque industria, quâ factum est, vt & Rex pecuniæ colla-

tio-

tionem, quam voluit, sit consecutus, & animadversâ fraude, ac malitiâ hæreticorum, etiam in posterum intentiores ad cavendum, & Rex ipse, & Catholicorum Principes fuerint.

De Bernardino Ochino, hæreticisque aliis per eum à Polonia pulsis.

CAPVT IX.

PATEBAT eo tempore Polonia non civium modò, sed exterorum quoque licentiæ, quorum erat omnium mira impunitas. Quicumque aut ob noxam, malumque in religione sensum, patriâ pulsus, aut ne sub legibus viveret sponte profugus, in Poloniam se veluti in asylum conferebat. Ibi nemini deerat ex nobilium numero aliquis, qui in fidem receptos tegeret, foveretque, alii insitâ vanitate ingenii, alii rerum ipsarum novitate illiciebantur. Ex Germania, Gallia, Italia corruptores aderant, ac prohibente nemine, & inanissimo quoque dictis applaudente, sua quisque somnia venditans, cœtus æmulantium studia profligatæ doctrinæ habebant, & licentiâ linguæ grassabantur. Eòdem Bernardinus quidam Ochinus confugerat, & præter cæteros magno concursu, & assensu audiebatur.

Is

Is erat ex Etruria Senensis civis; qui cùm primam ætatem inter Franciscanos, quos Minores vocant, egisset, inde deflexisse eos à moribus priscis, longeque à Magistri ratione aberrasse ferens, quæ contemptu humanarum rerum contineretur, secesserat ab iis, nactusque sententiæ suæ sectatores, quos & auctoritas ejus & amor religionis attraxerat, societatem Capuccinorum revocatis Francisci institutis, cum Matthæo quodam Vrbinate, antiqui moris, & magnæ simplicitatis, atque innocentiæ homine constituerat. Horum est vita omnis (nam propagata inde disciplina est, ac per omnem Italiam latè diffusa, vigetque nunc maximè sanctissimis, & innocentissimis referta viris) dura atque inops; cibus illis, victusque in dies quæsitus simplex sine lenocinio, aut conditione ulla: pellere non irritare famem, corporique alimenta præbere, non etiam oblectamenta volunt: quod crebris insuper jejuniis, vigiliisque exercitum, domitumque habent, quo purior mens, solutiorque divinarum rerum contemplationi, atque cultui vacet. Vestitus cæteræ vitæ congruens horridus, vilisque, vnicâ tunicâ, ac brevi pallio operiuntur, è ciliciis, aut non absimili materiâ confectis, perpetuoque iisdem nullo æstatis, aut hyemis discrimine, sine calceis nudo pede,

pede per nives, per saxa, aspretaque incedunt, crepidati tantùm sacra faciunt. Quietem aut humi, aut perangusto grabato, stramentove recumbentes, capiunt, non aliâ, quâ amiciuntur veste contecti. Domicilia eorum rarò in Vrbibus, pleraque omnia in solitudine hominum. Denique omnis est in eo disciplina, vt à corpore, humanisque curis abstractus animus divinis operetur rebus, paupere victu, cultuque, & religione gaudens. Ochinus aliquot annos in illa asperæ, atque egentis vitæ patientia perduravit. Pascebat scilicet, sustentabatque animum hominis mirè levis, & sui amantis, & ad omnem asperitatem perferendam firmabat gloria, & sanctitatis opinio, quæ illum sic viventem est consecuta. Et fuit præterea vir ipse non ineruditus, quamquam majori multò verborum, quàm rerum doctrinâ excultus, sed patrio sermone (nam Latinas litteras vix didicerat) in eo quod sciret adeò comptus, ornatusque, & copiosus, vt mirum in modum captos specie, ac nitore orationis teneret audientium animos. Nam hominum nostrorum plerique conciones, quæ more antiquitus tradito de divinis rebus in templis habentur, frequentant, celebrantque, non tam quidem, quo mentem præceptis cælesti doctrinâ haustis instruant ad religio-

gio.

gionem, ad pietatem excitent, quàm quòd ducuntur orantis ingenio, & genere illo speciosæ, & omnibus luminibus, omnibus vndique floribus exornatæ, atque expolitæ orationis delectantur. Cæterùm inde nihilo meliores effecti, planè iidem abeunt, qui venerant. Pari vanitate Concionatores ipsi quidam, quò sibi audientiam faciant, hanc ipsam delectationem studiosè aucupantur, auriumque voluptati omni arte morigerantes inseruiunt omni verborum lenocinio, atque omnibus orationis illecebris influere in animos student. Quibus mihi non fructus, vtilitasque proposita populorum, esse videtur, quos docendos, instituendosque susceperunt, cujus rei causâ is est in Rempublicam vsus concionandi introductus, sed placere ipsi, laudarique, quàm proficere alios malle. Quò enim de rebus maximis, atque gravissimis, de Deo, de pietate, de religione, de vitæ disciplina, sacratis in locis ante aras, ante simulacra Dei, & veluti ipsius instinctu numinis dicentibus, inanis ille, atque indecorus apparatus, sonitusque verborum? Quò illa tanto artificio, & varietate distincta, tanto delibuta fuco, tot flosculis conspersa, tot compta concinnis, tot denique coloribus illita, atque picta oratio? Et hi quidem quam vim, quam auctoritatem

ha-

habeant aut ad impellendos, aut ad continendos homines, vt vitiis abſiſtant, virtutem amplectantur? qui in re tam ſevera tam leves, ac diſſoluti ſint, & permulcendis modo animis, ac ſuavitate perfundendis, non frangendis, evincendiſque intendant? In quo tanta eſt ſæpe quorumdam intemperantia, tantum blandiendi, ac placendi ſtudium, vt nullâ quid rem, quid locum, quid ipſos deceat, ratione habitâ, ne tenerioribus quidem, & amatoriis verbis interdum abſtineant. Quis non tam animi à terrenis abducti curis ad cæleſtium cogitationem eriguntur, quàm titillantur ſenſus, & ad jucunditatem, voluptatemque molliuntur. Res ſacræ, divinæque puram, caſtam, ſimplicem orationem, quales mores deſiderant; verba delecta, ſi vis, non tamen nimia cum cura exquiſita, & vndique excerpta, vt dignitatis major, quàm gratiæ, ac leporis ratio habita videatur. Sententiæ, quæ gravitate, ac ſeveritate laudentur, non tantùm ſpecie, ac venuſtate placeant; quæ admirationis, ac terroris audientibus, quàm delectationis plus incutiant, perrumpant pectora, vnde noxios affectus expellant, non molliter influentes foveant; denique doceant, & ad probitatem, pietatemque inſtituant, non ad levitatem, vanitatemque erudiant. In Ochino (vt

ad

ad institutum revertamur) præter eloquentiæ famam, & hanc ipsam orationis suavitatem, & cultum, ætas, genus vitæ, horridus ille ornatus Capuccinorum, promissa, & fluens infra pectus barba, argentea canities, pallor, ac macies oris, & magno studio, arteque simulata imbecillitas corporis, & sanctitatis opinio, propè excesserant humanæ admirationis modum. Vbicumque concionaturus esset videre erat excitas sedibus suis civitates, nulla templa multitudinem capiebant, mulierum turba pæne major, quàm virorum. Si quò transisset, vndique ex omnibus locis occursus ad eum audiendum fiebant. Nec verò à plebe solum ille, humilibusque, sed à principibus quoque viris, regulisque colebatur. Advenientem hospitio, obviam itionibus accipiebant, pari studio, honoreque abeuntem prosequebantur: & ipse quantum poterat omni arte augere famam, ac venerationem sui. Iter non aliter, quàm ex disciplina nudis pedibus facere, tam tenui valetudine ætateque jumento insidentem nemo vidit. Quę vitare nequivisset Principum hospitia ingressus, magnificentia ędium, vestium, ornamentorum, nihil de instituto moveri. Apparatis epulis adhibitus cibo non plus vno, eoque communi, ac simplici vescebatur; pari vini absti-

abstinentiâ. Datis lectis mollibus, ac pulchrè stratis, oratus, vti fessa membra quiete commodiori cubili sumptâ reficeret, humi extento pallio cubabat. Hinc incredibile est, quantum ejus nomen totâ Italiâ, quantus illi honor ab omnibus haberetur. Cæterùm vt falluntur qui certam gloriam, quæ tantùm in vera virtute firmè consistit, fictâ virtutis imagine se consequi posse, & diuturnam pietatis simulationem sustinere mente aliter affecti sperant, inflatus, elatusque tantis hominum in se studiis, tantâ sui prædicatione, animus sua sponte levis, & inconstans adeò sibi placere, sese amare, ac tanti suam æstimare fortunam cœpit, vt spem ad immodica, vastaque homo Capuccinus adjiceret: Sed cùm apud Pontificem Maximum non quanti ipse crediderat se, suaque in Rempublicam, ac religionem merita fieri, nec spei, & cupiditati suæ Pontificis judicio responderi intellexit; mente majestâ irâque stimulante, ne continere quidem se potuit, quin ex ipsis concionibus quædam interdum sub ambagibus jaceret, queis Pontificis ipsius majestas, auctoritasque perstringi, minuique videbatur. Hæc vbi excipi, animadvertique sunt cœpta, & in vulgus quoque suspicio manavit, sub tanta sanctitatis ostentatione ambitiosum, & contumacem latere animum

pau-

paulatim digredi ab illo homines, in diesque senescere ejus fama, gratia quoque, quâ latissimè pollebat, languere, minusque quàm antea frequentari. Postremò cùm ad ipsum quoque Pontificem ea delata essent, Romam ire, & purgare sese, & coràm diluere, quæ objicerentur, jubetur; nec tamen vincula, aut custodes adhibiti, sive parum creditum criminibus, sive tantum dignitati eius tributum. Veronæ apud Ioannem Matthæum Gibertum civitatis eius Episcopum fortè erat, cùm Pontificis maximi voluntas perlata ad eum est, quem commotum, dubitantemque cùm sensisset Gibertus, vir cùm egregiè pius, & Episcopalis officii laude excellens, tum Ochini ipsius ob innocentiæ opinionem in primis studiosus, magnopere hortatus est eum, vt porro Romam iret, & veritate fretus animi, ac sententiæ suæ rationem apud quos Pontifex iussisset, exponeret, eaque, de quibus insimularetur, constanter refelleret. Ille deterrente hinc metu ex pravæ mentis conscientia, inde hominum existimationem verens, si defugere iudicium videretur, Veronâ profectus consilii atque animi anceps, tamen Bononiam vsque processit. Ibi tum erat Legatus Gaspar Contarenus Cardinalis, à quo benignè quidem pro pristina amicitia hospitio est acceptus,

ſed facultatem cum Legato de rebus ſuis colloquendi, quam cupiebat, non habuit, quòd æger Contarenus tum maximè decumberet eo morbo, qui ſupremus illi fuit. Itaque manere, atque opperiri tantiſper, dum Cardinali melius eſſet, iuſſum; vt eſt ſuſpicax eorum ingenium, qui gravis alicuius delicti conſcii ſunt ſibi, qui omnia circumſpiciunt, omnia timent, & quam meriti ſunt pœnam ſemper ante oculos verſantem habent, ingens hominem occupavit ſuſpicio, ne per ſimulationem valetudinis, ipſe à Legato detineretur, quo inde appoſitâ cuſtodiâ etiam invitus ad dicendam cauſam Romam perduceretur. Hoc metū percitus, cùm rogando, inſtandoque introductus tandem ad Legatum eſſet, & cùm æſtuantem febri tantùm ſalutaſſet, eâdem nocte fugæ conſilium cepit: ſumpto communi ſago, abiectoque cucullato indumento primus diſciplinæ eius deſertor cuius auctor extiterat, ad hæreticos transfugit; atque hic finis illi mentiendæ ſanctitatis, & ferendæ alienæ perſonæ fuit. Cùm enim ad eos homines, atque in illa caſtra veniſſet, vbi in ſumma rerum omnium impunitate pro ingenio cuiuſque, ac libidine vivebatur, ita ſe ſtatim in eorum formavit mores, vt ab illa continentiæ, ac modeſtiæ profeſſione, votoque, quo conſtrictus erat, ſacer-

cerdos, & Capuccinus, & sexagenarius sibi ante omnia virginem iuvenculam per matrimonii nomen junxerat, omnique exutâ ieiunandi, vigilandi, precandi, corporis domandi consuetudine, memoriaque, cum adolescentula vxore liberis operam daret, atque vitam penitus eâdem cum cæteris licentiâ institueret, vt non immeritò prioris vitæ austeritatem, ac religionem occultæ ambitioni, novam intemperantiam moribus suis adscriberent homines, sed vt ferè perfugis vsuvenit, initio benignè, mox per contemptum habitus, spretusque, apud quos in summo se honore futurum speraverat, ad tuendam nominis sui auctoritatem, quod in primis populare, ac plausibile rebatur, totam aggredi religionem, nec contentus iis, quæ tum erant falsæ, & ab Ecclesiæ scitis abhorrentes opiniones, novas ipse invenire, conflare, & comprehensas scriptis in vulgus edere, quæ ex Etrusca in Latinam linguam amici vertebant. Et quidem non, vt alii, de perturbata morum disciplina, de Ecclesiæ institutis, de cibis vetitis, de cœlibe vita sacratis hominibus indicta, negatoque coniugii iure, de divina hostia populo aut in altera, aut in vtraque specie impartienda, cæterisque huiusmodi, quæ quamquam gravia, & adversantia veritati, tamen solemnia illis

iam, & vsitata, sed audaciùs se in ipsum profundum immergens, ne senescentis Lutheri signa secutus videri posset, ac signifer ipse, atque dux ferretur, in ipsam Dei notionem invasit; & sententiis Ecclesiæ discerptis, partibus, personisque confusis, & aut revocatis antiqui Arii opinionibus, aut deterioribus additis, ipsius nomen, atque vim Trinitatis nefariè, ac sceleratè impugnare, atque perturbare cœpit, prorsusque ad vltimum impietatis præceps ruere, & cùm initio apud Helvetios consedisset, pari inde inconstantiâ sedes, atque fidem in dies mutans, omnem pervagatus Germaniam, Britanniamque atque vndique explosus, postremò se in Poloniam contulerat, & Cracoviæ, vt ostendimus conciones, cœtusque habebat. Referre hîc non pigebit verba ipsa orationis ejus, quam primam ad Italicos homines habuit, qui studio videndi, atque audiendi hominem frequentes quot Cracoviæ erant (& plures ibi negociabantur) ad illum adierunt; quæ nobis ipsi retulere, qui interfuerunt. *Hos fratres appellans, Cavete, inquit, putetis ad alium vos hodierna die visendum, quàm ad verum IESV CHRISTI Apostolum accessisse; Quin ego plures, & maiores pro nomine, atque gloria Christi, & pro illustranda cælestium rerum veritate, labores, atque ærumnas*

ærumnas perpeſſus ſum, quàm aut fides fiat pati hominem poſſe, aut vllus Apoſtolorum vnquam tulerit. Neque verò propterea quòd mihi, vt illis, edere miracula, atque portenta facere datum non eſt, fidei minùs nobis debetur, quàm illis, nam eadem nos ab eodem accepta Deo docemus: ac ſatis magnum miraculum, atque prodigium eſt ea à nobis perferri potuiſſe, quæ tulimus. Atque hæc ille de ſe, ex quibus vanitas hominis, & faſtus facilè perſpici poteſt. Verùm ad cætera ſacrilegæ doctrinæ portenta addiderat novum argumentum dialogorum de Polygamia, (ſic enim evulgatum à ſe librum inſcripſerat) in quibus colloquentes ſecum quoſdam facit, qui rationibus, exemplíſque ex ſacrorum librorum monumentis, & ex vtilitate Reipublicæ deorſis, cui quamplurimos gigni, ac procreari filios, ſobolemque ac multitudinem propagari conducit, non licere ſolùm, ſed etiam præcipi Chriſtianis hominibus aſſeverant, quas, & quot cuique placitum fuerit ducere, atque habere vxores: ſic intrudere nobis Barbarorum ritum conabatur, quibus nulla fides, nullus coniugalis amor, nulla charitas liberorum, nulla ſanguinis neceſſitudo, quæ omnia illis multitudine diſtractis vilia ducuntur; quippe alii decem, alii plures pro cuiuſque facultatibus, aut libidine alunt

vxores. Adeò Capuccinum hominem præteritæ continentiæ pœnituit, vt cùm ipse refractis legum vinculis, incestis se, atque innuptis contaminaverit nuptiis, ad evertendam inde matrimonii sanctitatem, turpis nequitiæ magister coortus sit, cuius vim, atque nomen adeò sanctum esse hominibus Christianis Deus voluit, vt virum vxoremque, veluti mentem corpusque, vnum ex duobus fieri præceperit, penitusque alterum alterius voluntati subiecerit, & fœdere sempiterno, & indissolubili iunxerit, sic vt iusti coniugii solvendi, dirimendique ius ne illi quidem ipsi reliquerit, quem potestatis suæ vicarium inter homines constituit. Hunc igitur, aliosque perniciosis opinionibus per Poloniam grassantes Commendonus cùm apud Principes, & maximè apud Regem redarguens, crebris sermonibus incesseret, tenuit, vt Senatusconsultum fieret, vt exteri hæretici omnes à Regno abire cogerentur. Ita Ochinus Poloniâ excessit, ac omnibus iam terris extorris, ac profugus, cùm in vili Moraviæ pago à veteri amico hospitio esset acceptus, ibi senio fessus cum vxore, ac duabus filiabus, filioque vno peste interiit.

De nationali Concilio per Commendonum reiecto.

CAPVT X.

EXpurgata perditis hominibus Poloniâ, & illis seditionum flabellis amotis, facilius fuit gentis quoque ipsius licentiam paulùm cohibere, & à templis sacerdotibusque vim, atque iniuriam prohibere: sed hæreticorum capita, in quibus erant Principes nobilitatis, & homines summæ potentiæ, & magnæ cùm apud multitudinem, tum apud Regem gratiæ, & auctoritatis, quanto intentiùs rem agi à Commendono intelligebant, tanto ipsi acriùs causæ, consiliisque incumbere. Vnum erat, quod summè optare, summaque moliri ope videbantur, vt gentis Concilium, quod vocant nationale, cogeretur, in quo sine vlla auctoritate Pontificis Maximi de vniversa religione inter se, prout ex ipsorum vsu, atque Republica visum esset, constituerent: & nacti Archiepiscopum cogitatis eorum opportunum, cuius dignitas pariter in sacerdotum ordine, atque in Senatu emineret, ipsius intimas spes pollicitationibus fovebant, incitabantque, rati maximè per eum effici posse, vt tale Concilium haberetur.

Eòdem intenta cupido Vcangii Archiepiscopi rapiebatur ob eas, quas suprà attigimus causas. Id ergo vnum dies atq;noctes secum volvebat,id clàm cum Friccio; (is est Modrerius) quodam intimo amicorum coquebat, homine obscuro quidem genere, sed Catholicæ Ecclesiæ, ac priscæ pietatis insectatione nomen adeptus, adversus quam scripta à se multa volumina foras dederat. Neque hæc quidem consilia Vcangii, & machinamenta hæreticorum Commendonum fugiebant:sed quemadmodum intentissimo studio id agebat, vt ne iis quidquam procederet, ita dissimulanda, quæ ad se de Vcangio deferebantur, statuerat. Quòd in tali tempore, in tantis hæreticorum opibus tantam vim hominis divitiis, amplitudine honoris, amicitiis adversariorum pollentis minimè exagitandam, irritandamque, ne in apertam turbam erumperet, rebatur; eo minus, quod ne Rex quidem talibus cogitationibus abhorrebat, cui multæ incommodæ opiniones ab hæreticis, atque ipso Vcangio inculcatæ in animo insederant, in quibus evellendis magnum inde negotium Commendono fuit. *Sed cùm sæpe eum studiosè docuisset, quàm ea res ad publicæ quietis, iurisque, & imperii sui conservationem pertineret, cùm quidquid hæreticis, & multitudini semper turbidæ,*

ac plerumque in suam perniciem furenti adijceretur iurium, id totum detrahi maiestati eius necesse esset: vix eos tot legum auctoritate, tot scitis, exemplisque maiorum oppositis sustineri; quid si iuris aliquid publici illorum audaciæ adderetur, fore? Quid inde non timendum turbarum, ac seditionum esse? In Gallia biennio antè Regem puerum, & sui non satis gnarum, quà imbecillitate matris, quà infidelibus suorum consiliis inductum hæc fecisse, vt Poysii habito Regni conventu disceptator ipse, materque inter Catholicos, hæreticosque consideret. Num aliud eam coitionem, quàm initium tumultuum fuisse, ac veluti buccinam civilium armorum, atque classicum cecinisse? ita ab illa disceptatione discessum ad vim, atque ad bellum, cuius finis nullus cerneretur, fuisse. His Regis animum nihil magis, quàm intestinos motus, atque vim formidantem, à tali cogitatione penitus avertit. Itaque cùm agitata res in Senatu esset instinctu hæreticorum, Rex mentionem eius præcidit professus de sacrorum iure statuere nihil ad se pertinere. Nam non ab Episcopis modò, sed à multis præterea Senatoribus acriter, & constanter defensa religionis causa fuerat: quorum Stanislaus Volskius Castellanus Ravensis non privatis vnius populi, aut gentis conuenticulis conflari, & sciscì di-

uinarum rerum iura, & colendæ Christianæ pietatis rationem dixit, quæ omnium salutem contineret: sed in legitimis, atque œcumenicis Conciliis tradito à maioribus more ex Dei præcepto decerni, atque constitui. *Atque ego, inquit, Auguste, te quidem Regem meum libenter agnosco, & confiteor: Pontificem Maximum esse mihi non dubitanter nego.* Vcangium ipsum palàm profiteri furorem non audentem, ne inde auctoritate Pontificis Maximi, & rei invidiâ, & consensu bonorum opprimeretur, partim per se in officio continebat, partim per Episcopos, Catholicosque alios conatibus eius obviàm ibat. Et ille dum suos occultare studet sensus, atque vtiles quoque interdum sententias in Senatu dicit, & venditans se Commendono cum hæreticis altercatur, ne illi quidem ipsi satis fidere ingenio eius cœperant, quam suspectionem Commendonus studiosè alebat; atque ita hominem pro præsenti vsu habebat. Sed ille in hanc cogitationem incubuerat: & cùm Tridentinorum decreto Patrum iussi Archiepiscopi omnes essent, suæ quisque provinciæ conventus agere ad res Ecclesiasticas ex scitis eorum ordinandas, Vcangius aptam cogitatis sui occasionem arripuit, & studium parendi Patrum auctoritati præ se ferens, consilium conuocandi Synodum

cum Commendono habuit, & reliqui Episcopi, & ferè optimus quisque Synodum expetebant. Idem Commendonus maximè omnium probasset, nisi suspectum Vcangii ingenium habuisset: verùm ne salutari rei, & in eam consentienti bonorum studio vnus adversari, qui pro officii sui munere favere maximè debebat, videretur, Petricoviam, sic enim convenerat, indici patitur Synodum. Interea obseruat Vcangium, eiusque consilia quàm potest diligentissimè, explorat, à quo ut occultè inuitatos hæreticos, capitaque eorum se comparare, ut Concilio interessent, comperit, per Nicolaum Volsciumi Episcopum Chiouiensem, unum eorum, quos maximè deditos sibi habebat, Regem, quæ clàm agitarentur, certiorem fecit, cauerique initia ciuilium discordiarum monuit. Itaque ex auctoritate Regis per litteras ab Vcangio pariter, & à Commendono petentis, ut ea Synodi coactio in pacatius tempus differretur: reiecta res est, & Vcangii machinationibus sine motu vllo occursum, & magni negotii discrimen Commendoni solertiâ vitatum.

De Concilii Tridentini decretis à Rege, Senatuque acceptis.

CAPVT XI.

INTER hæc publicum Christianæ Reipublicæ Concilium, quod Tridenti cum magnâ Episcoporum frequentiâ, tum Cæsaris, reliquorumque Regum legationibus celebrabatur, tertio pòst anno, quàm revocatum à Pio IV. vigesimo, quàm à Paulo III. fuerat cœptum, ad finem pervenerat, explicatâ, atque constitutâ tota ratione, atque disciplinâ sacrorum. Et Pontifex Maximus Concilij acta, decretaque cùm auctoritate suâ comprobasset, rataque omnia habuisset, & referri in volumen, edíque, atque pareri legibus iis imperavit. Hunc librum ad Commendonum in Poloniam misit, ac dare operam iussit, vt publicè acciperetur, ex eiusque præscripto res Ecclesiastica administraretur. Ea res magnam Commendono curam incussit, magnæque illi difficultates proponebantur, quà ab hæreticorum factione prævalida, & Regi ipsi formidolosa, quà ab Vcangio causas publici dissidij, atque alienationis quærente. Agere cum Rege, & ei solùm librum tradere, vt tutius, ita neque ex dignitate rei

esse,

esse, neque satis firmè receptum à Regno videri poterat, quod vnus non de suorum sententia Rex accepisset. Reddere porro in Senatu, ne res in disceptationem veniret, atque etiam ne contendentibus hæreticis dubio aliquo, atque incommodo responso vulneraretur, timebat. Helspergæ in Prussia erat, cùm id Pontificis mandatum accepit, profectus eò ad visendum Stanislaum Hosium Cardinalem Varmiensem, tum maximè Tridento reversum: is enim ob excellentes innocentiæ laudes, atque doctrinæ in amplissimum Collegium lectus Concilio ipsi Pontificis Maximi nomine cum quatuor ex eodem ordine Collegis præsederat, quo dimisso Varmiam, vbi Episcopus erat, ad muneris sui functionem redierat. Ei Commendonus erat omnibus officiis, omnibus amicitiæ, atque benevolentiæ necessitudinibus coniunctissimus, vt facilè hominum voluntates ex morum, studiorumque similitudine conglutinantur. Cùm igitur aut conandum id sibi, vt à Rege, Senatuque acciperetur, aut aliter non reddendum eum librum statuisset, participe consilii sui vno Varmiense habito profectus ab eo magnis itineribus ad Regem contendit: qui longè inde in Lithuaniæ finibus Parzoviæ conventum Regni habebat. Eò Commendonus cùm venisset, prius-

priusquàm aliud inciperet, aut rem cum vllo communicaret (nolebat enim spatium Vcangio, hæreticisque adversandi, seque contrà instruendi, esse) Regem convenit, atque cum eo de tota re diligentissimè egit, quo sibi ex sententia præparato, cùm placuisset Regi eâdem die verba Legati audiri, Commendono in cubiculo suo relicto, seque ibi opperiri iusso, Senatum ipsum ipse ingreditur, nec diu moratus ad accersendum eum duos Senatores misit, à quibus in Senatum, qui frequentissimè jam convenerat, est introductus, auditusque magno silentio. Ille à causis convocandi, habendique Concilii exorsus, celebritatem, progressionem, exitum denique eius exposuit. *Nihil ibi actum, nisi rite ex veterum consuetudine, & tradito à conditoribus ipsis Christianæ disciplinæ more: nihil prætermissum, quò ad explicandam diuinarum rerum rationem, atque omnia sacrorum iura constituenda res poscere visa sit, quod libentiùs fecisse Pontificem Maximum, vt Patrum consulta rata approbatione suâ faceret, & auctoritate additâ promulgari, edique, atque ijs stari, ac pareri ab omnibus iuberet. Horum igitur decretorum volumen ab se Regi reddendum misisse, vt qui eo in Concilio Oratorem suum testem, auditoremque omnium consiliorum habuisset, eius quoque*

scita

ſcita Poloniæ populis ediceret: eſſe verò eum cæleſtibus præceptis, legibuſque refertum librum, & cùm vniverſæ Chriſtianæ Reipublicæ vtilem, tum ægris, & ab hac nouarum opinionum prauitate laborantibus prouinciis ſalutarem, vt quibus ad eum fortè diem fluctuantibus mens in ambiguo fuiſſet, eorum iam in explicatâ, conſtitutaque ſententiâ animi conquieſcerent. Cùm enim ab trecentis ferme Epiſcopis, & quicquid hominum doctorum totâ Europâ fuit ſingulis accuratiſſimè perpenſis, examinatiſque ea condita, atque ſancita decreta eſſent, quem tandem tantæ arrogantiæ, & contumaciæ fore, qui non ſedulò iis obtemperet? & legitimo, atque œcumenico Concilio, quod cæleſti numine regi dubitare nemo poſſit, qui Chriſti nomine contineri velit, ipſo auctore Deo, atque ex ipſius doctrina Chriſti hauſta vitæ, & pietatis præcepta tradenti ſuam grauatè ſententiam ſubijciat? Atque hic quanta in Eccleſia fuerit ſemper, & quàm neceſſaria ſacrorum Conciliorum auctoritas ad tenendam, tuendamque pietatis, & fidei regulam, ne imbecillitate humanæ intelligentiæ à vero, atque recto vllam in partem inflecti, aut detorqueri vnquam poſſet, diſſeruit: refutavitque amentes eorum errores, qui ab Eccleſia deſciverunt, & ſeſe veluti à ſalutis naui in mare deiicientes, nullo inde animi portu in-

certis

certis assiduè fluctibus agitantur. *Quid enim tam absurdum, & ab omni ratione abhorrens, quàm ex suo quemque sensu fidem sibi, ac religionem fingere? Iudicem vnumquemque, atque arbitrum cælestium rerum, & opinionis, & cultus, & ceremoniarum, queis adorari, queis placare diuinum numen debeat, fieri: & quæ ab ipso Deo tradita sunt veræ pietatis præcepta, quæque diuini homines seruanda nobis litteris mandavêre, ex vniuscuiusque libidine statui, distrahi, detorqueri? Id verò incommodum ne ipsos quidem desertores Catholicæ religionis non intellexisse, quamquam id quidem illi re magis fateri coguntur, quàm verbis concedere velint: quippe eos iustum, ac legitimum Apostolicæ Sedis Magistratum Christo Deo auctore institutum, pro cuius fide rogauit ipse, ne vnquam deficeret, & quem conversum confirmare aliquando fratres suos iussit, respuentes, post concitas passim multitudines, post omnes sollicitatos ad defectionem populos, omniaque tumultibus, seditionibus, armis denique, ac bello confusa, ac perturbata, nouos sibi Magistratus, novos Pontificatus, aut Geneuæ, aut Vittembergæ, aut aliis nescio quibus in angulis condere necesse habuisse; & quam in Ecclesia Catholica non ferunt potestatem, eam in cœtibus, & conciliabulis suis nullo iure, aut more coactis*

quæ-

quærere, & Calvinos, & Lutheros, & huiusmodi hominum quisquilias sacrorum Principes, & religionum interpretes pati. At Tridentum ad Concilium veniendi factam omnibus potestatem, nec vniuersos modò, sed singulos quoque benignè inuitatos; datam publicè fidem, seu disceptare quis, seu petere, seu monere, siue etiam expostulare aliquid voluissent, nemini noxæ, aut fraudi futurum. Aduersus id quàm absurdè, quàm intoleranter multa hæreticos? vt cætera sileantur, quàm illud indignum, quòd non Pontificis Maximi, non Patrum, non mortalium cuiusquam iudicium, aut disceptationem admittunt? Ipsam quoque veterem sanctissimorum virorum testatam, litterarum monumentis de Christianæ religionis fide consensionem reiiciunt, & qui id agere, id spectare videantur, vt exleges, & cupiditatibus suis parentes viuant, impotentiæ suæ, atque expetitæ rerum omnium licentiæ diuinarum litterarum nomen, & Dei verbum prætendunt: hoc se tegunt, in hoc delitescunt, hoc mutuo disceptatore differi de sacrorum iure debere contendunt: hominum iudicium fluxum, infirmum, quod labi, errare, decipi potest, scilicet aspernantur; tamquam si aut homines ipsi non essent, aut errore capi, fallique mortalium vni non poßent, & id modo pro vero, sanctoque habendum omnibus esset, quod opi-

ii nati

nati illi fuerint; ea sacrorum librorum interpretatio, sententiaque accipienda, quam ipsi probarint, aptamque rationibus suis duxerint. Religionis, & fidei iura ex sacris hauriri, atque constitui litteris negare neminem posse, sed ne illud quidem dubium esse sacrarum litterarum dicta aliter ab aliis intelligi, extollique. Quot enim ea de re omnibus temporibus Ecclesiæ cum hæreticis controuersiæ? quot nunc & nobis cum illis, & illis inter se de cælestium dictorum vi, atque intelligentia contentiones? Cùm verò obscura multa, & quæstionem, & dubitationem habentia sint in diuinis litteris, quæ veteres illi sanctissimi, atque doctissimi viri Augustini, Hieronymi, Bernardi, Basilii, Chrysostomi, Gregorii vt intelligerent, aliisque explicarent, tantum studii, laborisque exhauserunt, ea nos perspicua, illustria, intellectu facilia esse dicemus? Veriùs, dilucidiùs, ac minori negotio, quàm illi, nos perspicere, interpretarique poterimus? qui neque vitæ, neque ingenii laudibus conferendi sumus cum illis clarissimis sapientiæ, atque innocentiæ luminibus: & quam Ecclesiæ tribuere auctoritatem granamur, eam aut nobis ipsis nostræque auctoritati arrogabimus, aut ad Caluinum, ad Lutherum turbulentos, ac pestiferos homines deferemus: qui, vt perpetuus hæreticis mos, verba Dei interuertentes, ac per summam

mam arrogantiam ad ſenſus, cupiditateſq; ſuas accommodantes, omnem diſſolvunt Chriſtianæ pietatis diſciplinam: & cùm omnis ſemper Eccleſiæ Catholicæ cum omnibus hæreticis lis, & controverſia de ſacrorum librorum ſententia fuerit, ſitque maximè cum iis, qui nefariâ impudentiâ Dei verba ſemper in ore habent, ab iis diſcedi non oportere vociferantur, quaſi ea, aut repudientur à nobis, aut vlla lex, vllum in Eccleſia colendæ religionis inſtitutum ſit, quod non in divinis litteris habeat fundamentum: tamen illi cùm vrgentur, vſque recurrunt eò, in eamque ſe arcem recipiunt, vt dicta Dei, ſicut ipſi aut intellexerunt, aut malitioſè interpretati fuerint, obijciant: denique nullam, niſi quam ipſi invenerint, aut probaverint ſententiam recipiant. Solos-ne igitur Calvinos, & Lutheros, aut alios ab his peſtibus ortos veritatem inveniſſe? Solos diuinæ mentis internuntios, atque interpretes nobis divinarum legum è cælo demiſſos eſſe? niſi hæc edita in lucem monſtra, atque portenta forent, genus humanum merſum æternis errorum tenebris futurum fuiſſe? quam malum amentiam, quem huic ſæculo furorem obiectum, vt ſalutem perditorum hominum ſomniis addictam habere, & de re omnium maxima ex paucorum aut inſcitia, aut ſcelere ſtatuere non pudeat? Ergo Catholicæ Eccleſiæ contemnetur aucto-

ritas,

ritas, cum qua Deus ipse futurum se vsque ad consummationem sæculi, nec portas inferi prævalituras adversus eam est pollicitus? Vsurpatores isti verbi Dei, & nominis eius dignitate ad fallendos imperitorum animos abutentes audientur? Qui & ipsi arripiunt, & aliis faciunt potestatem sacrorum librorum dicta flectendi, torquendique, quò cuiusque animi aut error, aut libido tulerit? Hi non eo, quod plures de Deo, deque Dei verbis, ac ne, quod omnes quidem censuerint, consenserintque, teneri se velint, verbum Dei ipsi opponant, assidueque iactent, quod inde in quam placitum fuerit sententiam detorqueant, eoque stari oportere, vnumque habere disceptatorem pugnent; iustos eius rei iudices refugiant, ac detrectent, atque insuper iniquitatis insimulent? Quod perinde esse, ac si non Regem, non Senatum, non Iudices audiendos, sed iussa legum spectanda, atque iis parendum esse contendatur, quæ inde quisque ad voluntatem fingat, & quocumque cupido tulerit, detorqueat; quid verò id esse aliud, quàm omnes leges, omne discrimen, omnia iura confundere, omnem tollere hominum societatem? Nec finem vllum his malis, dissidiisque imponi velle? id adeò novorum Magistrorum scelere, atque fraude fieri, qui quò vulgi studia retineant, ab omni pacis, & concordiæ mentione, vt à peste abhor-

rent;

rent: quippe quibus in eodem versari, mergique errore multitudinem expedit, & reconciliatâ populorum cum Catholica Ecclesia gratiâ, pace, & tranquillitate constitutâ, sedatâ, atque compositâ Republicâ, nullos se fore intelligant. Ergo has lites, & controversias serunt, aluntque, atque eò maledicendi, atque evertendi omnia libidine provehuntur, vt nullum inter homines relictum Ecclesiæ suæ Caput, ac Rectorem, nullum certum Magistratum, ac Iudicem, ad quem dubiis, difficilibusque de rebus referatur, datum esse contendant, pugnaciterque defendant: & quod vitii ne humanarum quidem legum latores, aut vllius quantumvis barbaræ Reipublicæ conditores, si habeant, ferendi sint, id cælesti Numini, divinæque rationi obiicere execrandi homines non verentur: Ecclesiamque morte, ac sanguine IESV CHRISTI Dei ad salutis spem revocatam, nec hominum consiliis, sed eiusdem Dei sapientiâ constitutam, veluti navem sine gubernatore, cætum sine rectore, corpus denique sine mente relictum aiunt: quod haud satis sciri, vtrum contumeliosiùs dicatur in Deum, an hominibus exitiosius futurum fuerit. Commemoravit inde clades multorum Regnorum, Provinciarumque Christiani nominis, quas obiens ipse proximis annis oculis aspexisset suis, & quot intestinas seditiones, quot

quot motus armorum, quot bella, quot cædes, direptiones, vastationes, quot sacrilegia, quot sacerdotum à templis, sedibusque suis expulsiones, quot denique conversiones, atque adeò eversiones Regnorum, ac Rerumpublicarum hæ pravitates opinionum peperissent, multis verbis luculenter, atque accuratè disseruit: ipsius quoque Poloniæ vulnera aperuit, ab hac eadem peste imposita, pristinam eius gentis tranquillitatem, religionem, consensionem, atque ex eo vim, & robur, florentemque eorum omnium statum cum præsentibus incommodis, ac perturbatione comparavit: Hortatusque inde est ad retinendam patriæ dignitatem, geminamque gloriam iis à maioribus relictam Catholicæ pietatis, & bellicæ virtutis incumberent; quæ ad id vnica esse ratio, viaque videatur, œcumenici Concilij scita, decretaque susciperent; ex iis remedia sanandis eorum animis, atque tot Reipublicæ incommodis haurirent: atque hæc tam varia, tam multiplicia sacra, tot, ac tam dissimiles, ac pugnantes opiniones, quas paucorum improbitas invexit, plurimum aut error, aut levitas, aut licentia aluit, propagavit, & vt malorum omnium segetem, vt morum pestem, & omnis bene constitutæ Reipublicæ tollerent. Postremò contestatus Deum est, se, quæ sa-

luti

luti eorum vtilia essent, & privatim sæpè, & tum publicè monuisse Pontificis Maximi verbis, eadem supremo illo vniversitatis casu, atque vltimi iudicii die, cùm omnes homines ad Tribunal Dei aperti, nudique, ac nullis tecti involucris constiterint, obiecturum iis, atque testaturum, atque hæc dicens reddidit Regi librum. Quæ quidem omnia tantâ vi, tantâ gravitate, atque contentione peroravit, vt non commoverit modò Senatum, & maximè seniores, qui & pristinam Regni valetudinem, & eius initia morbi recordabantur, sed ipsos quoque hæreticos obstupefecerit. Ego quidem, qui præsens pone ipsum aderam, librum manu ferens, affirmare possum, plerosque lacrymantes me animadvertisse. Cùm finem dicendi Commendonus fecisset, velletque Senatu abire, manere eum Rex iussit. *Haud enim, inquit, subridens, minùs liberè apud linguæ nostræ ignarum, quàm si abesses, sententiæ à nobis dicentur:* *ac statim exquiri cœptæ sententiæ*. Vcangius Archiepiscopus Gnesgnensis, qui primus rogatur, ab ingenio suo non discedens, cùm magno honore verborum, & Pontificis Maximi studium; & Patrum Tridentinorum sapientiam extulisset, accipiendum quidem in præsentia librum, sed Commendono respondendum censuit,

ſuit, Regem, poſteaquam illa decreta cum ſuis legerit, quid ſententiæ habeat, indicaturum: Cum Epiſcoporum, & Catholicorum omnium fremitu aſpernantium orationem eius eſt auditus, quâ ſub arbitrium Regis, Senatuſque revocari ſcita Concilii videbantur. Tum Rex non expectatis aliorum ſententiis, quas ex murmure perſpexerat, ſatis ſcire ſe dixit eam à Commendono orationem ex tempore habitam, cùm accerſitu ſuo eâ die in Senatum veniſſet, neque ita futurum divinare potuiſſet, vt quæ tantâ vi, atque ordine pronunciaſſet, ea divini numinis inſtinctu magis, quàm præmeditatione, aut facultate ſuâ dixiſſe, ac monuiſſe eum exiſtimari poſſet. Itaque ſibi placere, vt Concilii œcumenici iuſſa accipiantur, iiſque, vt convenit, & decet, obtemperetur. Atque in hanc ſententiam per Vicecancellarium, vt mos Regi, reſponſum Commendono eſt redditum, deque eo Rex, Senatuſque multis inde, & gravibus verbis eſt ab ipſo collaudatus.



De

De eius ſtudio peragrandi Poloniam.

CAPVT XII.

INDE ab dimiſſo Varſavienſi conventu Commendonus conſilium ceperat Poloniam omnem perluſtrandi, præter inſitum ingenio eius videndi, ac peragrandi ſtudium haud rebus ipſis inutile ratus, ſingulas obire Provincias, cum Eccleſiarum Præſidibus colloqui, & ſingularum noſcere incommoda, quo iis, quantum poſſet, mederetur, & vltimis quoque gentibus, queis nunquam antea viſus Apoſtolicæ Sedis Nuncius eſſet, ſpecimen ſui oſtendere. Viſtulâ nobili Sarmatiæ flumine Dantiſcum ad Balticum mare deſcendit, & ex itinere ad Plotiam, & Vladislaviam, & Culmam Epiſcopales omnes vrbes ad ripam fluminis ſitas appulit. Dantiſcum frequens eſt, ac celebre oppidum ad Viſtulæ oſtium, ac nobile Septentrionalis plagæ emporium portu maximè inclytum, quem Viſtula lato ſe ore in mare effundens efficit, vbi ſæpe ſexcentæ naves maiores formæ ex Livonia, Suecia, Dania, Germania, Belgia, Britannia, Gallia, atque Hiſpania varias ferentes, petenteſque merces videri dicuntur. Præter hunc duo ſunt in Pruſſia portus ad Albin-

gam, & Chinispergam, sed nullus celebritate cum Dantiscano conferendus, quamquam Albingensis magnas habere opportunitates dicitur. Iis ex Regnis vinum, oleum, saccarum, atque aromata, & lanei panni, & serici aduehuntur, exportantur frumenta, vinum, oleum, mella, cera. Hanc vrbem loci opportunitate ducti Teuthonici sodales condidere paulò postquàm in ea loca ad res contra Prussos gerendas à Pontifice Maximo missi venere, quæ cùm postea iniuriis coacta se in Polonorum potestatem tradidisset, ab iis mutatæ fidei præmium libertatem cum legibus suis vivendi accepit, quam miscendo se inde alienis discordiis sæpe auxit, interdum etiam omnem amisit, sed pecuniâ, atque auro omnia damna sarcivit; quo quàm armis validior civitas, tectiorque semper fuit, frumenta enim, aliaque quæ Poloni ad eorum vrbem deportant externis mercatoribus, aut omnino alteri, quàm Dantiscano ciui vendere per leges eorum non licet, quo fit, vt iis paruo veneant, quæ inde ipsi quamplurimo vendunt. Hinc magnæ illis, & privatim, & in commune diuitiæ, quibus adhuc suam retinent, ac tuentur libertatem, atque vrbem publicis, & priuatis ædificiis egregiè nobilem incolunt. Et est Prussia ferme omnis, quàm Polonia ædificata

cle-

elegantiùs: nam raræ apud Polonos è lapidibus domus, è ligno, suppetentibus facilè materiam vastis, & frequentibus sylvis, extruunt, nec id genti studium laxè, aut ornatè habitandi. Prussia Germanis ferè incolitur, vnde cuncta illic Germanico more, quamquam pastores, cultoresque agrorum nec Germani sunt, nec Germanicè sciunt: reliquiæ antiquorum Prussorum esse putantur, nec hos Lutherana hæresis omnes, vt vrbanos, traxit cùm linguæ commercio discretos, tum quâ semel imbuti erant, religionem constantiùs retinentes. Ne autem omnis à priscæ pietatis cultu, in nouas, diuersasque sectas Prussia abierit, maximè virtus obstitit, ac vigilantia vnius Hosii Cardinalis. Is & suam ditionem (nam pluribus oppidis Varmiensis Episcopus imperitat) à contagione eius labis prohibuit, & inductum in Prussiam Iesuitarum Collegium Brumspergæ, veluti in statione aduersus hæreticos collocauit, & multos sanctitas viri, innocentiaque continuit, vt quamquam latè in omnes fusum id malum sit, tamen inter ipsam nobilitatem nonnullæ in Ecclesiæ fide familiæ permaneant. Prussi vt dicti à veteribus sint haud satis ne inter ipsos quidem constat: partim Germanis adscripti, partim Sarmatis videntur, & hodie vtrâque misti sunt gente: sed tum

nulla cum his populis commercia, ideo ne cogniti quidem satis; sub Nerone profectum Pannoniâ Equitem Romanum ad emenda succina in ea loca penetrasse vt miraculum referunt. Prussorum nomen à Borussis accepere, qui è Scythia, vltimisque Europæ terminis, quà ortum Tanais habet, profecti eam regionem vastatam, desertamque à Gothis insedêre: ibi diu patrio ritu, nullis ædificiis, nullo agrorum fructu, nisi quem terra sponte ferret, nullo aut in Deos, aut in homines cultu, denique nullo imperio, aut lege egêre, melle quod passim per sylvas apes fundebant, & lacte, & sanguine equorum, & ferarum carnibus vescentes; tanta barbaries inerat, vt sine vllo coniugii nomine, aut discrimine fœminas in qualcumque, aut sors, aut libido impulisset, brutorum ritu inirent. Ex tam prompta, & promiscua venere ingens brevi propagata multitudo, qua prægravante, ne angustiæ inde finium vrgerentur, infantibus, quæ fœminæ ederentur, necatis, mares tantùm suscipi, nutririque instituerunt, nec vlla toto biennio muliebris stirps servata. Graves accolæ finitimis iam erant, nihil circà non infestum latrociniis, ac rapinis iuventute eorum relinquente, nec ipsis moderari facilius erat nullo rectore, aut lege agentibus. Ob id cùm de Republica ali-

quan-

quando coiuissent, vnus Barbarorum haud sanè stolidi ingenii, nomine Viduutus, qui piraticam faciens nonnihil etiam opibus eminere inter eos cœperat, *Quin, inquit, ab iis apibus, quarum quotidie pascimur fructu, viuendi quoque exemplum capimus? An videtis, vt illæ vni parere didicerunt, vt ab eo æquo iure habeantur, vt inertes ad laborem coguntur, strenuis, atque industriis optimæ in suis cauis sedes dantur?* Dictis assensere omnes, atque ipsum Broterum suum esse Regem apum, ipsi sua linguâ sic vocabant, iusserunt. Non defuit illi animus, atque indoles Regis, ab illa promiscua cum qualibet se miscendi consuetudine reuocauit, coniugiaque, & discrimina liberorum instituit, & aliquod quoque legum frenum Barbaris iniecit; sed ante omnia Deorum metum, opinionemque incussit, qua plusquam vllis legibus multitudo continetur, sumpto à finitimis Samogitis, atque Lithuanis more, serpentes, rarum in frigida regione animal, vt Deos vereri docuit: deinde feras quoque, quas in victum antè assiduè venabantur, quò iis parceretur, syluarum numina esse dixit: postremò syluas ipsas quasdam consecrauit; & diuisos inter omnes agros colere iussit. Sed vicinis populis eò terribiliores Barbari erant, quòd sub Regibus disciplinam viribus addide-

rant, cùm Massouios (Poloniæ populi sunt) populationibus, cladibusque fatigatos in magnum metum suarum rerum coniecissent. Conradus eorum Rex ad Pontificem Maximum Romam confugit, adhibitis Germanorum quoque, & maximè Saxonum precibus, qui & ipsi ægrè Barbaros à finibus suis submouebant. Ab eo, quia Christiani à contemptoribus Dei oppugnabantur, missi in Prussiam sunt Teutonici sodales, qui tum maximè Syria à Saracenis pulsi, nouam sedem militiæ à Pontifice Maximo expectabant. Ii ad xxx. millia hominum fuisse dicuntur, Germani omnes genere; cæteræ enim omnes nationes ea societate excludebantur, quę paucis orta initiis, aucta, confirmataque Pontificum Maximorum auctoritate ad magnam dignitatem, opesque peruenerat. In Prussiam profecti sedes accepêre citeriorem Vistulæ ripam, Culmensemque omnem tractum, multosque annos vario marte cum Prussis bellarunt. Postremò secundis aliquot præliis attritis Barbarorum rebus, & magnâ multitudine eorum interfectâ, omni Prussiâ potiti sunt. Gens Christiana sacra accipere coacta, missis à Pontifice Maximo, qui eos in Christianę disciplinæ ratione erudirent, quam adeò Barbari aspernati initio sunt, vt Aldebertum Balemum Archiepiscopum, virum,

rum,

rum, quem sanctitas morum, & miraculis affirmata religio in Diuorum retulit numerum, ad eos à fœdo cultu bestiarum auertendos Româ profectum, sacra facientem aggressi obtruncarint; & sępè, quam metu, & simulatione susceperant, Christianam religionem exuerint. Sed Pontifices Maximi Prouinciam omnem in Episcopatus diuiserunt, datis Episcopis, qui eos regerent. Horum operâ paulatim mollitę Barbarorum mentes, & ad pietatis studium traductæ sunt, violatis eorum lucis, serpentibusque, & aliis diis interfectis, atque abolitis. Mansit ergo Prussia in Teutonicorum sodalium ditione, & Romanæ Ecclesiæ fide vsque ad memoriam nostram, & vires, atque imperium in eam amplitudinem propagarunt, vt aliquando cum sexaginta millibus equitum in aciem descendisse dicantur, ad eorum præfecturam viri Principes Regio quoque orti sanguine summis studiis aspirarent, magnumque decus, ac titulum in familiam se intulisse putaret, qui iis præpositus cum imperio fuisset: ipsi Magistrum appellabant, & Regiâ præditum potestate Regio quoque cultu habebant. Quamdiu ille ferus, & internecinus hostis exercuit, mansit ei integra disciplina, cuius vnus est custos optimus timor, qui vbi domitis, ac debellatis Prussis decessit, in omnem

præcipites licentiam, luxuriamque decidêre, elatique successibus, nec iam Prussiæ dominatu contenti, animo ad vasta, atque immodica adiecto, sæpè Samogitios, atque Lithuanos armis tentarunt. Sed longè atrocissimum, maximeque diuturnum cum Polonis bellum gesserunt, quorum in primis rogatu in ea loca missi fuere. Cum iis per centum & quinquaginta annos vario eventu de potentatu contenderunt. Postremò à religione, sacrisque Romanis desciscentes, cum Catholica fide etiam imperium amisêre. Pervasit enim velut continens incendium omne Germanicum nomen exitialis Lutheri doctrina, atque hos Prussiæ, & Livoniæ sodales (nam in ea quoque gente obiecti Barbaris erant) tantus furor incessit super novitatis studium insitum mortalium mentibus, stimulante animos cupiditate occupandi, & hæreditarias sibi, suisque faciendi præfecturas, quas à societate habebant, vt non abiecerint modò cruces, quas in signum institutæ adversus Catholicæ religionis hostes militiæ collo suspensas, ex lege societatis assiduè gestare antè consueverant, sed eas per summam Christianæ pietatis contumeliam, atque ludibrium, figerent pro signo, telisque incesserent, & sclopis collimantes traijcerent, ac perfringerent. In-

sta

ſta igitur læſi Dei ira factum eſt, vt ea nobilitatis ſubſidia, atque induſtriæ præmia Germanico ſanguini, ac nomini erepta interierint. Nam Albertus Brandemburgius ſocietatis Magiſter per ſpeciem finiendi diutinum cum Polonis bellum, quod ægrè iam ſuſtinebat, ſublato omni ſocietatis iure, ac nomine, cuius ipſe ſuffragiis ad eum honorem pervenerat, publicas opes ad privatam potentiam vertit, & Romani Pontificis, & Germani Cæſaris ſpreta auctoritate, partita cum Polonis Pruſſiâ, ſe in fidem, ac ditionem eorum dedidit, cum eo, vt Dux Pruſſiæ appellaretur, atque conceſſi ſibi imperii jus filios quoque, poſteroſque ejus ſequeretur. Ipſe immemor religionis, votique, quo ſe Deo obſtrinxerat, per licentiæ magiſtram diſciplinam Lutheri, ad quam tranſierat, vxorem duxit, filiumque propè ſeptuagenarius ſuſcepit. Hunc ipſum Albertum ego, cùm obirem Pruſſiæ partem eam, quæ Regni illius eſt, apud Chiniſpergam vidi, & vt externus, & qui cum Romano Legato in ea loca veniſſem, (nam Commendonus apud Cardinalem Varmienſem Hedſpergi ſubſtiterat) benignè, atque hoſpitaliter ſum invitatus, & cœnæ adhibitus, in qua ipſe medius inter duas matronas, quæ illi cibum miniſtrabant, interdum etiam ori admove-

bant, discubuit; erat enim confectus ætate nonagesimum annum agens. Sermo ejus comis, & vt fermè senum, multùm de temporum suorum rebus, quæ mecum, aut à me intelligi volebat, Latinè loquebatur, sed adeò inconditè, ac barbarè, vt pleraque me fugerent, præterquam quòd lenta ob senium, ac parum explicata oratio ejus erat.

De Prussiæ feris.

CAPVT XIII.

ABEVNTEM, datis qui ad septa ferarum visenda (hac enim potissimùm causa veneram) deducerent, quæ quinque inde millia passuum apud novam domum ille habet, multa cum humanitate verborum dimisit. Ferarum, quas Prussia habet, paucas narrasse sat fuerit: cùm id mihi susceptum non sit, nec desint scriptores, quibus id solum propositum. Ex omnibus maximè differunt à nostris Vri, ac Bissontes, sylvester vterque bos, vtrique natura ferè eadem, sed species diuersa, etsi plerique auctores nullo discrimine eos tradidêre. Vis, velocitas, feritas, magnitudo vtrique pæne paria, sed forma in nulla re à domesticis bobus, præterquam pilo differt, qui horridior bel-

luæ,

luæ, & subniger nonnihil, & mole corporis bouis magnitudinem excedit. Iulius Cæsar paulò infra Elephantes posuit. In Mazouiæ syluis circa Rauam armenta eorum esse feruntur, nec ferè alibi in Polonia Vros capi, seu natura loci gignit, siue alibi venatu agitati, pulsique eò congregantur, vbi capitale fuerit præterquam ex auctoritate Regis eos violasse, aut omnino in ea loca venatum isse. In Prussia vitulos vidi, quos stabulo emissos celeri sanè motu concursantes, & lasciuientes spectaui. Horum carnibus vescuntur Poloni, & Principum conuiuiis adhibent, paulùm frigoribus antè maceratas; & ipsi edimus, nec mihi à veri bouis carne magnopere distare sunt visæ. Fertur syluestris, ac fera bellua agrestes vaccas inire interdum: verùm nec genitum ex his viuere, & pelli armento, qui se alienis miscuerunt: cingula quoque dissecto ferè corio, fiunt, queis juuare mulierum partus dicuntur. Bissontibus & vis, & figura atrocior, panda, atque lata ceruice, deducta cornua, ac majora, quàm Vris torta, vt Taurorum, erectaque ad ictum, & acuta, colore nigro, tactu lenia, intus caua, aures paruæ, ut juvencis, grandes oculi, rubentes, atque ignei, torvo intuitu, ac truci, cùm irascitur, flat minaciter naribus, mento ut barba pendet, ju-

ba, eadem collum omne, armosque vestit, & anteriora crura hirsutis villis, & nigris: à collo super humeros declive tergum, graciles clunes, posterior omnis pars strigosior. Cauda vt Tauri, quam per iram in cursu erigit, vibratque. Rariùs hunc, quàm Vrum conspiciunt. Bissontem ego in Alberti septis vidi juvencum, cui cùm sepimentum ingressus, in quo ille claudebatur, temerè contemplandi cupidus appropinquarem, admonitus ab eo sum, à quo ducebar, pedem vt referrem; si fera impetum fecisset, spatium ad recipiendum me in tutum extra septa non habiturum, quamvis passus non ampliùs viginti progressum, & bellua pæne ad lapidis ictum abesset, tantùm ei inesse aiebat pernicitatis. Pascebatur vnà agrestium boum armentum, à quo ille non abscessit, sed in nos versus intentus, & ferox respiciebat. Neutra ferarum facilè aut conficitur, aut capitur; Bissonti eam vim esse ferunt, ut unà equum, sessoremque ictu cornuum sublimes tollat, & celeritatem, ut si porro concitus insequatur, nullius equi quantumvis pernicis ope effugias. Qui capere vivos volunt, quod rarò accidit, foveis insidiantur, sed non facilè quò velis impellas, ultro in hostem irruentem duplex aggrediendi ratio. Sagittandi periti in equis disponuntur, qui

etiam

etiam averſi, & fugientes tendere arcum, Scytharum ritu, ac mittere jacula norunt, in quem primum fera canibus excita impetum dederit, is conjectis telis capeſſit fugam: inſequentem magnâ vi excipit alius, in hunc priori relicto avertitur, ita ſubinde pluribus ſubeuntibus, ac repetentibus pugnam, atque illo in eum ferente ſemper impetum, qui ſe ei noviſſimus obtulerit, fatigata, ac ſagittis confixa concidit. Eſt & alia adoriendi via. Venatores deligunt arbores non magnitudine, ne circumeundæ curſu ſint, ſed aptas corporibus ab ictu belluæ tegendis, & quas levi motu corporis ambiant. Ad has conſiſtunt crebris circa ſtationibus, fera canibus, & miſſilibus irritata, in quem primum conſpexit accenſa fertur: ille arbore tectus declinat ictus, & inferentem ſe venabulo appetit, bellua in arborem, velut in hoſtem ſævit, & percita rabie, & cuulſura radicibus ſubmittit cornua, tantoque atrociùs furit, quanto interea graviùs à venatore foditur: in eo certamine, haud minùs quàm cornu beſtiæ, linguam, caudamque timendam eſſe venatores aiunt, quam exertam injicit, & qua eſt aſperitate abripit, vel ſi ſummam modò veſtem apprehenderit, qui amovere ab arbore, ſeque, ac feram, & quietem capere voluerit, rubrum è capite projicit pileum.

leum, in quem illa vesano impetu ruit, vel à tergo ululans, telumque conjiciens alter in se avertit, ac pari ratione ex arbore pugnam ciet, donec lassitudine, ac vulneribus confecta cadit. Capitur item iisdem sylvis animal, cujus consimilis cervo figura, nisi quòd paulùm magnitudine antecedit, cornua ut ceruis magna, & ramosa, eo tantùm differunt; quòd non erecta consurgunt, sed flexa reclinantur in dorsum, nec teretes eorum rami, sed lati, ferme ut pedum anserum palmæ junguntur; data ad pugnam non videntur: nec fera ipsa invadentes canes cornibus, sed calce petit, interdum lethali ictu; capitur ferè validis circumdatis plagis, in quas à tergo clamoribus, aut canibus acta præceps cursu se induit: si catulos suscipias, alasque vtì ceruæ mansuefiunt, atque ad homines assuescunt, ungula eorum curari comitialem morbum constans est ferè apud omnes opinio. Quidam omnibus ungulis eandem esse vim, quocumque tempore, aut modo cæsis contendunt, quidam dextera posteriori crure viventi abscissum oportere esse tempore, quo maximè ardore libidinis sævit. Correptos morbo comitiali, cùm visu, sensuque ablatò affligantur, ungulæ parte, quantumvis parua tactos excitari credunt; anuli ferme ex ea fiunt, quos item qui in digito habent,

bent, corripi eo morbo negant, & vulgò feruntur. Itali Bestiam magnam ab corporis mole vocant. Poloni Onagrum, recentes scriptores Alcem indidêre nomen. Onagri sylvestres sunt Asini, quos Asia, & Africa, & præcipuos Phrygia, & Licaonia ferunt; nec huic simile quidquam. Alcibus Iulius Cæsar Caprarum maximè formam, & varietatem tribuit, & mutilas cornibus esse, & crura sine nodis, articulisque habere scribit, & ne quietis quidem causa procumbere, sed applicare se arboribus, quas subrui à venatoribus solere, ut cùm se fera in eas reclinaverit afflictis pondere arboribus unà concidat. Quarum rerum huic visæ à nobis Alci nihil convenit. Plinius Alcem in Septemtrionalibus oris gigni jumento similem, nisi proceritas aurium, & cervicis distingueret, tradit. Et feros equos in Alberti septis vidi, qui in vastis Prussiæ, & Samogitiæ nemoribus capiuntur nullum ad vsum: nam præterquàm quòd parvi sunt, ac deformes, & domari, & sessorem pati ob infirmitatem crurium posse, & omnino mansuefieri negant; ab hominis certè conspectu statim refugiunt; carnibus eorum, ut reliquarum ferarum incolæ vescuntur.

De Succino.

CAPVT XIV.

IN Prussici maris littore Succinum legitur inter reliqua maris purgamenta reiectum, &, quibus ea cupiditas est, etiam inter fluctus scrutantur, & vel arenâ obrutum, limove eruunt. Captura eius publicè præconi subiicitur, & cupidè, & sæpe magno redimi pluribus licentibus solet, nec levis quæstus ex eo, quamquam non quantus antea fuit, & Romanis olim tanto fuisse in pretio, luxuque videtur, vt petitos bello hos populos Domitiano Cæsare ob Succinum memoriæ proditum sit, & Barbaros mirantes rem nullius usus tanti à Romanis æstimari, non insulsè tradito, quod vilissimum apud eos, & belli causa erat, pacem recepisse; & Plinius tradit, quantumvis paruam hominis è Succino effigiem viuorum, & valentium hominum pretia excessisse. Minuit, & minuta maiestas religionis hoc sæculo illi pretium cùm antea in Dei, Diuorumque imaguncula formatum à piis hominibus magnâ mercede pararetur, fingereturque vis ingens in paruos globos, quibus filo traiectis preces numerantur, quæ ad Virginem Genitricem propitiandam tradito

à maioribus ritu fiunt, crebroque ad certum numerum repetuntur, quas ab quadam similitudine coronas appellamus, iisque haud minùs nostræ fœminæ, quàm cætero ornatu, quo nitere, ac splendere student, lætantur. Nunc capta ea gens novis erroribus, hæresibusque ab religioso vsu vertit in ludicra, latrunculos, coclearia, vasculosque fingens, caveas quoque, quibus concinentes aviculæ includuntur, vidimus affabrè factas, sed nullo usu ob fragilitatem: hoc fit, ut nec appetatur, ut antea, nec tanti væneat. Quæ illi natura, aut ex quo gignatur nondum satis compertum, quamquam non incuriosè quæsitum à multis, variantque de ea auctores, non veteres solùm, sed etiam nostri. Credibile est in Septemtrionis insulis, sive scopulis, sive arboribus manare liquorem, ut cerasis gummi, & mox concrescere gelu, ac in mare delapsum durari aquis, expuique inde fluctibus in contrarium littus. Hoc gigni modu argumento sunt quisquiliæ, aliaque quæ in pellucidis cernuntur: nam culices, apes, muscas, araneos ipsi vidimus, quas liquenti adhæsisse humori, inque durescente inclusas existimare licet, nullâ parte suî corruptâ, læsave. Martialis ludere in omnia versiculis solitus non apem modò, & formicam, sed viperam quoque Succi-

no

no interceptam: ipsos versiculos subjicere non pigebit.

APIS.

Et latet, & lucet Phaethontis condita gutta,
Vt videatur apis nectare clausa suo.
Dignum tantorum pretium tulit illa laborū,
Credibile est ipsam sic voluisse mori.

FORMICA.

Dum Phaethontea Formica vagatur in vmbra,
Implicuit tenuem succina gutta feram.
Sic modò quæ fuerat vitâ contempta manente,
Funeribus facta est nunc pretiosa suis.

VIPERA.

Flentibus Heliadum ramis dum vipera serpit,
Fluxit in obstantem succina gutta feram.
Quæ dum miratur pingui se rore teneri,
Concreto riguit vincta repentè gelu.
Ne tibi Regali placeas, Cleopatra, sepulcro.
Vipera si tumulo nobiliore iacet.

De Russia.

CAPUT XV.

DANTISCO Commendonus Elbingam, atque inde Varmiam petiit, fuitque plures cum Stanislao Hosio Cardinali Varmiensium Episcopo dies, ut suprà diximus. Visâ Prussia regressus in contrarium latissimè patentis Regni latus, quà maximè in meridiem vergit, multis peragratis populis, Roxolaniam, hodie Russiam vocant, transiit, adito, ut docuimus, ad Parzoviam Rege: à quo dimissus Lublinum, atque inde per Chelmiam, & Belzam Leopolim venit. Caput hæc Russiæ est ejus, quæ Polonorum imperio paret, Archiepiscopali honore nobilis, quin quod rarò ulli civitati accidit, duo sunt Archiepiscopi; nam præter Catholicum, & Romanæ Ecclesię cultorem, cui civitatis, & sacrorum cura mandata est, Armeniorum natio suum in ea civitate Archiepiscopum habet. Ea Turcarum pressa servitio sedibus suis relictis, cùm Euxinum transmisisset ab ostio Danubii per Valachiam in Russiam transgressa permissu Regum ibi consedit, usuique sunt Armeni Russis, quòd dediti mercaturæ cum Turcis, Persisque, & aliis Eu-

xini

xini accolis negotiantur, externaque multa in Poloniam inferunt, & immunitatem vectigalium inter Barbaros habere dicuntur datam iis à Mahomete, quem Turcæ, multæque Orientis nationes relatum inter cælestes pro Deo colunt. Hunc educatum in Armenia, & ab iis benignè habitum, postquàm ad magnum imperium pervenit, vetasse ferunt ullum ab Armenis portorium exigi. His Leopoli, sacrisque eorum Archiepiscopus præest, magnusque ei cultus, honorque ab illis habetur. Is advenientem Commendonum extra urbem obviàm egressus, præcipuâ gratulatione accepit, eumque demissè admodum, & humiliter est veneratus. Armeni in Romanæ Ecclesię fide se esse prædicant, & Pontificem Romanum in jus Divi Petri Apostolorum Principis successisse, ac divinæ potestatis inter homines vicarium esse confitentur, sacra tamen ab Armeniorum Patriarcha petunt, & Patriarcham ipsum à Romano Pontifice ex eo aiunt non petere, quod remissum id illi à Pontificibus Maximis, irrogatumque hoc genti Armeniorum privilegium sit, tum ob longinquitatem itinerum, tum ne ea re Turcas offenderent, magisque in se irritarent. Hæc differentes ipse audivi, & graviter ferentes, si quis secretos ab Ecclesia Romana eos diceret, cujus se in fide,

fide, ac ditione esse contendunt. Sed credibile est, ut in externos ritus degenerarunt, ita errores quoque in mentes eorum multos irrepsisse. Matrimonia ipsa magnâ religione habent, rem divinam facientem ego Archiepiscopum eorum spectavi eodem ferme cultu, quo nos, ac pari collucentium circà luminum, ac vestimentorum apparatu, quæ ne formâ quidem magnopere à nostris differunt. Azimum panem, ut nos, immolant, sublatamque manibus sacratam hostiam populo adorandam nostro more præbent, sacrum omne magnâ religione conficiunt: leges, carminaque divinarum rerum Armenicis scripta litteris, ac linguâ habent, sed ea præter sacerdotes pauci intelligunt, vulgò ipsi Scythicâ, & Turcicâ linguâ loquuntur, Latinè nesciunt, sed Latinos scriptores divinarum litterarum interpretes aliquot in Armenicum versos habent, plurimumque auctoritatis iis tribuunt. Ephrem Armenium inter Divos relatum colunt, scriptisque ejus maximam fidem habent. Præter Armenios, qui ferè Leopoli, & Carmenesii habitant, fusus totâ Russiâ est ingens hominum numerus in sacrorum disciplina Græcorum rationem, atque instituta sequentium, Rutheni vocantur, & Chioviæ (quæ civitas est ad Boristenem in citeriori ripa sita, & latè

caput

caput earum gentium olim fuit) Antistitem, atque Principem sacrorum habent, quem ipsi Metropolitanum Græco vocabulo appellant, dictoque ejus audientes per Russiam, Vallachiam, Lithuaniam multi Episcopi sunt,& aliquot etiam trans Boristenem in Moscorum Regno. Ipsi Constantinopolitani Patriarchæ imperio, ut reliqui omnes in eadem secta sunt, continentur. Chioviæ Metropolitanus fuit Isidorus, qui cum splendido comitatu centum equitum è Russia Florentiam vocatu Eugenii IV. Pontificis Maximi ad clarum illud orbis terrarum Concilium venit, ad quod non Græci tantùm, atque Armenii cum Patriarchis, & Præsulibus suis convenere, sed cum Pontifice Maximo Imperator ipse Græcorum à Constantinopoli classe advectus interfuit, in quo cùm diu de veteribus inter nostros,& Græcam nationem controversiis disceptatum esset, postremò causa, & rationibus victi Orientales in Catholicæ Ecclesiæ sententiam omnes concessère; honorique gentis datum ab Eugenio est, ut duo eorum doctrinâ, & dignitate præstantes in Cardinalium Collegium legerentur, quorum alter Bessario Nicænus ætatis suæ vir religione, & virtute longè clarissimus. Alter Isidorus Chiovensis Antistes fuit. Sed Græci assensi magis sunt in præsentia Concilii

cilii auctoritati, quàm inde decretis paruerint. Et Isidorum apud Moscos Catholicæ pietatis disciplinam, vniversæque Ecclesiæ consensionem prædicantem Barbari spoliatum omnibus fortunis, iniuriis abire provinciâ, ac redire Romam coegerunt, ubi Pontificum Maximorum liberalitate sustentatus, reliquam vitam suam egit. Rutheni præter ea, quæ sacerdos rem diuinam faciens ex ipso sacrificii loco de sacris recitat libris, nullas de religione, & cælestium rebus conciones ad populum habent; scilicet multitudinem piè colere acceptam de Deo fidem, non difficultatibus, & captum ejus excedentibus quæstionibus agitare, impellique eorum mentes volunt. Hinc retinentissimi suorum sacrorum, & deprauatis variâ hæresi tot circà populis, cum quibus ipsi & linguæ, & rerum omnium commercia habent, incorrupti manent, nec ullis se nouis opinionibus infici patiuntur. Iudæorum quoque hæ gentes admixtam multitudinem habent, non ut in plerisque locis inopem vitam fœnore, & seruilibus operibus tolerantium, quamquam ne hoc quidem genere quæstus abstineant, sed qui & agros possideant, & mercaturam faciant, & litterarum quoque studiis, maximè Astrorum, & Medicinæ se excolant, & ferè vectigalibus publicis præsint, ac ad hone-

honestam fortunam perueniant, ut non æquentur modò ingenuis, sed interdum etiam imperent: nec tegumento capitis, ut apud alios, aut ul'a omnino insigni re à Christianis distinguuntur, quin arma ferunt, & cum telis incedunt, & planè æquo cum aliis jure viuere videntur. Commendonus ab Leopoli Camenetiam progressus Cotthinum Vallachorum oppidum in ulteriore ripa Tyræ aspexit: atque deflectens inde ad ortum per ultimos Polonorum fines, & loca paucis antè diebus Scytharum incursione vastata ad Boristenem circumiit, & relicta ad dexteram Chiouia, ubi vetustæ, ac nobilis urbis vestigia, ruinæque visuntur, per Ostrorogum, & Luxicum Leopolim rediit ab Alberto Lescio Polonicæ iuuentutis tum facilè principe cum egregia equitum manu deductus: inde Ieroslauiâ, Prismiliâ, Tasnauiâ aditis, ubique summis studiis, atque officiis, & publicè, & priuatim à Regulis, & Principibus cultus in Poloniam, atque Petricouiam contendit: quò Rex Concilium gentis indixerat, frequentesque adesse Principes iusserat.

De

De Podolia, deque eius frequentandæ consilio Regi allato.

CAPVT XVI.

ADVENIENTEM Rex benignè, amanterque accepit, multa ſuper populis Regni ſui, quos obiviſſet, ab eo ſciſcitans, qui Podoliam (pars hæc eſt Ruſſiæ) locaque incolunt inter Tyram, & Boriſtenem, quæ flumina *Nieper*, & *Nieſter* Polonis vocantur, atque altero à Vallachis, altero à Moſcis, Scythiſque dividuntur, latiſſimos agros, & ſummæ fertilitatis habent; verſâ leniter terrâ ſemen jaciunt, nec deinde ampliùs ſementem, niſi cum falce ſecandam reuiſunt, adeò nullam culturam bonitas ſoli deſiderat, & quidem acceptum tanto cum fœnore reddit, vt ex vno frumenti ſextario quinquaginta atque ampliùs gignat; quin fama eſt, ſi paulùm modò in metendo ſpicas decuſſeris, ex granis, quæ deciderint, ſequenti, atque item tertio anno ibidem meſſem habiturum, nihil arato agro, nihil culto. In vaſta planitie, ubi terra intacta omni culturà ſuo ingenio parit, tantâ fœcunditate luxuriant herbæ, ut maximæ ſuperare altitudine hominem dicantur; lateque odorem fundere, & pecora,

quibus illi magis, quàm aruo ſtudent, abigi paſcuis, ne pabulo nimio intereant. Haud minùs totâ illâ regione copiam mellis mirere, ne id quidem ullo incolarum labore, aut induſtriâ quæſitum: ſponte ſuâ per omnes ſyluas fuſa apum examina arboribus inſident, & ſicubi caui aliquid repererint, ſpargunt mella, quin rimis quoque terræ, hiatibuſque ſe condunt, paſſimque vim ceræ, melliſque fundunt. Advenientia examina, nam mos apibus ſe invicem pellere, acribuſque prœliis, veluti juſtis aciebus inter ſe concurrere, agreſtes prohibent, quò veteribus, velùti hæreditariæ ſuæ ſedes maneant: hic unus cultus illis habetur; plurimùm mellis irrepertum, neglectumque perit, incolæ ex eo mulsùm efficiunt radicis ſucco acri admixto, quo nimiam dulcedinem coerceant, atque hoc potu Podolii, Ruſſique, & undique accolæ gaudent, eoque magna intemperantiâ ſe ingurgitant. Vernum longè optimum putant, Lipiezum ipſi appellant, nec alius mellis vſus ferme apud eos, ſed & frumenti non pluſquam quantum abundantiæ eorum ſatis ſit, ferunt: ſunt & crebri per Ruſſiam, Podoliamque lacus, quidam etiam de induſtria, opere, & manu facti, magnique proventus ex iis; certare fœcunditate cum terra aquæ videntur, tanta vis editur piſcium. Optimi

omnium

omnium Lucii, & magnitudine reliquos excellunt. Sale condiunt, vicinisque populis impertiunt, nec aliud ferè uberius illi vectigal. Quibus propinquæ, ac plures piscinæ, secernunt genera, nec promiscuè habent: fortasse ne mutuâ consectatione, aut metu minùs subolescant. Piscantur maximè hyeme, cùm frigorum vi rigent omnia, & flumina, & lacus haud secùs, quàm marmora sic duruerunt, ut non homines modò, equosque, sed ingentia quoque plaustra onusta ferant; tunc crebras veluti fenestras dextrâ, sinistrâque perforatâ glacie aperiunt, paribusque spatiis ad perticarum modum, quas in introitu lacus sub glaciem utrinque immittunt; has ab sua quisque parte per proximum foramen exceptas furcis transmittunt ad aliud, atque deinceps aliud, donec ad ultimum, quod opportunè perfossum in diversa parte est, coeant. Perticis suspensa retia toto lacu, aut per quantum ipsi spatii complexi foraminibus fuerint, explicantur, panduntur que, & cuncta subtus convertendo, quantum est piscium trahunt, idque fit siccis pedibus, & nullo labore. Hoc loco rem vix fidem habituram pigeret referre, nisi gravissimos viros permultos, & ipsum quoque Regem auctorem haberem, qui omnes vidisse se, sanctè affirmarunt. Accidit aliquando hi-

 ber-

berno tempore, cùm ita piscatur, ut ab imis lacubus involutum retibus extrahatur in littus globosum quid molle, & informe, quod videatur madidis, diuque maceratis plumis compactum, sed ne id quidem satis dispici possit, uti esse caro recenti ursæ fœtus dicitur, nisi quòd hoc nigrum, & majus; si moveas, projiciasque inanime dicas: at idem si in hypocausta, in quibus ferè Poloni ob magnitudinem frigorum agunt, calidaque admodum habent, intuleris; paulatim calore recreatas, excitatasque reviviscentes, & mox etiam avolantes hirundines cernas. Hæ aves adventante hyeme magno numero coire, unaque unguibus rostro inter se complicatæ mergi aquis dicuntur, atque in fundum delatæ terræ tepescentis vapore foveri, atque intolerabili rigentis cæli frigore defendi, totamque hyemem, aut humore, aut ipso veterno nutriri: vere novo emergere, avolareque; an spirent sub aquis volucres, & ademptâ spiritus mittendi, recipiendique facultate, ut vivant, quærant, quibus cordi est scrutari abdita naturæ: nos rem apud eos minimè dubiam retulimus. Lacum quoque esse in ultimis Podoliæ finibus haud longè Ciazovia ferunt nomine *Cozbeiu*, cujus aquæ æstivis siccatæ solibus in salem omnes abeunt, asportarique eum à Russis quotannis coa-

cto magno plaustrorum numero. Sed sæpè accidere, ut occursu Scytharum, qui prædæ simul hominum, simul jumentorum insidiantur armis, ac prælio cum iis contendant, nec rarò Scythas, conjectis in fugam custodibus prædâ potiri. Id quoque è Scythiæ miraculis non omiserim, quod tamen ego à nullo, qui se vidisse diceret, accepi; scriptores prodidêre, multique fidem iis affirmant. In fluminibus, maximè Boristene, & Boccho per æstatem noctu gigni vim magnam vermium: hos manè aquis supernare, meridie innatis pennis circum ipsas volitare, cadente sole omnes occidere, & circa Belzam, & Chelmiam sylvestres pinus, quas ferè Poloniæ sylvæ habent cæsas, aut sponte ad terram delapsas in humum putrescentes, intra biennium lapides fieri. Sed hæc nos paulò ab instituto abduxerunt. Vberrimi Podoliæ agri partem maximam, quà Pontum Euxinum aspicit, deserta, atque vasta solitudo tenet; quòd & infesta loca sunt Barbarorum excursionibus, & suas fruges quò asportent, habitatores non habent: neque enim ipsi ut reliqui Poloniæ populi, aut Vistula, aut in Vistulam influentibus amnibus frumenta, & reliquos terræ fructus devehere Dantiscum, atque inde per Balticum mare in externas mittere terras possunt: quorum flumina ab Russiæ fini-

bus ad meridiem versa omnia in Euxinum ferunt. Commendonus igitur satis exploratis inquirendo rebus Augusto ostendit posse fertilissimam Regni sui partem non coli tantùm, & frequentari, sed ad magnam quoque opulentiam pervenire, auctorque conandi fuit. *Venetorum urbem amplam; & maris latè potentem, maritimarumque rerum scientiâ, usuque longè exteris præstantem in medio stare mari, ducentisque ampliùs millibus hominum habitari, celebrarique nullo circà proprio agro, quem colat, neque ad tantam multitudinem alendam sæpe sufficere, quod à vicinis populis convehitur: posse Venetias frumenta è Russia deportari, nec longinquitate itineris, nec aliis, quæ se primò ostendunt, difficultatibus deterreri debere: nihil enim Regi, si adsit industria, studiumque, insuperabile fore. Ante omnia agendum cum Turcis esse, ut metu, atque auctoritate imperii sui Vallachos, & maximè Scythas à latrociniis contineant, quod Turcas credi libenter esse facturos, quippe ex crebro illo navium commeatu, & eorum portus celebrari, & vectigalia augeri, & pacem iis cum Polonis pariter, & cum Venetis esse: tum ad ripam Tyræ loco, qui visus maximè opportunus fuerit, deligeret oppidum, atque novam urbem conderet, ubi tutam mercatoribus stationem præstaret, ne subitis incursioni-*

ſionibus finitimorum pateret, vel levi munimento, ac ligneis mœnibus, ut eſt mos iis in terris oppidum firmaſſe, ſat fore adverſus Barbaros inermes, & nullis belli inſtrumentis, queis ſepta modò loca tentare audeant, inſtructos, & inſcios eius rei, aſſuetoſque tantùm in latiſſimis campis excurrere, brevique certamine, aut in fugam vertere, aut fugere hoſtem, venturas Venetiis naves, portumque ad Bialogradum in oſtio Tyræ, aut alibi, ut commodum fuerit, capturas, frumentaque ſecundo flumine devecta ad mare Ægeum in Adriaticum invectas ſinum Venetias redituras; nec Venetis hominibus novum id iter, aut mare futurum; ſuetis paucis antè annis longiorem illam navigationem ad Tanam urbem Tanais amnis oſtio ſitam ſuſcipere mutandarum causâ mercium, & ex iis ipſis Podoliæ campis ad inficiendas lanas ſemina quædam exportare, quorum fructus, qui cum eo commercio deſierunt, repeti poſſent. Vinci omnia ſuperarique ſpe, & cupidine lucri, multaque diem, atque uſum inventurum, queis quotidie negotium proclivius, expeditiuſque reddatur: nec frumenta ſolùm, ſed ubi procedere res cœperit, vim magnam mellis, ceræ, piſcis, cinerum, pellium, quæ nunc neglecta ſine emolumento habentur, Venetis mercatoribus vendituros; eoſque ipſos varias, variique uſus, quas

Venetiæ ferunt merces, quarumque indiga Polonia est, ultro advecturos, nec dubium frequentem novam urbem brevi ipsum quæstum, utilitatemque effecturam, mollituramque, & mansuefacturam feros quoque Barbarorum animos, qui & ipsi mercari, quæ externa navibus subvehuntur, & sua exhibere, & denique commercio, & fructu advenarum lætabuntur. Ita coalescere rem, & coli, habitarique regionem salubrem cælo, uberem solo, ac situ opportunam posse, ex quo ingens, & publicè, & privatim emolumentum Polonia esset captura. Cùm magnopere probata Regi res esset, relataque ad Concilium suorum approbatione omnium acciperetur, magnæ ob id Commendono gratiæ actæ, vehementerque ex eo incitata sunt hominum in illum studia, quem & amantem gentis suæ, & de commodis eorum Reipublicę cogitantem omnes prædicabant. Ipsi quoque hæretici diligebant, ac reverebantur eum, nec palam minori, quàm Catholici cultu, & honore dignabantur; ventitabant etiam domum, & consuetudine, & sermonibus ejus commoti quidam sese collegere, & resipuere, minusque jam eorum acres in Ecclesiam impetus erant. Cæterùm de Podolica re cùm appellasset Turcarum Regem per Legatos Augustus, nec ille abnuit, & Veneti ultro gratias ei, Commen-

mendonoque egerunt. Sed Palatinus Russiæ, aliique quibus datum negotium circumeundi, lustrandique eam omnem oram, & maximè Tyram amnem inspiciendi erat, retulere à Camenetia aliquot dierum iter secundo flumine provectis occurrisse vada saxis ingentibus impedita, nec ultrà pervium navigiis amnem fore, nisi iis aut amotis saxis, aut cæsis locus aperiretur; nec opus esse parvi laboris: verùm, etsi Commendonus ostenderet posse, quod difficile, atque impeditum naturà videretur, consilio, atque arte superari, nec omnino magna mole illa confringi, aut amoliri saxa; tamen huic præter spem obiecto scopulo negotium hæsit, ac tum dilatum, pòst etiam totum omissum est.

De Rege cupiente divortium cum uxore facere, per Commendonum ab tali consilio abducto.

CAPVT XVII.

AD cætera intestina mala, quibus urgeri Polonia videbatur, accessit aliud gravius multò, ac periculosius, unde tragici illi Angliæ motus, & ex pari causa par quoque exitium haud dubiè imminebat, si in Commendono, aut minus

fidei, aut minùs industriæ, animique inventum fuisset. Regem pugnacem in vitiis suis ingens cupido incesserat uxoris repudiandæ, cuius in matrimonio decimum iam annum agebat. Primum huic cum Isabella Ferdinandi Cæsaris filia coniugium fuerat, ne id quidem ipsum satis concors, aut diuturnum, quæ cùm sine liberis decessisset, Barbaram, de qua suprà mentionem fecimus, amore eius, atque illecebris irretitus, ipsâ maximè adversante matre, sibi copulavit, brevique amisit, quòd mulier meretriciis imbutâ artibus, dum assiduis medicamentis, sibi conciliare partum studet, pro fœtu morbum, concepit, eoque absumpta interiit. Huius desiderio Rex diù in mœrore, luctuque fuit, ac ne perseveraret in cælibatu, magis suorum hortatu, & aliquâ cupiditate liberorum, quàm sponte sua fecit, quo indignitas proximi cum privata, ac famosa connubii levaretur, & simul inopia non dispari se iungendi, Legatos ad Ferdinandum Cæsarem unam ex sororibus Isabellæ prioris uxoris petitum misit: nam Ferdinando fœcunda proles undecim filiarum erat; ac ne ipsi quidem facile singulis ob multitudinem invenire viros Maiestati suæ non indecoros. Sed quia matrimonia in tam arcta affinitate scitis, & iussis Ecclesiæ prohibentur, postula-

tum

tum à Iulio III. Pontifice Maximo est, ut lege solverentur; quòd cùm difficulter impetrarent, tergiversante Pontifice rati, & parum fausti rem exempli inducere, tandem summis ab utroque Rege adhibitis precibus, summè conducere utriusque Regni rationibus eam renovari affinitatem contendentibus, annuit Pontifex, atque legis veniam dedit. Ita Catherina vidua, quæ antea Federico Mantuanorum Duci nupta fuerat, ad Augustum in Poloniam, atque in sororis thorum deducitur. Omnino communi errore in matrimoniis iungendis laboratur, ut non mores, non ingenia pensentur eorum, quibuscum agenda omnis vita sit; sed una commodorum, aut inconsulti, & citò desituri amoris ratio habeatur: Hinc plenæ discordiarum domus. Id cùm privatis adversum, tum ferè Regibus usu venit, quibus non solùm cognitæ, aut visæ nunquam sunt, quas in lecti, in liberorum, in vitæ, & fortunarum, & rerum omnium societatem asciscunt: sed plerumque longinquis in terris natæ, sermone, ritu, institutione diversæ ad eos adducuntur, ut mirum videri non possit, si qui more, ac pæne natura inter se dissimiles sunt, non facilè inde sensibus, & voluntate coniungantur: atque adeò evenit sæpe, ut unde necessitudo, atque amicitia quæritur, in-

de odia, inimicitiæ, ac interdum sæva etiam bella oriantur. Augustus recentibus novæ nuptæ amplexibus, obsequiisque delinitus primò lætari novo conjugio est visus. Mox ubi satietas ex multa copia orta, & suo uterque vivere, & nosci ingenio cœpêre, paulatim digredi, ac secumbere, nec illa mariti amores, ac incontinentiam tacita ferre, & ipse eo in dies magis alienari, donec non Regni, non fortunæ consors, non itinerum comes, deserta, spretaque Radomii seponitur: tertiumque jam annum separati agebant, quotidieque dissidium, quà Reginæ questibus, quà pervicaciâ Augusti augebatur. Et Ferdinandi Cæsaris injuriam filiæ querentis, & interdum minarum aculeos in generum jacentis crebræ litteræ, legationesque non remedium, sed irritamentum ad Augusti animum cupiditatibus suis mirè cedentem fuêre. Causæ tam alienati ab ea animi Regis variæ traduntur. Vulgò ferebatur Augustum muliebrem mundum atque omnem vestium apparatum, qui Barbaræ fuerat, cujus desiderium in animo ejus novæ non extraxerant nuptiæ, Catherinæ munus danti, quàm accipienti gratius obtulisse: ab illa negante turpis, atque impudicę ornatum, cultumque veram decere Reginam, mariti donum, quamquam magni pretii reje-

rejectum, altiusque id in Augusti animum penetrasse, atque inde ortum initium dissidii. Plerique alii aiebant non convenisse mores, & Polonos, Germanosque pæne naturâ diffidere: ac Polonus quidem, quemadmodum in aliena terra, alieni ritus, linguæ, vestitus, totiusque vitæ consuetudinis mirus est imitator, statimque se ad eorum format, atque fingit arbitrium, usumque, apud quos vivit, ita in sua peregrinum non facilè admittit, aut patitur morem, & tam ipse apud externos, ne rideatur, moribus patriis abstinet, quàm inter suos ridet, atque aspernatur alienos. Rex præter hanc ingeniorum dissimilitudinem, quam utique se toleraturum fuisse aiebat, comitiali morbo visu, oreque fœdo, ac deformi eam corripi solere affirmabat, ejus morbi se non aspectum solùm, sed cogitationem quoque ipsam horrere. Præter hæc fides quoque ejus in gravi suspectione, atque culpa ponebatur, quasi ementiri partum, suppositumque alienum filium alere pro suo tentasset. Alii medicamentis partum abegisse sibi mariti, atque gentis odio insimulabant: quamquam id quidem nec Rex ipse pro comperto affirmavit unquam, & spectata probitas, & innocentia Reginæ satis refellere videbatur: de comitiali morbo constantior fama erat;

cete-

cæterùm probri ullius insimulare eam, adeò nemo unquam est ausus, ut veram pudicitiæ laudem præconiumque & Rex, & cæteri omnes illi semper tribuerint: sed sive ab iis causis, sive fato aliquo, seu justo numine peccata eorum ulciscente, à consuetudine ejus, suprà quàm existimari, aut credi potest, Augustus abhorrebat. Adeò ut de via, & ratione, si qua inveniri posset, amoliendi illam matrimonio suo occulta consilia habere cœperit. Non desunt unquam, qui Regum quantumvis pravas cupiditates acuant, incitentque, ignavi assentatione pessimâ, & vitiorum altrice, & gratiæ parente, alii quò difficilem, & præcipitem in locum deductos obstringant sibi, atque obnoxios habeant. Augustus & cum intimis rem coquebat, & hortatu eorum cum Vcangio Archiepiscopo Gnesgnensi, & Painevio Cracoviensi Episcopo communicaverat; utriusque consiliis implicito ancipiti curâ,negotioque Rege opus erat. Sed Vcangius etiam novis, ac turbidis rebus lætabatur; atque ab hoc maximè fora Regis spes additusque ad audendum est animus. Ratio agendæ rei composita, ut Rex idoneos praepararet homines, qui Equitum nomine, in cujus ordinis manu Respublica Polonorum est, palam in senatu ab se postularet, quando maximè interesset

teresset

tereſſet Reipublicæ Regem filios procreare, ut aut cum Regina habitaret, liberiſque operam daret, aut promeret cauſam cur ab ea tam diu ſejunctus ageret. Cùm Rex impediri religione ſe reſpondiſſet, quòd juſtum ſibi conjugium cum uxoris ſuæ ſorore non eſſe intellexiſſet, tum ex auctoritate gentis Legati ad Pontificem maximum dirimendo matrimonio mitterentur. Hæc quamquam ſtudiosè occultabantur, ne quid antea emanaret, quàm omnia, ut res poſcere videbatur, inſtructa eſſent, tamen & comperta Reginæ erant, & Commendonum ipſum nihil fugiebat, qui Anglicam tempeſtátem animo proſpiciens, tantamque ſibi molem negotii imminere, intentiſſimâ in id curâ excubabat. In eo verti negotium omne rebatur, ſi res in apertum non erumperet, & illa ad Pontificem Legatio non decerneretur. Nam ſi palam Rex in cauſam deſcendiſſet, publicam ſuorum auctoritatem, poſtulatumque ferens, tanto præterea ſtudio hæreticorum adiutus, qui ſe locum aut gratiâ, & opibus apud Regem creſcendi, aut eum à Pontificis maximi amicitia, fideque avertendi nactos rebantur, quomodo ſiſti res poſſet, non cernebat. Rex ipſe hunc maximè ſuis inceptis adverſarium timebat, in multis aliis expertus quàm cum acri, & intento res ſibi

esset futura. Tentare fidem, quòd omnia summâ religione, atque constantiâ septa, obfirmataque antea senserat, non ausus, tantam viri vim lenire, omnique cum humanitatis, atque officii genere sibi devincire contendebat; beneficiis quoque ac liberalitate demereri: sed nullus apud Commendonum largitioni locus fuit: professus enim gratiam recipere, rem constantissimè semper remisit. Rex inde studio eius magis incitatus per Petrum Miscovium Plocensium Episcopum designatum, quo intimo consiliorum ministro vtebatur, Commendono institit suam ad Cardinalatum commendationem offerre diligentem, accuratàmque, & addebat ad persuadendum Miscovius, cùm aliorum Regum rogatu externos, & Romanæ ciuitati ignotos in illum ordinem Pontifices Maximi sæpe cooptassent, haud dubium videri, quin Regi Poloniæ hominem magnis in Rempublicam meritis commendanti gratificaturus Pontifex foret, præsertim quòd ex quo regnare Augustus cœpisset, nemini eum honorem petiisse constaret. Quin & missurum deditâ operâ Romam, qui hoc summis precibus à Pontifice contenderet, Regem pollicebatur. Ille haud magis cupidine honorum, quàm antea munerum suam labefactari constantiam est passus, & qui in ipsa Vrbe suffra-
gato-

gatores nunquam quæsivisset, ne Regis quidem usurum commendatione respondit ad eum honorem, cui se parem non duceret. Et cùm uni Pontifici Maximo operam, & fidem obligasset suam, non alterius quàm Pontificis iudicio sua merita, seque existimari debere; vetuitque verbum ullum ea de re Romam scribi, in eoque ita perstitit, ut Miscovius, qui eum præcipuâ benevolentiâ colebat, mecum sæpe questus sit, eum dignitati suæ ineptè deesse, qui ultro sese offerentem fortunam contumaciter repelleret: non sanè parvo moderationis, & abstinentiæ documento, cùm neque dubia spes ostendi, neque adversari mos videretur, & plura, & recentia exempla extarent eorum, qui Regum gratiâ in eum dignitatis gradum ascendissent, & tum quoque niti quidam dicerentur. Sed is mos tantùm abest, ut probandus, imitandusque Commendono videretur, ut dicere soleret non aliunde graviora, aut plura detrimenta Romanæ rei esse importata. Dum enim quidam ejus, ad quem venerint, non à quo missi fuerint, gratiæ serviunt, & in rem missi publicam, suam agunt privatam, eos non solùm liberè, ac fortiter mandatum munus non obire, sæpe de fide, atque officio decedere, sed semel cupiditate, atque ambitione prolapsos, ipsam quoque Rempubli-

publicam prodere, per cujus opes crescere animo destinarunt. Quod Pius Quartus Pontifex Maximus serò quidem post lectos ab se in Senatum quosdam suspectionis eius maculâ aspersos, sed aliquando sensit, decretoque scivit, ne cui Regis, aut Principis, ad quem Legatus fuisset, ejus ad honores commendatione uti liceret; qui fecisset, ei noxę esset. Augusto quanto admirabilior hęc integritas, invictusque adversus omnem cupiditatem, & gratiam animus erat, eò acrius obiecturum se conatibus suis eum suspicabatur. Laudibus igitur eum ferre, industriam, prudentiam, fidem, pietatem omni sermone prędicare; traditos, commendatosque ab eo augere, ornareque; hæreticos edictis coercere; denique vt cum Senatore Regni sui de Republica conferre, consilium exquirere, & plerumque vti. Hæc incusserant metum Reginæ, ne Commendonus ad iuvandum inceptum Regis suscepisset, quam illi suspectionem maleuoli quidam inculcaverant; cuius ignarus Commendonus rediens à Russia Radomiam, ad visendam eam, etsi suspectum id Regi intelligebat, diuertit. Benignè admodum hospitio acceptus, post epulas remotis arbitris Regina omnia, quæ machinari Regem senserat, Commendonum edocuit, quæque sibi obij-

obiicerentur refutavit: inde quantâ iniuriâ, & quàm indignè afficeretur, multis cum lachrymis exposuit: Regis nomen nunquam aliter quàm summo cum honore vsurpans, omnemque ab eo culpam in quosdam, qui plurimùm gratiâ malis artibus quæsitâ apud eum valerent, avertens. Commendonus bonum animum habere eam, & causæ, & innocentiæ suæ fidere iussit, sibi & ante omnia explorata, & præparatos è Catholicis probos, & recti amantes, qui si moliti aliquid adversus eam hæretici fuerint, se eis audacter opponant, nec ulla in re officio suo se defuturum. Hac mota oratione Regina simpliciter aperuit quæ delata ad se de illo essent. Per eum cum Pontifice Maximo de suo dirimendo matrimonio agi iam cœptum; atque ipsum, quo Regi gratificetur, huic rei favere, neque si adversaretur tanto in honore, atque dignitate apud impotentem cupiditatis huius futurum, quæ tamen nec credita ab se esse, cum contraria famæ sint, quæ de ejus integritate, ac religione circumferretur, nec celare eum voluisse. Pauca adversus hæc Commendonus: atque illud primum sanctè affirmat, se cum Rege ea de re verbum nullum unquam esse locutum; cæterum ad se quod attinet, sic vitam instituisse, ut non opinantium, aut obtrectantium
ser-

ſermonibus, ſed rectæ mentis conſcientia ſtaret; & in omni negotio fidem ſuam rebus quàm verbis purgatam, probatamque mallet: Quæ Cæſari fratri, quæ familiæ univerſæ cum Pontifice Maximo gratia, & benevolentia intercederet, & cum parente ſuo viro optimo, & ſanctiſſimo intercesſiſſet, ſatis quidem ab hoc metu ſecuram eam reddere debuiſſe. Sed Pontificis ipſius fide multò ſecuriorem eſſe eam debere, qui quod divinam vim, atque ſanctitatem habet, id ut reſcinderet, nullius mortalis gratię, aut dignitati daturus unquam eſſet. Tum verò Regina dextram ejus amplexa effuſo fletu, per ſacerdotium, quo præditus eſſet, per virtutem eius, nomenque, & exiſtimationem, quam partam apud omnes bonos haberet, per parentis ſui memoriam, cui charus ipſe in primis fuiſſet, orare eum, atque obſecrare inſtituit, ut ſolicitudini ſuæ ſubveniret, ſeque indignè proditam, deſertam, abiectamque ab omnibus unus pro officio, & fide ſua tuendam ſuſciperet, atque hæc adeò demiſsè: & tam crebris inter fletum, lacrymaſque ſingultibus egit, ut Commendonum tam claræ, tantique faſtigii feminæ miſeratio confunderet. Conſolatus eam, ſuamque illi fidem, ſtudium, diligentiam non defuturum pollicitus diſceſſit. Petricoviæ

Rex

Rex cùm frequens Concilium convenisset per eos, quibus data provincia erat, quod antè diu concoxerat, occulteque habuerat, consilium proferre instituit. Bifariam Poloni de Republica coeunt. Rex cum Senatu, in quem Episcopis, Palatinis, Castellanis (hæc sunt honorum, & magistratuum vocabula apud eos) jus est veniendi, centum & quinquaginta ferme hominibus, cùm omnes adsunt, quod haud scio an unquam accidat, consultat. Equites, quo ex ordine Senatores leguntur è singulis regionibus (in plures autem Poloniæ Regnum dividitur) binos, ternosque, aut plures etiam Legatos ad Concilium mittunt, qui de Republica in medium consultant (terrestres Nuncios ipsi appellant) ii separatim conveniunt, & quæ visa fuerint ad Regem, & Senatum referunt. Hi nuncii initio ad id modò mittebantur ad Concilia, ut decreta Senatus domum ad suos renunciarent: sed sub Augusto novam, & veluti Tribunitiam potestatem invaserant, cùm ex licentia sacrorum audaciores ad omnia facti fuerint, ipso fovente eos Augusto, minuere dignitatem Senatus optante, & ipse cupiditatibus suis licentiùs indulgere. Hinc citiùs, quàm ipsi sperassent, omnis ferme Respublica sub arbitrium Equitum iit: non tributa decerni, nisi accepissent, non

leges fieri, quas ipsi non probassent, nihil denique pati in Republica, nisi ex auctoritate, & libidine eorum agi, omnibus aliis intercedere; nec dicto audientem fore nobilitatem denunciare. Ipse interdum Senatus, penes quem publici Consilii majestas, correptus, atque acribus verbis objurgatus ab iis est. Quin Senatorum quidam omisso amplissimo ordine transire ad Equites, crearique Nuncii malebant, quò populares haberentur, plusque in Republica pollerent, & unus, qui cohibere vim eorum poterat, Rex, incitabat. Inter hos Commendonus è Catholicis acerrimum, atque optimum quemque familiaritate, & benevolentiâ conjunctum habebat, à quibus & de rebus, quæ religionis causam attingerent, edocebatur, & ipsi consilia cum eo conferebant. Itaque cùm referente Ostrorogio quodam diserto homine, ac nobili in primis viro, & summo hæretico, de Regina agi cœptum esset, quâ sterili, ac filios non gignente Reipublicæ opus non esse injecerat; adversantibus, qui à Commendono instructi erant, magnis contentionibus est certatum. Ad extremum & hæretici tenuêre uti rogaretur Rex, ut in gratiam cum Regina rediret, cumque ea conjunctè, & amanter viveret, neque liberorum spem suis præcideret; & Catholici,

lici, ut omnis repudii, dirimendique matrimonii mentio omitteretur. Vt ventum in Senatum est (in quo Rex de industria adesse noluit, seu pudore absterritus, sive ex dictis Nunciorum, quæ respondenda sibi essent, meditaturus) idem Ostrogius summam Reipublicæ agi præfatus, copiosâ oratione Senatum est adhortatus, *Vt non præsentibus modò rebus consulerent, sed longè in posterum, quod sapientiam eorum deceret, prospicerent. Vivo Rege non alium rectorem desiderare Rempublicam, sed hominem eum, & progressum ætate, & morti etiam obnoxium: Rempublicam æternam esse oportere, quam, si quid Regi humanitus accideret, in cuius manus venturam? Sic eum de se, sic maiores eius meritos, ut non ipsum modò regnare, sed in ipsius manere domo Regnum velint, quod qui fieri ipso filios non suscipiente posse? Filios porro qui suscipiat tertium iam annum sepositâ, & procul habitâ uxore? ipsorum esse partes, qui parentum sanctitatem apud Regem meritò obtinerent, eum in gratiam cum Regina reducere: eodem tempore & Poloniæ populis spem propagandæ Regiæ stirpis ostendere, & exemplum parum integrè culti coniugij ab hominum oculis amovere; ne spretum inde in malum publicum erumperet.* Et paucos hæc quò spectaret oratio, fallebat, quòd

gra-

gravis jam esse hujus rei fama cœperat, & ut assentatio, & negligentia publicè ferè prævalent, etiam qui Reginæ iniuriâ movebantur, respectu Regis silebant. Vcangius, qui Senatus ob Archiepiscopalem dignitatem erat princeps, sequenti die in Senatu, quæ Equites movissent, exposuit Regi, adiecitque Senatus verbis, quæ apta rei sunt visa. Rex ad mœstitiam compositus posse ab se & Reipublicæ occupationes opponi, quibus curis distentus per hoc omne tempus fuit, & morem maiorum, quibus placuisset Reginas à publicis consiliis abesse, questosque sæpe multos matrem suam, dum vixit, nimis se publicis rebus immiscere solitam, quòd ferè secuta virum, filiumque Concilia Regni habentes sit, sed prompturum se apud eos simpliciter, quæ animum obturbant suum. *A probis, & in scientia divinarum rerum apprimè versatis hominibus iniectam sibi religionem esse, negantibus iusti coniugij ius sibi esse cum Regina, cuius sororem antea in matrimonio habuisset. Hinc se vehementi conflictari curâ, ne incestis implicitus, & pollutus nuptiis, Dei iram in se quotidie magis incitaret, petere ab iis, ut se consilio iuvarent.* Responsum ab Vcangio rem non esse huiusmodi, de qua statim dicendæ sententiæ viderentur. Ita spatium ad cogitandum, componendumque consilium

lium est sumptum. Vcangius Episcopos omnes, qui tum præsentes erant, & præterea ex sacerdotum ordine quicumque aliquam doctrinæ opinionem in sacrarum litterarum studiis haberent, convocavit in Templum, & ad Commendonum misit simul significatum, de qua re id Concilium esset habiturus, simul quæsitum, an ipse adesse vellet, qui cùm maximè velle respondisset, sequenti die manè summo in Templum perrexit: Ventum ad certamen, idque vni sibi excipiendum, sustinendumque esse existimans, quando Episcoporum in aliis animus, & audacia, in aliis fides desideraretur. Consedit medius inter Episcopos Commendonus, in eum omnium oculis, auribusque intentis. Tum Vcangius Regem cùm se solvi non potuisse existimet, divinâ lege, quæ est de matrimoniis inter conjunctos affinitate quanta illi cum Regina esset, non ineundis, statuisse cum ea sibi divortium faciendum esse. Hæc dicentem Nicolaus Volcius Vladislaviensium Episcopus interpellavit, negans Regem ita esse locutum. Tum Padnevius Cracoviensium Episcopus Regem ait admonitum à suis, oratumque, vt cum Regina pro conjugii sanctitate, quo obstricti inter se essent, viveret, objecisse religionem, quâ se diceret deterreri, propterea quòd vereretur, ne lege,

quæ matrimonio inter se tam propinquos jungi vetat, ita tenerentur mortales, vt eâ exsolvi vllo modo ipse potuerit; proinde Episcoporum de eo sententiam rogasse, vt eorum potissimùm consilio vteretur, qui divinarum rerum, & sacrorum interpretes sunt constituti. Id excipiens Vcangius Commendonum oravit, vt ipse eos doceret, quid consilii ad Regem super tanta re afferrent. Ille nihil cunctatus, ac si rem in tam celebri, ac frequenti cœtu explicuisset, seque palàm indicasset, sisti vel ruentem jam posse sperans. *Et rem Rex inquit, rite, & sapienter fecit, qui de quo illi incussa religio fuit, haud ali s, quàm Episcopos consulere elegit; & ego à vobis statim ei occursum, omnemque ex animo eius scrupulum continuo erutum mallem, quam de re minime dubia deliberando speciem dubitantium præbere, & Regis augere hæsitationem Matrimonium rem inter mortales sanctissimam esse, & IESV CHRISTI voce sancitum, & præceptum, vt quos Deus conjunxit, homo non separet.* Paulùm hic orationem interpellans Vcangius: *Rectè, inquit, sed, vt ego audivi, est apud Iurisconsultos, quod initio constare non potuit, id ne tempore quidem perfici, aut invalescere. Atqui, inquit Commendonus, hæc inter propinquos conjugia maximè constare, & jungi initio poterant, nullo enim vel*

Dei

Dei jussu, vel naturæ lege, sed tantum instituto, ac decreto Ecclesiæ prohibentur, cui cum in honorem duorum Regum Pontifex Maximus iam derogavit, tum ipsos illo decreto amplius non teneri: nam quod Levitico præcepit Deus, Sororem vxoris tuæ in pellicatum non accipies, ad hanc rem non pertinere; subjecisse enim illico Deum, Non relevabis turpitudinem eius adhuc illâ vivente: & illud in Evangelio, Non licet tibi habere vxorem fratris tui, eandem rationem habere vetantis vivæ coniugis sorori corpus miscere, aut detractam fraterno lecto vxorem sibi incestis nuptiis coniungere. Ergo, inquit Vcangius, ad eundem Pontificem Maximum est Regi confugiendum, qui quos lege solvere potuit, quâ ius ineundi tale coniugium adimitur, profectò dirimendi quoque ex auctoritate sua coniunctos potestatem habebit. Longè verò aliter se res habet, inquit Commendonus, nam postquàm legis, ex qua ius connubii non erat, sublatâ vi, maritali se fœdere coniunxerunt, tum verum, & iustum intercedit matrimonium, quod dirimi, aut solvi nullius mortalis ope iam possit, tantâ est religione, ac sanctitate ab ipso Deo munitum, & confirmatum; & potestatis quidem Pontificis fuit ijs veniam legis dare, sed devinctos iam matrimonii vinculis dissolvere, nec Pontifex Maximus, nec mortalium quisquam potest, quemad-

modum oleum si in ignem non inijcias, non incenditur, at idem si in ignem effuderis, continuò concipit flammam, nec iam voluntate, & permissu alieno, sed sponte, ac naturâ suâ ardet, sic ut eximi, aut vindicari ab incendio nullo modo possit, nisi aut ipsum absumptum, aut ignis extinctus fuerit. Pari ratione matrimonia inter coniunctos iniri non posse Ecclesiæ lege interpositâ, sed legem si sustuleris, oleum in ignem inieceris: tum rectè coniunctum coniugii fœdus naturam, aut vim suam assequitur, quæ est huiusmodi, ut abrogari, aut rescindi nullâ re, nisi morte possit. Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit; quòd si dormierit vir eius, liberata est à lege, cui vult nubat. Iis qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, qui uxorem suam dimittit, & aliam duxerit, adulterium committit super eam; & si uxor dimiserit virum suum, & alteri nupserit, mœchatur: quod qui fieret, si per remissum uxori nuncium matrimonii vis solveretur? Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne vna. An hac potest necessitudine obstringi quidquam arctiùs? Atque hæ divino sunt consilio, atque voce sancitæ matrimonii leges: quibus nemo mortalium manus attulerit. Secundum hæc Anglicas tragœdias, ferosque illos casus, atque eventus

An-

Angliæ, quos ipſe cognitos habebat, recenſendo ordine multis verbis copiosè, vehementer, & propè tragicè expoſuit, ſic ut qui aderant magnopere animis commoveri, atque exhorreſcere viderentur. *Adiecit, atrocia quidem hæc, & auditu gravia eſſe, ſed eo magis deflenda, quòd Eccleſiaſticis hominibus, & Inſulæ Archiepiſcopo auctore Henricus maximè ad cupiditatem dimittendæ uxoris eſſet incitatus, qui dum Regis ſtudiis obliti muneris ſui blandiuntur, & ad eius voluntatem loquendo gratiam aucupantur, nolle ſe commemorare quas pœnas ſinguli Deo perſolverint, Id tantùm dicturum, non ipſos ſolùm dignitate, atque fortunis, ſpoliatos, ſed omnem inde Eccleſiaſticum ordinem ſtrage ingenti afflictum, funditusque everſum in Anglia fuiſſe. Adiecit inde duos Henricos ætatem noſtram Reges, alterum Angliæ, alterum Galliæ tuliſſe: hos diſpares animis pari ad imitandum, cavendumque exemplum hominibus præbuiſſe, inſigni utrumque iudicio Dei nobilitatum. Gallum quidem fidei in matrimonij ſanctitate non violanda, quam adeò conſtanter coluit, ut cùm uxorem familia longè infra magnitudinem ſuam poſitam duxiſſet, eaque quintum iam annum nullum enixa partum, haud dubia ſigna ſterilitatis dediſſet, nec fratres Regi eſſent, quorum liberi exciperent, & intra domum contine-*

 rent

rent Regnum, & Gallia omnis charitate Henrici stirpem ex eo precibus, votisque exposcere vehementer sollicitaretur, & ipsa uxor non gravatè cessura thoro, seque in septa sacrarum virginum abditura fuerit, ne spem, optataque tot populorum una diutiùs moraretur; tamen omnibus rebus antiquiorem religionis, & coniugii fidem habuit, nec admittens quidem auribus cohortationes eorum, qui aliter consulebant. At Henricum Anglum, quem ex summo, & virtutum ingentium gloria, & fama rerum gestarum viro in sævum, atque importunum tyrannum, atque adeò in teterrimam belluam unius sceleris furor commutavit, satietate uxoris, in cuius consuetudine, & convictu duodetriginta annos, liberis quoque susceptis, egerat, ortam clarissimo ætatis eius Rege matrimonio suo expulisse, agitatumque libidinum furiis, brevi aliis necatis, aliis repudiatis uxoribus sextis usque nuptiis iura coniugii violasse. Quid ergo evenit? huic ex tot coniugiis nullam superesse prolem; illi unicam, & diu sterilem egregiam septem liberorum sobolem peperisse, quos ille moriens superstites omnes reliquisset; non enim effrænata libidine liberos, sed iusti, casteque culti matrimonii coniunctione procreari; quam Deus non ad propagandum modò genus instituit, sed illius societatis, qua ille Ecclesiæ suæ arctissimè copulatur,

tur, & coniungitur, signum, atque indicium, id est, sacramentum esse voluit; in quo suscepti filii veri numinis, veræ fidei, & pietatis cultores educantur. Proinde mitterent ipsi has consultationes de re, quæ dubitandi, aut deliberandi causam non habet, quibus alitur id malum, non discutitur; & ab initio præciderent hanc in Regis animo cogitationem, & radicitus evellerent, ne stirpes renasci unquam possent, quas qui serere conantur, eos improbos, & Regis, & Reipublicæ, & bonorum omnium hostes ducerent: dum enim per speciem religionis fallaces, & importuni homines revocari student à falsi flagitii, peccatique conscientia Regem, efficiunt, vt verè, & publico periculo peccet, piaculoque gravissimo se, Regnumque obstringat. Regum cupiditates frænari, non incitari oportere; tanto enim maiore viferri, quanto ex altiori dignitatis fastigio erumpunt, nisi amicorum occurrat fides, quæ eos veluti fræno contineat, regatque; quòd si pestifer aliquis assentator præcipites porro impulerit, haud secùs quam saxum ex edito monte per declive evolutum nulla vi, aut conatu sistas, donec ad imam vallis cum magna rerum strage pervenerit. Quo magis iis cavendum, providendumque esse id moliri, ac impellere saxum improbi assentatores ne possint; docerent ipsi Regem nihil esse, cur animum

varia religione solicitum habeat, quando in eius, & Reginæ coniugio vitii nihil sit (quæ æquitas, & pietas ipsius est) cùm quanta sanctitas, & quàm indissolubile vinculum eius, intellexerit, absistet molestis se affli-ctare curis, & in Dei voluntate, & Ecclesiæ placitis acquiescet. Hoc quo *Regis animus stimulatur scrupulo erepto, omnique dubitatione eius sedata, futurum ut in pristinam cum Regina gratiam rediret, unaque concorditer, & coniunctè, ut eorum necessitudo postulat, viverent. Verùm si ab recenti hoc dissidio in convictum, & consuetudinem eius reduci se continuò Rex non patietur, vim illi afferendam non videri: Tempus, Deumque; rationem, ac viam reconciliationi eorum aperiturum: ipsi piis utrumque precibus Deo commendarent, atque interea darent operam, ut si qua incommoda opinio, si qua offensio hæsit in Regum animis, ea studio, ac sedulitate eorum tolleretur, atque sanaretur. Adiecit postremò, vt cogitarent, quàm alieno tempore tam periculosas, & inutiles res moverent, cùm & gravi bello à Moscis premerentur, nec vlla circa satis fideli à finitimis populis pace niti possent, & multis præterea intestinis incommodis ægra, atque afflicta eorum Respublica esset.* Hæc cùm Commendonus compositè, copioseque, & summa cum gravitate, quæ propria omnis sermonis, actio-

actionisque ejus semper fuit, disseruisset, omnium non approbatione solùm, sed admiratione constantiæ, integritatis, & prudentiæ accepta oratio est; qua & rem ipsam perspicuè, & distinctè enodatam expedivisse est visus, & perstrictos qui Regi suasores, adiutoresque exitiosi consilii putabantur, egregiè deterruisse, atque caput ipsum huiusce mali recidisse. Nullius præterea rogata sententia est, & tergiversante, & nutu magis, & motu corporis, quàm dictis assentiente Vcangio, Padnevius gratias Commendono, suo, & aliorum nomine amplissimis verbis egit, atque ita prorsus facturos, quemadmodum ipse censuisset, dixit. Sequentibus diebus separatim optimus quisque, qui illi concilio interfuerunt, domum ad eum venere, gratias, laudesque habentes, eiusque virtute liberatam eorum Rempublicam, discussumque ingens periculum prædicantes. Miserat Rex accitum eùm ad se postquàm à Nunciis res in Senatum adducta prodierat, & antè quoque sæpe iniecerat, habere se, de quo magnopere colloqui cum eo vellet. Eo plus negotii Commendono in mitiganda, sedandaque Regis perturbatione fuit, quòd rationem omnem aspernabatur ægritudo animi sui non potentis. *Præfatus id illud esse, de quo multo antè agere cum eo statuisset, cuius*

& prudentiæ tribueret meritò plurimùm, & pietatem in Rempublicam, & in se studium, ac benevolentiam, & omni re fidem, ac religionem spectatam, cognitamque haberet, à cruciatu, quo se dies noctesque aiebat torqueri, à lachrymis, à desperatione exorsus omnia perpeti supplicia, omnia adversa paratum subire, famam, vitam, Regnum amittere faciliùs posse, quàm cum illa vivere. Præterquam quòd ingenia, quòd mores non congruerent, ab illa se fœditate comitialis morbi, ut à peste, & morte abhorrere, & quo haud minùs terreretur, non ab uno sibi, sed à pluribus spectatæ fidei, atque doctrinæ viris affirmatum, verum inter eos matrimonium non constare. His animum confici, ac lacerari assiduè suum. Ab ipso pro amore, quo complexus eum inde ab initio adventus eius in Poloniam esset, pro fide, quam ei rerum suarum omnium quantam vix ulli ex intimis amicorum habuisset, petere, orare, obtestari, ut viam, & rationem, quæcumque esset, eripiendi se huic miseriæ aliquam inveniret: iterum sibi vitam, iterum datum Regnum existimaturum: aut ab ipso liberari se, aut à nemine posse. Nihil verò postulatum à se, nihil factum, nihil obtentum, nisi ritè, ac de Pontificis maximi voluntate, & concessu velle. Quæ cùm diceret, non in vultu modò dolor animi ingens eminebat, sed

cre-

crebræ etiam oculis emanabant lacrimæ. Animadvertere hîc libet, quantam fortuna facultatem Commendono in manus tradidit, Regem sibi immortali beneficio devinciendi, si modò blandiri paulùm cupidini eius, fovere spem, & offerre operam, & studium polliceri sustinuisset: sed eius non tam abstinentia, constantiaque tentata est, quàm ipse simul dolore, simul difficultate hæc audiens afficiebatur. Tam amanter animum profundenti in se Regi adversari durum, atque inhumanum, adeò impotentem, inflammatumque, ac propè affectu nimio amentem mitigare, ad rationem, ad consilium revocare maximè arduum, & spissum videbatur. *In re tam ancipiti ab integritate, atque fide sua subsidium petiit; & summis humanitatis meritis Regis in se prædicatis, nec ulli se, qui maiorem ex casu eius dolorem caperet, professus concedere locum, qui sibi unicus daretur, gratiam ei aliquam referendi, & suam in eum fidem & pietatem testandi, prætermitti à se non debere. Reges quò maiore potestate, & copiâ rerum omnium cæteris hominibus præstent, eò ferè magis ab amicis, à quibus vera audiant, inopes esse. Nam probos quoque, & constantes viros subigi cupidine, aliisque auctoritate, & opibus, quæ Regum gratiâ parantur, excellendi, & nullâ re faciliùs, quàm ad alte-*

rius voluntatem loquendo, assequi. Hinc omnia auribus dari, nihil veritati: Hinc sæpe magnos Reges in summa veri ignoratione versari, atque ex eo innumerabilia peccata oriri, validissimaque Regna sæpiùs perniciosis adulantium illecebris, quàm hostium armis esse subversa. At sibi stare eum Regem, cuius tanta haberet benignitatis & amoris officia, blandâ, & ad gratiam compositâ oratione non fallere. Si res facultatem haberet, cuius ille studio tam vehementi teneretur, nullius operam illi promptiorem fore, cùm verò eius ne fingi quidem spes ulla possit, cur eam alat cogitationem, quæ Regi & curam, ægritudinemque augeat, & periculum creet? cur ut placitura loquatur, vera, atque utilia sileat, in quo & ipse à fide, atque officio discederet, & Regem humanissimè de se meritum non turpi solùm, sed pestifera assentatione decipiat? In ipsos inde Nuncios acriter est invectus, negans eos aut Regis, aut Reipublicæ studio hæc movere, sed locum turbandi præsentem rerum statum quærere: Nuncios eos appellari quia legati à sua quisque civitate ad Concilium sint, cùm certis præfinitis, atque etiam scripto comprehensis mandatis, quæ mutare, à quibus discedere illis ius non esse. Iuberet eorum sibi mandatorum ab singulis commentaria exhiberi, facilè deprehensurum nihil illis publicè à suis ea de re imperatum. La-

bem perfidiæ proximam non solùm de eo, quòd iussi non sint contra civitatum voluntatem referre ad Senatum ausos, sed ex sua libidine Regem ipsum arguere, ei vivendi leges ferre, atque eius intima domus, & lectum ipsum genialem scrutari, & si quid rixæ sibi cum uxore sit, inquirere, denique rem periculi, atque offensionis plenam ciere non veritos, qui si Reginæ *vicem dolebant, aut* Regem *cupiebant ab inclementi in illam animo, aut etiam ab errore aliquo revocare, an non priùs, quod nos divinæ docent litteræ, ipsum solum admonitum, & precibus cum eo actum oportuit? statim nulla modestia, nullo more, nullo maiestatis eius respectu penè accusatoriè palam in Senatu* Regem *perstrinxisse; nimirum eos aliud spectare, turbas quærere, & qua audacia religionem, & omnium sacrorum iura violarunt, eadem occasionem novandi in* Republica *res captare, & moturos aliquid, quod deinde sisti sine magno negotio non possit, nisi ipse effrenatæ eorum licentiæ obviam ierit, & intra muneris sui fines manere coëgerit. His incusatis eadem illa repetiit, quæ nuper apud Episcopos disseruerat de vi, ac sanctitate matrimonii, quod semel ritè initum infringi, aut dirimi, nisi morte, non potest, iis ab eo vinculis, ea immutabili lege esse constrictum: nec ipsum affinitate, quæ illi cum* Regina *erat, à coniu-*

gio

gio eius prohiberi, quando ex auctoritate Pontificis Maximi antè de iure Ecclesiastico derogatum fuerit. Quod non datum à Deo (nam sic quidem attingere, aut solvere scelus inexpiabile foret) sed ab Ecclesia scitum, quo periculis, quæ maximè in convictu, & domestica propinquarum consuetudine esse videbantur, occurreretur, & peccandi licentiam hominibus reprimeret, & cohiberet. Aut ergo imperitissimo divinarum litterarum, aut improbissimos mortalium esse, quicumque animum eius turbare vana religione his iniectis dubitationibus conati essent; nimirum callidos homines rimatos esse Regis sensum alienatum, abhorrentemque eius à Regina animum intellexisse, atque hunc ineundæ gratiæ locum nactos protinus invasisse. His falsis ægri animi medicis haud aliam mercedem deberi, quàm si Regi æstu, ac febri ardenti gelidam aquam obtulissent, eam depellendo morbo, & recreando corpori esse affirmantes: qua avidè epota multò indegraviùs, vehementiusque, quod ferè fit, afflictaretur, atque etiam in magnum salutis, & vitæ discrimen adduceretur. Quæ pœna sive temeritati, sive malitiæ negetur deberi? an ut gratiam levatæ paulùm in præsentia sitis captet, aliquis Regem suum, & in Rege Rempublicam prodat, atque in extremum periculum adducat? an quis mihi publico periculo ludat:

Ne

Næ hos non amicos, non salutis, non tranquillitatis suæ studiosos duxerit, vanum incutientes timorem, ubi non est timor. Angliæ deinde recensuit ruinas, atque Henricum pari aßentatorum peste corruptum, & cum nobilissimo Regno perditum, ad ultimumque exitium præcipitatum fuisse; idque ipsum posteà eum inter suos aliquando questum constare, & quanta commutatio morum eius secuta eßet, quem inter omnes ætatis suæ Reges clarissimis virtutum laudibus longè præstantem, & ab talibus corruptoribus depravatum, atque inductum in tam ferum evasisse monstrum, ut truculentiorem Tyrannum ne veteres quidem scriptores memoriæ prodiderint, & quæ natura Tyrannorum est, cùm cædibus suorum, rapinisque grassaretur, haud secùs, quàm si expilandum, vastandumque suum ipse Regnum suscepisset, adeò suspectam omnium fidem habuisse, ut ne uxoribus quidem suis, quas singulis propè annis pari incontinentiâ dilexit, & inconstantiâ abiecit, fideret; ac ne ipse quidem minùs se suspectum omnibus, atque execrandum eße sentiret. Quin Gallorum ipsorum, & quorumdam Germanorum, quorum amicitiâ se, ac fœdere iunxerat, insidias timere solitum, & cavere omnia, & circumspicere, tamquam si terrarum orbis ad eripiendum ei Regnum, & immania scelera, queis se contaminaverat, vindicanda

con-

conspirasset, ad omnia pavere, & in medijs voluptatibus, in quibus assiduè volutabatur, interdum subitis terroribus corriperetur, tantisque curis, angoribus, sollicitudinibus, suspicionibus diuturnis, nocturnisque adeò fatigaretur, interdum ut professus inter amicos sit, nihil sibi accidere posse morte optabilius. Audivit hæc attentè Augustus magnò silentio, nec dicentem interpellavit unquam, sed gemitus crebros, & suspiria ab imo pectoris subinde mittebat, ut facilè appareret vinci magis veritate eum, quàm suam ab ipso cupiditatem vinci posse. *Postremò, Et mihi, inquit, mori satius est, quàm cum illa vivere: cui malo privato unquam nuptiæ infeliciores contigere? Coniugem non habeo, & coniugij vinculis adstrictus teneor, & cùm præter me nulla tot Regum in Polonia stirps reliqua sit, mihi ætate, & valetudine integra præcisam spem liberorum cerno, quod unicum, & domus, & vitæ solatium, & Reipublicæ stabilimentum erat, & unà mecum Regum stirps, nomen familiæ est interiturum; unus infinitæ, atque intolerandæ miseriæ, nec remedium, nec modum, nec finem invenio, cum uxore celebs, & maritus sine uxore, prodigium, atque ostentum matrimonij futurus perpetuò sum.* Hæc ingenti motu animi cùm dixisset, iterum orare, atque obsecrare Commendonum

insti-

institit, ut si qua ratio iniri posset, sibi & Regno consuleretur; nam ad cæteram infelicitatem suam accedere studium popularium suorum, ut ipse suscipiat liberos, iisque operam det, deque eo sæpe molestas voces auribus suis accidere. Commendonus cùm adeò impotentem cerneret, ut quas refellere rationes nequiret, eas tamen per mollitiem, atque infirmitatem respueret, iterum hortatus est eum, *Vt animum ad constantiam, firmitatemque revocaret, neque huic ægritudini ita succumberet, ut se de rationis, & prudentiæ statu deijci pateretur, reputaret omnino quanta, & quàm ad multa pertinens res moveretur, & quæ nunc fortuna, quæ conditio* Regni *sui esset: quanto intestino morbo laboraret turbata, & pravis opinionibus, erroribusque omni sacrorum disciplina, & audacia, atque licentia Magistratuum, atque legum maiestate convulsa, & multis Principum alienatis de eo decreto, quo publicis vectigalibus, bonisque cedere eos coegisset. Ad id tot propè hostes circumstare Poloniam, quot circà essent finitimi populi. Imminere* Russiæ *Vallachos, Tartaros populari Podoliam, Lithuaniam gravi Moscorum bello urgeri:* Regibus *Suetiæ, Daniæque, Lituaniam carpi, Germanos natura infensos ereptam Prussiam fremere. Cæsarem ipsa illa suspicione sollicitari, quòd armis*


armis se à Transilvaniæ Regulo petitum Rege auctore opinetur, questumque de eo apud suos ipsum non ignorare. Quid si hæc insuper ignominia non illi solùm, sororique, sed universæ Austriæ familiæ imponeretur? Absisteret ijs consilijs, queis se gravi cura, & Regnum ancipiti discrimine implicaturus esset; & desineret ea sperare, quæ humanas vires excedunt, in quo graviùs ipse, quàm Anglus Henricus esset peccaturus, quòd de eo perfectum judicium, sancitaque lex fuerit, ejusque tam recenti, tam insigni, atque exitus tam funesti exemplo deterreri omnes possint. Hæc se ei tam liberè nunquam fuisse dicturum, quæ insolentia, graviaque auribus ejus fore meritò suspicari poset, nisi pari & officij fide, & pietatis stu:io erga ipsum afficeretur. Gratiam se quidem eius maximi facere, sed pluris salutem, atque incolumitatem æstimare. Postremò Augustus, quamquam perturbatione, ac dolore disrumpi videretur, tamen vim, inquit, afferre insuperabilibus equidem, Commendone, nolo: meo infelici fato, quando ita necesse est; parebo. Tu autem cave putes tua me oratione, aut libertate offendi: nam ut mihi gravis, atque acerba res sit, de qua disseruisti; tuus tamen in me animus, & hæc fides, & religio non iucunda esse non possunt. His sermonibus sedatus nonnihil est Regis animus, atque

in præsentia omnis eius rei mentio omissa; neque datum Nunciis responsum, neque ab iis petitum; ita compressum est oriens illud incendium, quod si vires cepisset, si Commendonus paulùm modò cupidinem Regis fovisset, aut loci aliquid spei ei reliquisset, haud dubium erat, quin conflagraturum validum, ac nobile Regnum, interiturumque fuerit. A Cæsare paulò pòst hac ipsâ de re Legati venêre imbuti eâdem de Commendono suspicione, quam ei falsa de se Reginæ fuerat, eorundem malevolorum, atque obtrectatorum artificiis Cæsaris auribus inculcata. Sed brevi ab Legatis ipsis non deprehensa solùm calumnia est, sed omnem erumpentis eius flammæ impetum unum excepisse, unum restinxisse compertum: & magnæ ea de re actæ à Cæsare, Legatisque gratiæ; nec ab iis cœptum inde quidquam, aut actum in ea re, nisi de consilio eius est: qui cùm antea pertentasset Regis animum, excusato comitiali Reginæ morbo, nec perpetuum eum, nec incurabilem esse ostendens, adeò à consuetudine eius aversum animadvertit, vt auctor Legatis fuerit non solùm vt de concubitu, sed ne de convictu quidem mentionem vllam facerent, ne Rex si se vrgeri ad id sentiret, quod mortis instar exhorreret, præceps inde ad divortii con-

silia

filia revolveretur, omnique abiecto pudore, omni spreto periculo ruere iterum inciperet. Ab Regina obsequiis, & officiis deliniendum, permulcendumque esse, donec tempore quoque ipse animus eius molliretur, ac mitigaretur. Et paruêre quidem consilio eius Legati. Cæterùm Regina impatiens contumeliæ non multò pòst per speciem visendi suos, egressa Regno Viennam se ad fratrem contulit; quod à nobis inferiùs suo loco tradetur.

Finis Libri Secundi.



ANTONII MARIÆ GRATIANI

DE VITA IOANNIS FRANCISCI COMMENDONI CARDINALIS

LIBER III.



De eo in Cardinalium Collegium cooptato.

CAPVT PRIMVM.

AB his rebus magnum Commendoni in Polonia nomen, magna omnes ceperat admiratio; cùm viri fides, religio, & constantia morum in ore erat, tum verò virtutem, industriam laudibus ferebant. Ante

Ante omnia miraculo erat eum, & Regem ab tam effrænata, atque impotenti cupiditate cohibere potuisse, & eundem ei aditum, eundem amicitiæ locum manere, adeò quidem integrâ gratiâ, vt etiam aucta existimatio eius apud Augustum, maioreque in honore, ac dignatione haberi videretur, & cùm hæc, tum præterea impetus hæreticorum in religionem egregiè repressi ab eo, Sacerdotes, qui perculsi, abiectique videbantur, erecti, protectique. Ad hæc multas ab illo ordine studio, ac sedulitate eius prohibitas, ac propulsatas iniurias esse: nunc ipsos excitando, animandoque Episcopos, eorumque causæ Catholicos adiungendo; nunc Regem variâ arte tractando, continendoque ne ab officio discederet; nec parum exemplo innocentiæ, religionisque ex crebris cohortationibus eius ad Ecclesiasticæ disciplinæ cultum, quæ pæne iam omnis interciderat, obsoleveratque, profectum esse passim homines sermonibus celebrabant. Haud Romæ minor fama de præclaris hisce actionibus percrebuerat, cùm ipsorum prædicatione, ac litteris Polonorum, qui ad suos hæc perscribebant (est enim genus omne perquàm curiosum, & loquax, mireque omnia observitant, nec segnius cuiusque seu bene, seu malè facta sermonibus differunt) tum etiam ipsis

Pon-

Pontificis Maximi testimoniis, qui cùm de susceptis à Rege, genteque, vt suprà docuimus, Tridentini Concilii decretis litteras à Commendono accepisset, recitare in Senatu apud Patres iussit; atque eas ipse verbis amplissimis est prosecutus; eo quippe gratior, celebriorque res erat, quo plus habituram difficultatis rati erant in Regno, ubi nec uni omnia parent, nec universis eadem mens, idem de sacrorum iure sensus, ac plerisque etiam aversus ab Ecclesiâ, veroque animus esset. Necdum quid cæteræ Provinciæ fecissent, allatum erat, vt inde initium probandi, accipiendique Concilii leges ortum, vnde minùs tam promptum obsequium sperari poterat, læti, & Pontifex, & Romani Patres acceperint. Subsecuta & reliquarum fama actionum, & metus, quousque Rex tanta libidine dimittendæ uxoris incensus processurus esset: & mox idem ipse metus unius virtute, constantique prudentia, ac sedulitate sublatus; qua una re fatebantur omnes magno non negotio solùm, sed etiam periculo Rempublicam fuisse liberatam: & actæ ob id Pontifici Maximo à Cæsare gratiæ, qui repulsam, prohibitamque ab seque, ac sorore, & Austria familia iniquissimæ contumeliæ iniuriam unius se fidei, industriæque debere testabatur. Itaque Commendoni virtus,

atque

atque excellens in difficillimis rebus administrandis, explicandisque consilium, solertiaque in magna laude, & prædicatione erant. Sed ex præclaris hisce, & maximis pro Republica laboribus ad eum plurimùm gloriæ, nihil fructus redibat, ut ferè virtus laudatur, & alget. Quod ferentes ægrius amicos, & industriæ præmia ambitiosis, divitibusque intercipi querentes sæpè ridebat Commendonus, ipsa rectè facta, eorumque conscientiam probis, ac modestis viris satis magna esse operæpretia differens, & mereri honores, quàm eorum assequi ornamenta pulchrius esse. Vt initio ostendimus, eam ipse secutus viam, rationemque in Republica fuerat, ut in nullius se clientelam, aut fidem traderet, probatissimi cuiusque Patrum amicitias appeteret, studens eorum sibi gratiam, & benevolentiam decori, atque ornamento esse, adiiceret tamen se nemini. Eo fiebat, ut qui probarent, laudarent, diligerent etiam, atque ornatum cuperent multi: qui susciperet, proferret, enixeque commendatione, ac studiis contenderet (quod sæpè pro iis fit, qui fortunam suam alterius opibus applicarunt) esset prorsus nemo, ut in Principum amicitiis plus splendoris illi, quàm opis esse videretur; sed qui vera virtute,

ac religione nituntur, & nullas sui secuti spes charitate Reipublicæ communi saluti cum fide consulunt, ii nimirum in Dei tutela sunt, qui quamquam vera merces maximis meritis ipse sit, ne tamen hoc quidem carere splendore dignitatis, atque præstantiæ eos patitur: atque hinc Commendonus, & absens, & nihil petens, quem nec opinari poterat laudum, & honoris sui fautorem est nactus. Pio IV. Pontifici Maximo fratris priùs fortuna, deinde sua ex obscuro, atque infimo loco ad altissimum, atque summum mortalibus gradum dignitatis evecto, in tanta felicitate, proventuque rerum nihil feliciùs contigisse existimare licet, quàm, quòd Carolum Borromeum sororis filium habuerit, quo rerum, atque consiliorum interprete, ac ministro uteretur. Hunc ipse adolescentem claro genere, honorataque, ac principe familia Mediolani ortum ab simplicitate ingenii, probitateque tanta charitate, atque benevolentia complexus est, ut primis Pontificatus sui diebus lectum in amplissimum ordinem, unum rerum summæ præposuerit: qui quidem in maxima potestate tanta modestia, ac religione egit, ut avunculi studium in eo ornando, augendoque, ingentibusque instruendo opibus nimium ipse magna ex parte cohibuerit. Idem Federico fratre,

quem Pontifex ad immodicam potentiam effusa indulgentia efferre videbatur, defuncto, cùm se sermonibus hominum successorem fratris fortunæ, regiisque inde nuptiis commutata vitæ ratione destinari sensisset, nec ab tali consilio alienum Pontificis animum suspicaretur, statim sacris initiari, obstringique antevertit, atque ex eo tempore cùm totum se pietatis studiis dedisset, ad perfectam illam Christianæ disciplinæ laudem pervenit, quam admirati magis homines sunt, quàm imitari potuerunt: Nam & vivo avunculo cùm in summa gratia, & auctoritate, qua longè omnes anteibat, summaque copia, atque affluentia rerum omnium tot eum circumstarent illecebræ voluptatum, quæ vel progressam, & confirmatam ætatem pellicere, ac labefactare potuissent, adolescenti ad edenda virtutum specimina incitamenta fuere, qui se adeò ab omni luxuriæ, & avaritię omnique intemperantiæ contagione integrum præstitit, ut in moribus eius clarum innocentiæ, modestiæ, ac religionis exemplum eluceret. Et mortuo deinde Pontifice ad suum munus Mediolanum profectus (erat enim civitatis eius Archiepiscopus) omnes quibus eum largè, ac munificè avunculus cumulaverat, aut egentibus elargitus est opes, aut sacrarum rerum cultui erogavit: ipsa

etiam

etiam beneficia, quæ permulta, atque uberrimorum vectigalium habebat, novo Pontifici remisit, quo liberior uni Episcopalis officii, & sacrorum curæ vacaret: neque hæc, ut quidam per ambitionem, & gloriam; sed constanti decreto, & prorsus quomodo fieri nisi ex animo non potest, quippe huic humanarum rerum contemptioni consonam, & æqualem vitam egit, ne cum divitiis honorum quoque insignia abiiceret, haud ullâ re deterritus, quàm quòd ea sibi ad exequenda Episcopalis officii munia adiumento fore putavit: quo vel maximè declarasse est visus, non famæ, atque gloriæ servitum, sed populi, quem curæ, atque fidei suæ traditum regendum suscipiebat, commoda tantùm ab eo esse spectata. Atqui huius Episcopalis officii, quod est longè omnium inter homines gravissimum, atque maximum, adeò inde omnes partes implevit, non solùm sanctitate morum, ac vitæ disciplina, & sacrorum cultu, quibus purè, castèque, & summa cum religione quotidie operabatur, sed templis restituendis, ornandis, excolendis, novis ædificandis, & populorum corruptis moribus, pravisque consuetudinibus, quas temporum superiorum perversitas induxerat, & aluerat indulgentia Episcoporum, abolendis, & ad veterum institu-

torum rationem, normamque revocandis, ut in civitate vasta, & corruptelis referta, & diuturno peccandi usu à prisca tum vivendi, tum sacra colendi religione desuefacta, non modò libidini, luxui, ingentibusque ex omni genere vitiis, quibus præceps illa ferebatur, fræna iniecerit, sed tantos exemplo virtutis, & sanctitatis suæ amores pietatis excitavit, ut nusquam plures invenias ex omni ætate, sexu, ordine, qui piis, & Christianis officiis se, operamque suam devoverint; nusquam templa frequentiori populo celebrentur, aut divinus cultus, aut sacrarum ædium administratio maiore religione, sanctioribusque cæremoniis habeantur, nusquam denique Ecclesiastica disciplina sit intentior. Sed ne singula (quod longum esset) percenseam, tantus vir cùm in suo persequendo, atque explendo munere, tum in omni laude, & officio Christianæ religionis colendo evasit, ac tanto in iis studio, cura, labore, diligentia, assiduitate, tantoque omnis gratiæ, invidiæ, offensionis contemptu est versatus, ut illorum virorum imaginem temporibus nostris retulerit, quos propagatæ Christianæ fidei gloria, & veræ virtutis, atque innocentiæ opinio divino numine contestata in cælestium Concilium sublatos consecravit. Huic igitur dum sub avunculo

culo rerum potiretur, cum Commendono non plus benevolentiæ intercessit, quàm quantum fama, atque opinio, quæ in civitate de illo erat, adjungere illi potuit; usus, & familiaritas certè nulla, nam præterquamquòd Commendoni animus ambitiosam illam rationem per assentationem insinuandi se in gratiosorum, & potentium amicitiam respuebat, iis, quas commemoravimus, legationibus obeundis, totum fermè tempus Pii Pontificatus ab Vrbe, atque Italia abfuerat. Sed Borromeo inerat recti, honestique amor, cujus laudem vel in eo colebat, mirabaturque cum quo sibi nullum necessitudinis jus esset: virtutis quippe ea vis est, ut ignotis quoque studia, ac benevolentiam conciliet: Itaque apud eum ratio dignitatis, quàm ambitiosa in se observantia major ducebatur, & spectata arduis rebus, probataque fides, atque consilium Commendoni, quamvis absentis, pluris erant, quàm multorum fucata studia, à quibus quotidianis deducendi, salutandi, affectandique officiis colebatur. Ad hunc Borromeum pro munere, cui præpositus ab avunculo erat, referebant omnes, quicumque aliquid publicæ rei gerendum acceplssent. Ad eundem cùm litteræ quoque à Legatis, Præsidibusque Provinciarum publicè mitterentur, summum huic

rei ſtudium, curamque Commendonus eſt impartitus, ut quantum religionis in rebus verè, & ex fide præſcribendis, tantum in explicandis diligentiæ adhiberet, eo quidem magis accuratè, cogitateque, quòd eo ſtudio teneri, delectarique magnopere Borromeum à ſuis erat certior factus. Genus orationis ſecutus eſt (ut id quoque hoc loco attingamus) quod rebus congrueret, grave, ac ſerium, ab omni fuco, pigmentiſque, & inani ornatu verborum longè abhorrens, quibus uſitatis, ac de medio ſumptis non exquiſitè delectis utebatur: In ordine, & collatione rerum, & ſententiarum, ut nexæ inter ſe, aptæque aliæ ex aliis eſſent, elaboratior, quàm in ipſa expolienda, exornandaque oratione fuit. Nulla verò in iis prædicatio ſui, nulla operæ, aut induſtriæ venditatio, in quo ſæpe intemperanter, ac moleſtè jactare ſe quidam ſolent: quæ bene, atque utiliter geſta mandatis reſponderent, ea ad Pontificis ipſius conſilium, gloriamque ut miniſter referebat, ſtudium in agendo, in renunciando verecundiam retinens, quod cæteris additum ejus laudibus fidei, integritatis, abſtinentiæ, religioniſque omnium ſermonibus commendabatur, incredibiliter Borromei animum in Commendonum accendit, qui pariter & in adminiſtran-

dis rebus, & in enarrandis prudentiam, atque ingenium ejus enitere prædicabat; nec id quidem prępterire juvenis consilium volumus, qui iis rebus, virtutibusque incitatus, cùm ad eam voluntatem incubuisset, ut Commendonus Cardinalis orearetur, idque pro gratiâ, quâ apud avunculum pollebat, haud difficile fore sibi existimare posset, tamen sive à quibusdam magnę potentię, atque auctoritatis viris Commendoni laudibus senserat invideri, quos conatui suo adversari nolebat, seu tantùm ei Reipublicę spectata utilitas sit, nullâ sibi propriâ quęsitâ gratiâ, cogitationem hanc suam tam altè compressit, ut animadverti à nemine potuerit, ac ne ad ipsum quidem Commendonum suspicio, aut indicium ejus rei ullum permanare; cuius ne habita quidem ulla ratio fuerat in quotidiana beneficiorum largitione, cùm in tenui fortuna ægrè dignitatem suam tueretur; præmia, & beneficia sæpè cupidis quibusdam, atque ambitiosis auferentibus, qui omnibus occasionibus, temporibusque imminentes, omnia tendiculis circumdata egregii aucupes habent, nihil vt effugere avidas eorum manus possit. Quin Commendono tot itineribus, sumptibusque exhausto non modò pecunię nullum supplementum est missum, sed illa ipsa menstrua pensio ducen-

 torum

torum aureorum, quæ in victum est Nunciis constituta, sæpè dilata, interdum etiam nonnisi magnâ suorum diligentia à quæstoribus exacta est: adeò nihil illi ad spem eius honoris, quo mox est affectus, ostendebatur. Sed eum haud dubiè occultâ vi diuinum Numen provehebat: sub illo enim Pontifice ad amplissimum gradum pervenit, qui nec ante Pontificatum ullis sibi officiis propriè cultus, unde jus aliquod, aut aditum ad eam spem præsumendam habere posset, nec in Pontificatu ipso aliter illi, quàm absens per ministeria esset cognitus; scilicet, vt honor nec petenti, nec præsenti, neque ad eum vllis amicitiis, aut ullis suffragatoribus nitenti vltro delatus insigniori gloriâ decoraretur, & dignitati habitum honorem, non gratiæ aut opibus tributum omnes faterentur. Pridie eius diei, quo habita Cardinalium comitia sunt, commendanti hunc Borromeo perquàm accuratè, illustriaque eius merita in Rempublicam permulta memoranti, haud aliud respondisse Pontifex dicitur, *Quàm tu verò macte virtute es fili, qui talium virorum dignitati, atque honori favens, ipsum te omni honore, ac dignitate dignissimum præstas;* statimque assensus describi referrique in eorum iussit numerum, quos ex ingenio suo delegerat cooptandos, & fassus pudore affici

fici se, qui alieno admonitu ad eum ornandum indiguisset: eo libentiùs sibi suscipi illum dixit, quòd cùm quosdam minùs probatos sibi invitus, coactusque summis Regum precibus, studiisque esset renunciaturus, eo minùs apparitura indignitas foret, huius velata tectaque dignitate. Nec ullius nomen maiori Collegii totius approbatione est acceptum, aut pluribus laudibus ab optimo quoque Patrum cumulatum, quorum vna propè omnium vox, sententiaq; fuit non plus Commendonum ex eo honore accepisse decoris, quàm ex virtute eius excellentibusque animi, atque ingenii ornamentis ad ipsos, qui dedissent, redundare. Vnus omnino Patrum fuit (cuius nomini, quando iampridem fato est functus suo, parcere placet, dum astutissimum, & pessimum genus obtrectandi bonis, eosque ipsorum laudibus oppugnandi prodere non pigeat) is lividi animi vitio Commendoni honori acriter invidens, nec palàm ausus tantæ vniuersi ordinis consensioni, studioq; obviā ire, propiùs ad Pontificis solium accedens, (vt est callida sui occultatrix malitia) Commendonum quidem, ait, *habere eas ingenij, doctrinæ, integritatis laudes, ut nullus honor tantus sit, qui habitus ei ante tempus videri posſit; ſed tamen grauiſsimo tempore Reipublicæ in tan-*

ta eorum inopia, qui spectatâ fide, atque industriâ mitti publicè extra Italiam quò, & ad quos posceret usus, possent, uirum, & tractandi Regum animos, & exterarum rerum longè peritissimum flore ætatis, & robore valetudinis quantisuis laboribus, aut negotijs parem præmaturo studio honestandi egregia eius merita non reuocandum à præclaro, & multis mortalibus salutari industriæ, atque gloriæ cursu, maioresque ex tam insigni virtute, ac pleniores fructus esse præcipiendos, & alijs interim remunerato ornatoque præmiis honorem purpuræ, ut non negandum viro tali, ita Reipublicæ causâ nonnihil differendum eße videri. Ne lecturum quidem tam impudens nocendi argumentum sine risu, ac stomacho arbitror quemquam. Pontificem certè & ingenii hominis, & harum artium haud ignarum veterator non fefellit, qui eo per risum sine responso dimisso de Commendoni Cardinalatu retulit adeò magnificis verbis, ut non ornatiorem modò ipsum ordinem amplissimum illius viri dignitate, & decoribus futurum, sed munitiorem etiam, ac firmiorem tantæ virtutis fultum præsidio diceret: atque hac ille viâ, hoc maximè modo Cardinalis est factus IV. Idus Martii M.D.LXV. ætatis suæ altero & quadragesimo. Ipse apud Polonos ignarus fortunæ muneri suo in-

centus

tentus agebat: nihil minùs quàm honores, & purpuram meditans, qui debitam sibi in necessarias impensas menstruam pecuniam vix atque ægrè exprimere esset solitus, ac sæpè domesticæ difficultatis curis, tædioque angeretur, jamque & rebus, & sumptibus fessus de reditu in Italiam cogitabat, oraveratque per litteras Borromeum, ut sibi successorem impetraret, & secessum sibi, & Patavium, & otium spe, ac animo fingebat, & reditum in gratiam cum litteris, & studiis suis, quorum consuetudine áliquot jam annos publicis rebus, curisque distentus perinvitus caruerat: flagrabatque otio, ac studiis obsequendi desiderio, & fortè sermonem mecum ipsis de rebus institutum jucundè (ut optata memorantur) habebat, cùm ei nunciatur adesse Viennâ à Zaccharià Delphino Episcopo Pharensi missum cum litteris, qui festinans adire ad ipsum posceret. Delphinus tum pari Nuncii munere apud Maximilianum Cæsarem fungebatur, fueratque iisdem comitiis Cæsaris ipsius commendatione Cardinalis renunciatus. Introductus ille Commendoni genua amplexus Cardinalem eum salutat, litterasque cum eâdem appellatione ipsi à Delphino tradit. In iis erat, tabellarium ad se ab Vrbe magnâ celeritate venisse, qui se, & Commendonum in Cardina-

lium Collegium IV. Idus Martii fuisse cooptatos nunciarit, idque illi Delphinus multis verbis honorificè, atque amicè, ut mos, gratulabatur. Commendonus lectâ epistolâ paulùm cogitabundus constitit: deinde lætari quidem se pro amicitia Delphini honorem magnopere dixit: cæterum de se, quando non solùm litteræ sibi nullæ ab Vrbe; sed ne suspicio quidem eius rei antè allata ulla esset, efferri eam priusquam tabellarii sibi à Pontifice Maximo, aut Borromeo Cardinali venirent, nolle: nunciumque comiter acceptum, & silere jussum ad curandum corpus dimisit, prorsus vultu eodem, ac nihil quod notari posset animo motus; quin me tam læti, tam improvisi, atque inopinati nuncii miraculo defixum, ac propè attonitum cernens primò irrisit, mox perfusum voluptate, & gaudio juveniliter gestientem corripuit, abireque, & monere illum, qui venerat, ut planè rem tegeret silentio jussit. Posterâ die, ne si quid aliunde emanasset celare ipsum Regem videretur, ire me, ac nunciare illi jussit omnia ut allata sibi Viennâ essent, & ut tacitè haberet, donec ex Italia tabellarii venirent, orare: adeò lætus audivit ea Rex, ut quamquam maximis Commendoni meritis multò antea debitum eum esse honorem intelligeret, lætari se tamen dice-

diceret delatum ei fuisse, ut potissimum in suo Regno acciperet. Supprimendi autem rem, ne efferretur Commendonus, ut erat ad omnia cautus, hanc habuit causam; quòd nec auctori Delphino satis fideret, quem sæpè æmulatione, atque invidiâ obtrectasse sibi compererat, nec erroris suspicio abesset, aut rei, aut nominis, quando nullum indicium ad se talis rei perlatum antea foret. Quintus ab adventu Viennensis Nuncii dies præterierat, meque ejus moræ sollicitudine anxio vehementer, & propè jam spe dejecto, ipse haud aliud, quàm suo consilio silendæ rei lætabatur. Tandem adventu tabellariorum, & Fulvii Rogerii Bononiensis à Pontifice missi cum purpureo capitis indumento, primoque Cardinalatûs insigni, quod birretum vocant, res pervulgatur, ad eumque concurritur, cui à sacris, quibus operatus erat, Pontificis Maximi, & Borromei litteræ redduntur, honorificentissimis in se scriptæ verbis, quas tristitiæ propior, quàm gaudio legisse observantibus vultum ejus est visus. Inde gratulantium studiis benignè susceptis, cùm se domum, atque in conclave recepisset, me quidem, qui solus cum eo remanseram, & amplecti dexteram, & effundere gaudium, quod animo capere vix poteram, ardebam, severitate, & constantia vultûs de-

deterruit, nec aliter ipse stantem, tacitumque est affatus, quàm, *Nobis verò, inquit, optati Patavini otij spem præcisam vides, & iam agimur, ubi alieno arbitrio vivendum, & longè à portu danda ventis in altum vela sunt. Deum precare, ut cursum tenere possimus, & fluctibus, tempestatibusque ne obruamur.* Tum Senatores duo à Rege missi adfuere, qui Regem, si fratri suo is habitus honor esset, non plus lætitiæ capturum fuisse, quàm ex amplificatione illa dignitatis eius cepisset, dixerunt. Secuti inde Episcopi, reliquique Principes gentis, etiam ex hæreticis plerique, nec ferme quisquam fuit ex omni nobilitate, quæ in illo conventu frequentissima aderat, quin gratulatum domum eius veniret, tanta omnes studia in illum profitentes, ut plura nec à civibus quidem, aut propinquis sui expectanda ei fuisse viderentur. *Ipse gratias quidem omnibus egit, sed oris habitum minimè lætantis ferens, tranquillis quoque, & quietis Ecclesiæ temporibus grauem, difficilemque muneris eius functionem esse aiebat, perturbatis vero, ac turbidis, qualia tunc essent, longè gravissimam: itaque Deum orandum, oneri ferendo impar ipse ne esset.* Atque in hanc sententiam gratulantium quoque litteris respondit; ut nihil ab gaudio dissolutum, nihil elatum, aut ab cætera gra-

vitate

vitate eius, modestiaque alienum in dictis, factisve eius existeret, prorsusque rem ita acciperet, ut eam suâ vi, ac religione, non tantùm specie, ac splendore honoris metiri videretur. Facta autem illi singularis gratulatio non ab Collegis suis modò summis viris, sed ab omnibus Regulis, & Principibus Italiæ; & ab ipso etiam Cæsare perhonorifice, amanterque scriptæ litteræ sunt allatæ, qui quidem Cæsar non contentus eâ significatione litterarum, vocato ad se Venetorum Legato, gratulari se civitati ejus dixit, ad quàm non parvæ pars laudis ex Commendoni Cardinalatu rediret, cui uni confessione omnium præter virtutem ad eum consequendum honorem nihil suffragatum esset: quod cùm Legatus publicè ad Senatum scripsisset, magno ea res Commendono apud cives suos decori, ac dignitati fuit. Regis Poloniæ verba ipsa huc transferam excerpta ex ejus ad Pontificem Maximum epistola. *In hoc, inquit, Ioanne Francisco Commendono, quem nuper in amplissimum Ordinem legisti, incredibiliter sum lætatus respondisse opinioni, & cupiditati meæ iudicium tuum: Nam ego maximis eius virtutibus addictus, fueram eum tibi quàm diligentissimè commendaturus, & pro summo beneficio à te petiturus, uti eum hoc ipso honore, qui mihi præ-*

præstantibus eius meritis videbatur deberi, rogatu quoque meo honestare velles, sperans tua fretus benignitate te hoc mihi non negaturum, nisi huic voluntati, ac studio meo moderatio ipsius, & in recusando perseverantia obstitisset. Quo mihi iucundius accidit, sapientiam tuam simul & dignitati eius, & desiderio meo occurrisse. Ego verò non tibi solùm, sed ipsi Ecclesiæ, ac Reipublicæ gratulor, ad quam non parum præsidij, atque ornamenti ex viri tantis ingenij, atque animi bonis excellentis, ac tot iam veræ virtutis experimentis spectati, ac cogniti honore videtur accessisse.

De discessu eius ex Polonia, & legatione ad Germanos.

CAPVT II.

SExto post Cardinalatum mense iussus à Pontifice Germanorum obire concilium, quod Augustæ apud Vindelicos à Cæsare indictum erat, è Polonia discessit, Rege, ac Principibus gentis certatim officiis, atque honore abeuntem prosequentibus, Pragam (Bohemiæ caput est) advenienti obviam progressus Archiepiscopus Pragensium, Pium IV. Pontificem Maximum ad v. Idus Decembris diem suum obiisse nunciavit, & mox tabella-

rius ab Vrbe magnâ celeritate missus à Carolo Borromeo, & Marco Altempsio Cardinalibus, Pontificis sororum filiis cum litteris astuit, quibus magnopere illi à Commendono petebant, ut omnibus rebus posthabitis, Romam ad comitia adcurreret. Censentibus omnibus eundum, protinusque eâdem nocte iter cum paucis expeditis arripiendum; ipse quidem utrumque cupivisset, & interesse comitiis, & perstudiosè vocanti parere Borromeo: sed & Germanos ex occasione molituros adversùs jura sacrorum aliquid in eo conventu rebatur, & Cæsarem, nisi custos ei aliquis, ac monitor esset appositus, haud satis per se impetum eorum propulsaturum existimabat, & antea dissimulationis, & negligentiæ in ea re suspectum, & tum etiam obnoxium Germanis, quorum opem implorabat ad arcendam Turcarum vim, à quibus sævo bello ab Vngaria petebatur. Deliberanti privatis rationibus, officioque Respublica antiquior, potiorque fuit; statuitque non antè redire in Italiam, quàm Cæsarem convenisset, & privatim, quando Legati auctoritas Pontificis morte interciderat, eum & muneris sui defendendæ religionis, & consiliorum, quæ hæretici haberent, admonere. Triduum Pragæ agendi, colendique causâ diem natalem Christi commoratur; inde

pro-

profectus, superatis Hirciniæ saltibus, quibus Bohemia omnis ambitur, & nivibus, quibus oppletæ, impeditæque per sylvam viæ erant, agrestium operâ amotis, in Germaniam ingreditur, Bavariamque petit, sperans ibi occursurum se Cæsari iter Viennâ Augustam ad conventum habenti; atque ita accidit, vt eò paulò ante Cæsarem veniret. Regnum in Bavaria tenebat Albertus, vir dignitate, opibusque, & affinitate Cæsaris, cujus sororem in matrimonio habebat, & Cæsareæ familiæ honore inter reliquos Germaniæ proceres eminens, & studio avitæ pietatis, & fidei in Romanam Ecclesiam, & Catholicam religionem longè eminentior. Cum hoc Commendonus inde ab superiori legatione, quâ Germanorum gentem obivit, institutam benevolentiam habebat, quam & coluerat absens omnibus officiis, & Albertus ipse huic amicitiæ plurimùm semper tribuerat, & tum novâ dignitate ob virtutem auctum ad se venientem quàm potuit comiter, atque splendidè hospitio accepit; ipsâ quoque opportunitate adventus ejus lætatus, cùm domum suam initurus Cæsar adventaret. Cùm igitur Commendonus cum Alberto de Republica consilia contulisset, & ab eo vehementer collaudaretur, quòd non statim neglectâ, ac posthabitâ religionis causâ, cupi-

dè

dè Romam ad comitia properasset, Cæsar advenit magnificentissimo hospitio ab Alberto acceptus, qui quidem equo discedens, cùm opperientem se in vestibulo Regiæ Commendonum aspexisset, vltrò ad amplectendum eum accurrens, & perquàm familiariter appellans, Tu verò, inquit, hic frigido in cælo nobiscum moraris, at Romæ interea magno æstu comitia calent; apprehensâque ejus dexterâ per gradus vnà in ædes, atque in cubiculum ascendit, nec destitit eum, quamdiu ibi mansit, palàm magno in honore habere, cùm eodem tecto vterque, iisdem quoque epulis, mensaque quotidie vtebantur, cui præter ipsum, & hospitem Albertum nemo adhibebatur: cùm vnà & vxor Cæsaris, & soror, & filiæ duæ nubiles accumberent, quarum paulò pòst altera Philippo, altera Carolo Hispaniarum, & Galliæ Regibus nupsere. Peracto convivio, & amotis arbitris in conclave idem Cæsar, Commendonus, & Albertus ad colloquium secedebant, multasque horas vnà quotidie erant, cùm multa de Polonicis rebus, de sororis suæ cum Rege dissidio quæreret Cæsar, deque eo quod ipse debere se Commendono profitebatur, memoraret, cujus studio, curaque effectum esset, ne quò impotenti cupiditate rapi videbatur, præceps iret. Multa quoque de Turcico instanti bello com-

communicavit, rationemque cum eo iniit, qua salvis fœderibus, quæ Regi Poloniæ essent cum Turca, aliquot ex ea gente turmæ equitum ad id bellum conduci possent. Ante omnia illum Commendonus de consiliis hæreticorum, quæ compererat, docuit, & commoda oratione muneris eum sui admonuit, tantò tum intentiùs suscipiendum avitæ religionis patrocinium, tuendaque sacerdotum jura illi esse differens, quantò incommodiori tempore aggressuri ea adversarii essent, cùm Pontificis Maximi morte, præside suo, ac rectore Ecclesia, & Christiana Respublica careret, atque in eo maximè Concilio, quod ipse primum post adeptum Imperium haberet, dandum sui specimen, ac documentum, quantumque in illo spei bonis esset ponendum, indicandum. Per hæc confirmato Cæsare, eoque non passurum ab se desiderari officium suum prolixè pollicente, quarta post adventum ejus die, cùm ea die Commendonus esset post convivium discessurus, lavantibus manus, ut accumberent, celeritatis plenus tabellarius Cæsarem adiit, litterasque à Cosmo Medice Florentinorum Duce reddidit, quibus Michaelem Ghislerium Alexandrinum Cardinalem Pontificem Maximum ad VIII. Idus Ianuarias esse renunciatum, & Pium V. apellatum scribebatur.

Cæ-

Cæsar lectâ epistolâ, quamquam ipse & alium ex iis, quibus studiosè favebat, & quamvis alium, quàm Alexandrinum fieri Pontificem maluisset, cujus acres spiritus in sua dignitate tuenda, vindicandaque religionis majestate antea rumore, atque famâ acceptos, minimè opportunos consiliis, & cogitatis suis existimabat, quem quæstionibus adversus hæreticos præpositum, eas severè, atquè integrè exercuisse cognoverat; tamen dissimulato animi sensu, Commendono creationem Pontificis læto vultu enunciat, litterasque legendas tradit. Cùm discubuissent, sermoque de novo Pontifice esset institutus, Commendonus (senserat enim ictum eo nuncio Cæsarem) à primordiis ejus vitæ exorsus, de maximis ejus sanctitatis, atque innocentiæ laudibus, quibus nullo ipsius non solùm ambitu, sed ne studio quidem, per omnes honores ad summum rerum humanarum fastigium provectus esset, ita copiosè, apteque disseruit, vt omnes in admirationem, & venerationem ejus adduceret, omniumque animos magnâ ejus spe, ac expectatione repleret; quo facto ipse statim è convivio equos ascendit, Romam magnis itineribus, vt Pii initiis adesset, contendens. Cæterùm vix tridui iter progresso ad Oenipontem Nuncius à novo Pontifice missus cum litteris occurrit Ger-

manicam ei legationem decernentibus; nam Pius antequam è comitiorum conclavibus egrederetur, cùm omnia strepitu, concursatione, turbâque miscerentur, nihil illo supremæ potestatis honore vllam in partem animo excussus, (tantùm illi inerat roboris) jam tum curam in Rempublicam intendit, litterasque extemplo ad Commendonum dari iussit, quibus ostendit sibi placere, vt Germanorum conventui interesset Legatus. Quinquaginta Cardinales ea comitia habuerunt, in quibus erãt summæ dignitatis, & omnium virtutum excellentes viri, quorum nemo non eum honorem legationis, munusque mandari sibi cupivisset, singulorumque tantum, ac tam recens in Pium extabat meritum; tamen consensu, & approbatione omnium ad Commendonum ea delata provincia est, tum opinione industriæ, prudentiæque quæ summa de illo erat, tum quòd vnus maximum gentis eius habere vsum existimabatur. Reversus igitur Augustam Commendonus, ibi cùm novæ legationis, Cardinalatus quoque sui insignia, purpureum galerum à Pio missum de Othonis Truxii, qui idem Augstæ Episcopus erat, manibus solemnia inter sacra de more suscepit, Alberto Bavaro cum vxore, ac liberis, multisque præterea principibus viris adstantibus, qui honestandi Commendoni,

ni, & celebrandæ rei causâ convenerant. Indixerat eum conventum Maximilianus, cùm aliis de caufis, tum maximè vt auxilia à Germanis impetraret adverfùs Solimanum Turcarum Regem, qui Vngarici Regni reliquias perfequens, & Auftriæ ipfi iam, Viennæque magnopere imminens, ingentes peditum, atque equitum copias, quibus à Conftantinopoli in Maximilianum ferretur, parabat; quo maius religioni periculum impendere ab folitis licentiæ iura pretio mercari videbatur. Prçter id ingravefcentibus multis Germaniæ morbis, vt remedio occurreretur, id erat coactum concilium; quorum tamen ea vis, ea defperatio erat, vt ne remedia quidem ferre poffe viderentur. Cùm publicè in eo conventu de religione agere propter nimias hæreticorum opes, & pertinaciam tutum non videretur, Commendonus domi fuæ Catholicorum concionem habuit, miffis, qui fingulos Principes convocarent; nec illi gravatè paruere, quòd erat eius apud Germanos magnum nomen, magna ab fuperiori legatione integritatis, religionis, eloquentiæ fama. Primæ dignitatis in iis fuere Cardinales duo Otho Truxes, & Marcus Altempfius, alter Auguftæ, alter Conftantiæ Epifcopus; & tres feptemvirali honore præfulgentes, quos ipfi Electores appellāt, Mogunt., Colonienf.
&

& Trevirorum Archiepiscopi; & præter hos magnæ nobilitatis, & potentiæ viri Albertus Bavarorum, & Gulielmus Cliviensium, & Henricus Brunsuicensium Reguli, multique præterea liberarum civitatum, & absentium Episcoporum, ac Principum Legati. Ad hos orationem habuit, quâ primùm eos ad tutandam priscæ religionis integritatẽ, propulsandosq; impios hæreticorum conatus magnopere est adhortatus. *Id autem fore iis haud difficile, si consentientibus studiis, constantibusque animis sese adversariis opposuissent, quos hactenus tam socordia, atque inertia nostra, & dissociata consilia, quàm vires eorum firmiores, validioresque adversùs nos fecissent. Hanc verò voluntatem, animorumque consensionem, & mutuam de salute, atque incolumitate alterius curam cùm præsentibus rebus salutarem fore: tum esse laudem Christianorum hominum propriam, & veram solidamque virtutum omnium radicem, ac fontem ignotum cæteris gentibus, nobis ab ipso Christo Deo indito charitatis vocabulo proditum, cuius vim nec veteres assecutos esse humanæ sapientiæ doctores, nec nisi ab iis intelligi, qui eadem in Deum fide, eodem sensu, eodem studio, atque mente coniuncti, veluti corpus unum uni præsenti capiti, parentis Ecclesiæ Catholicæ gremio continentur. Maximè autem eius esse virtutis*

exper-

expertes hæreticorum omnes factiones, qui nomen modò charitatis suis immanibus flagitijs prætendentes, rem ipsam exploderent, rectè faciendi necessitate sublata, & ab illo capite, quod Vicarium suæ potestatis constituit inter homines Deus, sese præcidentes, omnia societatis, & mutuæ necessitudinis vincula refringerent, concordiam, pacemque illam abrumperent, quam terras relinquens, in cælum abiens Christus tantopere nobis commendavit. Cùm multa in hanc sententiam, quare magno animo, communibusque consiliis obsistendum, atque obviam eundum audaciæ hæreticorum esset, & majestas religionis, & sua ipsorum libertas, dignitasque piè, fortiterque defendenda, dixisset, orationem ad Concilium Tridentinum flexit. *In eo cùm sacrorum, & fidei rationem egregiè explicatam, atque institutam esse, tum morum, ac vitę disciplinam ad priscę sanctitatis consuetudinem revocatam, acerrimumque telum adversariorum manibus ereptum, atque in ipsos per summam omnium flagitiorum, ac turpitudinum licentiam degentes retortum, pariterque & impiè dicta in Deum, & improbè iactatas in bonos obtrectationes repulsas, ac refutatas esse. Susciperent ergo salutares leges, & quod sanandę maximè Germanorum genti tot per annos, tantis sumptibus, tanto ab ultimis quoque terris*

alium se filium natu minorem Imperium, atque nomen Cæsaris delaturum; à nefariæ opinionis professione est revocatus. Post mortem inde patris assecutus Imperium ita vixit, ut dum spem sui utrique parti facere studet, omnibus æquè suspectus, neutrorum gratiam tenuerit. Tum quidem hæretici promissa exigentes vehementer urgebant, ut jungeret se illis, & mentem aliquando nudaret, ac propterea extorquere ab eo conabantur, ut fœdera concordiæ, pacisque anno M.D.LV. inter ipsos, & Catholicos Passavii constituta, violata sæpè ab iis, tum penitus rescinderentur: eo enim anno quemadmodum à Ferdinando Cæsare ab simili periculo Turcici belli copiarum, ac pecuniæ indigo expresserant, ut quibus libuisset, sacrorum ceremonias ex Augustana formula colere, atque habere jus esset; ita additum fœderi fuerat, ut qui à prisca sacrorum ratione, & Catholicæ Ecclesiæ sensu deficerent, aut omnino dissentirent, ii ne vectigalia quidem ulla, aut honores Ecclesiasticos obtinerent, aut potiri possent. Id ut antiquaretur, summis studiis hæretici contendebant; item illud, ne qui disciplinæ eorum sectatores Catholicorum imperio, ac ditioni subjecti essent, paterna bona vænum exponere, & excedere patriâ, atque exulare cogerentur:
cùm

cùm ne graviori pœnâ in eos animadverterent, ejusdem pacis legibus cautum esset. Quibus hæretici stare jam ab insita animis arrogantia, atque contumacia, detrectabant, & impiè pariter, atq; impudenter postulabant, ut potestas omnibus foret, quam quisque probaret opinionem habendi, & pro sua cuique religione Deum colendi, vel, si hæc non placerent, concilium (Nationale quod appellant) haberetur, ad quod coactum omne Germanicum nomen de universo jure sacrorum inter se constitueret. Harum rerum utram tenuissent, amittenda Germania erat, & cuncta prædæ hæreticis futura, cuncta confuso omni humano, ac divino jure pessumitura videbantur. His conatibus, tantoque ad exitium, atque ultimum impietatis gradum ruentium hæreticorum furori una opposita erat Commendoni prudentia, atque industria; nec ipse rei gravissimæ defuit, aut sui dissimilis fuit, admirabili solertiâ indagando, investigandoque omnia, & auctores cujusque consilii, fautoresque, & quò eorum rationes, cogitataque spectarent, ut si eorum cœtibus interesset, exploratum, cognitumque habebat, & summa cum cura, atque studio omnibus eorum machinamentis, nunc hortando, monendoque Catholicos, & adversario-

alium se filium natu minorem Imperium, atque nomen Cæsaris delaturum; à nefariæ opinionis professione est revocatus. Post mortem inde patris assecutus Imperium ita vixit, ut dum spem sui utrique parti facere studet, omnibus æquè suspectus, neutrorum gratiam tenuerit. Tum quidem hæretici promissa exigentes vehementer urgebant, ut jungeret se illis, & mentem aliquando nudaret, ac propterea extorquere ab eo conabantur, ut fœdera concordiæ, pacisque anno M. D. L V. inter ipsos, & Catholicos Passavii constituta, violata sæpè ab iis, tum penitus rescinderentur: eo enim anno quemadmodum à Ferdinando Cæsare ab simili periculo Turcici belli copiarum, ac pecuniæ indigo expresserant, ut quibus libuisset, sacrorum ceremonias ex Augustana formula colere, atque habere jus esset; ita additum fœderi fuerat, ut qui à prisca sacrorum ratione, & Catholicæ Ecclesiæ sensu deficerent, aut omnino dissentirent, ii ne vectigalia quidem ulla, aut honores Ecclesiasticos obtinerent, aut potiri possent. Id ut antiquaretur, summis studiis hæretici contendebant; item illud, ne qui disciplinæ eorum sectatores Catholicorum imperio, ac ditioni subjecti essent, paterna bona vænum exponere, & excedere patriâ, atque exulare cogerentur:
cùm

cùm ne graviori pœnâ in eos animadverterent, eiusdem pacis legibus cautum esset. Quibus hæretici stare jam ab infita animis arrogantia, atque contumacia detrectabant, & impiè pariter, atq; impudenter postulabant, ut potestas omnibus foret, quam quisque probaret opinionem habendi, & pro sua cuique religione Deum colendi, vel, si hæc non placerent, concilium (Nationale quod appellant) haberetur, ad quod coactum omne Germanicum nomen de universo jure sacrorum inter se constitueret. Harum rerum utram tenuissent, amittenda Germania erat, & cuncta prædæ hæreticis futura, cuncta confuso omni humano, ac divino jure pessumitura videbantur. His conatibus, tantoque ad exitium, atque ultimum impietatis gradum ruentium hæreticorum furori una opposita erat Commendoni prudentia, atque industria; nec ipse rei gravissimæ defuit, aut sui dissimilis fuit, admirabili solertiâ indagando, investigandoque omnia, & auctores cujusque consilii, fautoresque, & quò eorum rationes, cogitataque spectarent, ut si eorum cœtibus interesset, exploratum, cognitumque habebat, & summa cum cura, atque studio omnibus eorum machinamentis, nunc hortando, monendoque Catholicos, & adversario-

alium se filium natu minorem Imperium, atque nomen Cæsaris delaturum; à nefariæ opinionis professione est revocatus. Post mortem inde patris assecutus Imperium ita vixit, ut dum spem sui utrique parti facere studet, omnibus æquè suspectus, neutrorum gratiam tenuerit. Tum quidem hæretici promissa exigentes vehementer urgebant, ut jungeret se illis, & mentem aliquando nudaret, ac propterea extorquere ab eo conabantur, ut fœdera concordiæ, pacisque anno M. D. L V. inter ipsos, & Catholicos Passavii constituta, violata sæpè ab iis, tum penitus rescinderentur: eo enim anno quemadmodum à Ferdinando Cæsare ab simili periculo Turcici belli copiarum, ac pecuniæ indigo expresserant, ut quibus libuisset, sacrorum ceremonias ex Augustana formula colere, atque habere jus esset; ita additum fœderi fuerat, ut qui à prisca sacrorum ratione, & Catholicæ Ecclesiæ sensu deficerent, aut omnino dissentirent, ii ne vectigalia quidem ulla, aut honores Ecclesiasticos obtinerent, aut potiri possent. Id ut antiquaretur, summis studiis hæretici contendebant; item illud, ne qui disciplinæ eorum sectatores Catholicorum imperio, ac ditioni subjecti essent, paterna bona vænum exponere, & excedere patriâ, atque exulare cogerentur:
cùm

cùm ne graviori pœnâ in eos animadverterent, ejusdem pacis legibus cautum esset. Quibus hæretici stare jam ab insita animis arrogantia, atque contumacia detrectabant, & impiè pariter, atq; impudenter postulabant, ut potestas omnibus foret, quam quisque probaret opinionem habendi, & pro sua cuique religione Deum colendi, vel, si hæc non placerent, concilium (Nationale quod appellant) haberetur, ad quod coactum omne Germanicum nomen de universo jure sacrorum inter se constitueret. Harum rerum utram tenuissent, amittenda Germania erat, & cuncta prædæ hæreticis futura, cuncta confuso omni humano, ac divino jure pessumitura videbantur. His conatibus, tantoque ad exitium, atque ultimum impietatis gradum ruentium hæreticorum furori una opposita erat Commendoni prudentia, atque industria; nec ipse rei gravissimæ defuit, aut sui dissimilis fuit, admirabili solertiâ indagando, investigandoque omnia, & auctores cujusque consilii, fautoresque, & quò eorum rationes, cogitataque spectarent, ut si eorum cœtibus interesset, exploratum, cognitumque habebat, & summa cum cura, atque studio omnibus eorum machinamentis, nunc hortando, monendoque Catholicos, & adversario-

alium se filium natu minorem Imperium, atque nomen Cæsaris delaturum; à nefariæ opinionis professione est revocatus. Post mortem inde patris assecutus Imperium ita vixit, ut dum spem sui utrique parti facere studet, omnibus æquè suspectus, neutrorum gratiam tenuerit. Tum quidem hæretici promissa exigentes vehementer urgebant, ut jungeret se illis, & mentem aliquando nudaret, ac propterea extorquere ab eo conabantur, ut fœdera concordiæ, pacisque anno M. D. L V. inter ipsos, & Catholicos Passavii constituta, violata sæpè ab iis, tum penitus rescinderentur: eo enim anno quemadmodum à Ferdinando Cæsare ab simili periculo Turcici belli copiarum, ac pecuniæ indigo expresserant, ut quibus libuisset, sacrorum ceremonias ex Augustana formula colere, atque habere jus esset; ita additum fœderi fuerat, ut qui à prisca sacrorum ratione, & Catholicæ Ecclesiæ sensu deficerent, aut omnino dissentirent, ii ne vectigalia quidem ulla, aut honores Ecclesiasticos obtinerent, aut potiri possent. Id ut antiquaretur, summis studiis hæretici contendebant; item illud, ne qui disciplinæ eorum sectatores Catholicorum imperio, ac ditioni subjecti essent, paterna bona vænum exponere, & excedere patriâ, atque exulare cogerentur:

cùm ne graviori pœnâ in eos animadverterent, ejusdem pacis legibus cautum esset. Quibus hæretici stare jam ab insita animis arrogantia, atque contumacia detrectabant, & impiè pariter, atq; impudenter postulabant, ut potestas omnibus foret, quam quisque probaret opinionem habendi, & pro sua cuique religione Deum colendi, vel, si hæc non placerent, concilium (Nationale quod appellant) haberetur, ad quod coactum omne Germanicum nomen de universo jure sacrorum inter se constitueret. Harum rerum utram tenuissent, amittenda Germania erat, & cuncta prædæ hæreticis futura, cuncta confuso omni humano, ac divino jure pessumitura videbantur. His conatibus, tantoque ad exitium, atque ultimum impietatis gradum ruentium hæreticorum furori una opposita erat Commendoni prudentia, atque industria; nec ipse rei gravissimæ defuit, aut sui dissimilis fuit, admirabili solertiâ indagando, investigandoque omnia, & auctores cujusque consilii, fautoresque, & quò eorum rationes, cogitataque spectarent, ut si eorum cœtibus interesset, exploratum, cognitumque habebat, & summa cum cura, atque studio omnibus eorum machinamentis, nunc hortando, monendoque Catholicos, & adversario-

 rum

& Trevirorum Archiepiscopi; & præter hos magnæ nobilitatis, & potentiæ viri Albertus Bavarorum, & Gulielmus Clivensium, & Henricus Brunsuicensium Reguli, multique præterea liberarum civitatum, & absentium Episcoporum, ac Principum Legati. Ad hos orationem habuit, quâ primùm eos ad tutandam priscæ religionis integritatẽ, propulsandosq; impios hæreticorum conatus magnopere est adhortatus. *Id autem fore iis haud difficile, si consentientibus studiis, constantibusque animis sese adversariis opposuissent, quos hactenus tam socordia, atque inertia nostra, & dissociata consilia, quàm vires eorum firmiores, validioresque adversùs nos fecissent. Hanc verò voluntatem, animorumque consensionem, & mutuam de salute, atque incolumitate alterius curam cùm præsentibus rebus salutarem fore: tum esse laudem Christianorum hominum propriam, & veram solidamque virtutum omnium radicem, ac fontem ignotum cæteris gentibus, nobis ab ipso Christo Deo indito charitatis vocabulo proditum, cuius vim nec veteres assecutos esse humanæ sapientiæ doctores, nec nisi ab iis intelligi, qui eadem in Deum fide, eodem sensu, eodem studio, atque mente coniuncti, veluti corpus unum uni præsenti capiti, parentis Ecclesiæ Catholicæ gremio continentur. Maximè autem eius esse virtutis*

exper-

expertes hæreticorum omnes factiones, qui nomen modò charitatis suis immanibus flagitijs prætendentes, rem ipsam exploderent, rectè faciendi necessitate sublata, & ab illo capite, quod Vicarium suæ potestatis constituit inter homines Deus, sese præcidentes, omnia societatis, & mutuæ necessitudinis vincula refringerent, concordiam, pacemque illam abrumperent, quam terras relinquens, in cælum abiens Christus tantopere nobis commendavit. Cùm multa in hanc sententiam, quare magno animo, communibusque consiliis obsistendum; atque obviam eundum audaciæ hæreticorum esset, & majestas religionis, & sua ipsorum libertas, dignitasque piè, fortiterque defendenda, dixisset, orationem ad Concilium Tridentinum flexit. *In eo cùm sacrorum, & fidei rationem egregiè explicatam, atque institutam esse, tum morum, ac vitę disciplinam ad priscę sanctitatis consuetudinem revocatam, acerrimumque telum adversariorum manibus ereptum, atque in ipsos per summam omnium flagitiorum, ac turpitudinum licentiam degentes retortum, pariterque & impiè dicta in Deum, & improbè iactatas in bonos obtrectationes repulsas, ac refutatas esse. Susciperent ergo salutares leges, & quod sanandę maximè Germanorum genti tot per annos, tantis sumptibus, tanto ab ultimis quoque terris*

Patrum, doctorumque virorum concursu habitum Concilium esset, eius decretis Principes ipsi parerent, ex eorum iure rem Ecclesiasticam regerent, sancirentque, consensum cum bonis ostenderent; impios & hereticos contumaciæ, ac discordiis suis relinquerent, donec aut tedio dissidendi, in novasque, & contrarias quotidie sectas transeundi resipiscerent, aut in illa pravitate perseverantes iustas pervicacis animi pœnas Deo penderent. Germani cùm paulò inter se consultassent, Moguntinus Archiepiscopus, qui dignitate cæteros anteibat, de reliquorum sententia gratias Pontifici Maximo, atque ipsi Commendono egit, quòd de Germaniæ salute, deque eorum rebus tantam curam gereret, easque studio, opera, consiliis juvaret: *Quæ apud ipsos de animis, voluntatibusque iungendis, item quæ de Concilij Tridentini legibus graviter, copioseque disseruisset, scire vera esse, & se adnixuros, ut vulneribus suis ea maximè remedia adhiberent, quæ ipse commemorasset. Scita Concilij accipere ipsos, sancteque omnes polliceri eius se iussis obtemperaturos in ijs, quæ fidem, & sacrorum cultum respicerent, sine exceptione ulla, aut dubitatione: in disciplinæ ratione quædam esse capita, quibus excipi cuperent; quod in tam depravatis hominum moribus, tantaque licentia, ac per-*

tur-

turbatione Germaniæ nec utile foret tum revocari, nec tutum; ad id pacatius, magisque tranquillum esse tempus opperiendum. Quæ apud ipsum eo libentiùs profitentur, quòd sibi cum prudentissimo Germanicarum rerum esse sermonem scirent, quo etiam ab eo peterent, ut susceptum erga Germanos studium retineret, postulatisque eorum publicis, privatisque apud Pontificem Maximum auctoritate sua, gratiaque adesset, atque in præsentia, ut cœpisset, tegeret, tueretur que; tantorum eius in gentem suam officiorum perpetuam apud Germanos mansuram esse memoriam.
At hæretici in omnem semper occasionem intenti more suo multa moliebantur: ante omnia Maximilianum ipsum magnis pollicitationibus sollicitabant, ut tandem sententiam proferret, palamque in partes transiret. Nam paucis antè annis hæreticorum partim spe, partim consuetudine corruptus, alienati à Catholicæ pietatis fide animi haud ambigua signa dederat, qui & sacris eorum interfuerat, & quemdam profligatæ doctrinæ magistrum domi aluerat, habueratque in honore, & Viennæ in templis de divinis rebus concionantem frequenter audierat; nec nisi magno studio, atque cura Ferdinandi patris, imprimis pii, & religiosi hominis, denunciantis, eo abdicato, ad

alium se filium natu minorem Imperium, atque nomen Cæsaris delaturum; à nefariæ opinionis professione est revocatus. Post mortem inde patris assecutus Imperium ita vixit, ut dum spem sui utrique parti facere studet, omnibus æquè suspectus, neutrorum gratiam tenuerit. Tum quidem hæretici promissa exigentes vehementer urgebant, ut jungeret se illis, & mentem aliquando nudaret, ac propterea extorquere ab eo conabantur, ut fœdera concordiæ, pacisque anno M. D. LV. inter ipsos, & Catholicos Passavii constituta, violata sæpè ab iis, tum penitus rescinderentur: eo enim anno quemadmodum à Ferdinando Cæsare ab simili periculo Turcici belli copiarum, ac pecuniæ indigo expresserant, ut quibus libuisset, sacrorum ceremonias ex Augustana formula colere, atque habere jus esset; ita additum fœderi fuerat, ut qui à prisca sacrorum ratione, & Catholicæ Ecclesiæ sensu deficerent, aut omnino dissentirent, ii ne vectigalia quidem ulla, aut honores Ecclesiasticos obtinerent, aut potiri possent. Id ut antiquaretur, summis studiis hæretici contendebant; item illud, ne qui disciplinæ eorum sectatores Catholicorum imperio, ac ditioni subjecti essent, paterna bona vænum exponere, & excedere patriâ, atque exulare cogerentur:
cùm

cùm ne graviori pœnâ in eos animadverterent, ejusdem pacis legibus cautum esset. Quibus hæretici stare jam ab insita animis arrogantia, atque contumacia, detrectabant, & impiè pariter, atq; impudenter postulabant, ut potestas omnibus foret, quam quisque probaret opinionem habendi, & pro sua cuique religione Deum colendi, vel, si hæc non placerent, concilium (Nationale quod appellant) haberetur, ad quod coactum omne Germanicum nomen de universo jure sacrorum inter se constitueret. Harum rerum utram tenuissent, amittenda Germania erat, & cuncta prædæ hæreticis futura, cuncta confuso omni humano, ac divino jure pessumitura videbantur. His conatibus, tantoque ad exitium, atque ultimum impietatis gradum ruentium hæreticorum furori una opposita erat Commendoni prudentia, atque industria; nec ipse rei gravissimæ defuit, aut sui dissimilis fuit, admirabili solertiâ indagando, investigandoque omnia, & auctores cujusque consilii, fautoresque, & quò eorum rationes, cogitataque spectarent, ut si eorum cœtibus interesset, exploratum, cognitumque habebat, & summa cum cura, atque studio omnibus eorum machinamentis, nunc hortando, monendoque Catholicos, & adversario-

rum dolos, fraudesque enudando, nunc deterrendo, continendoque occurrebat: tantumque oratione, atque auctoritate, cùm apud alios, tum apud Cæsarem ipsum valuit, ut & Catholici nunquam se commodiore, aut causæ æquiore Maximiliano usos esse prædicarent, & ille negaret unquam antea firmiores, vehementiusque inter se consociatos Catholicos expertum esse. Ita hæreticorum spe, consiliisque frustratis, nullâ novâ re decretâ, conventum æquabiliter habitum dimisit, impetratis quæ petierat ad arcendum Germaniæ finibus Turcam, auxiliis: & Pius Pontifex quinquaginta millia nummorum aureorum tribus pensionibus solvenda Maximiliano eius belli causâ dono dedit, quam pecuniam Commendonus Augustam ad se missam ad concilii finem, eo dimisso, omnem simul, consulto tamen priùs Pontifice, Cæsari repræsentavit.

De reditu eius in Vrbem.

CAPVT III.

GERMANIA Venetias Iunio mense venit, acceptus, cultusque à civitate cùm publicè, tum privatim omnibus honoribus; nam & Princeps cum Collegio, magnaque Senatûs parte do-

mum

num ad visendum eum venit, & frequentiâ omnium ordinum, quamdiu Venetiis fuit, est celebratus. Quamquam haud dubiè nobilium plerique livore, atque, invidiâ urebantur, insueti alibi, quàm apud Patricios decora illa aspicere, & quidem Romæ æmulatione improbâ nitenti per virtutem adversati fuerant. Reliquam inde æstatem vitandis caloribus, atque animo ab assiduis curis, laboribusque recreando, Patavini agri villas obiens egit. Ineunte autumno Romam vocatu Pontificis proficiscitur: quo concursum, atque officia amicorum falleret, Vrbem noctu, nec expectatus ingredi cupivit: sed vetuit Pius non decere ferens tot gentibus tanta cum fama sapientiæ, atque innocentiæ peragratis, tam bene gestâ Republicâ redeuntem, novo insuper honore fulgentem, sine solita celebritate, & obviàm itione Vrbem inire. Itaque Senatu ad portam occurrente, maximè celebri comitatu in Vaticanum, atque inde ad Pium in Pontificio solio, ut mos, opperientem deducitur: magnaque fit illi ab omnibus gratulatio. Prædicabant vetustissimi, Romanæ aulæ neminem unquam in eum Ordinem paribus, atque ipse, itineribus pervenisse; alios divitiis, alios claritate generis, alios gratiâ, & commendatione Regum, alios poten-

rum dolos, fraudesque enudando, nunc deterrendo, continendoque occurrebat: tantumque oratione, atque auctoritate, cùm apud alios, tum apud Cæsarem ipsum valuit, ut & Catholici nunquam se commodiore, aut causæ æquiore Maximiliano usos esse prædicarent, & ille negaret unquam antea firmiores, vehementiusque inter se consociatos Catholicos expertum esse. Ita hæreticorum spe, consiliisque frustratis, nullâ novâ re decretâ, conventum æquabiliter habitum dimisit, impetratis quæ petierat ad arcendum Germaniæ finibus Turcam, auxiliis: & Pius Pontifex quinquaginta millia nummorum aureorum tribus pensionibus solvenda Maximiliano eius belli causâ dono dedit, quam pecuniam Commendonus Augustam ad se missam ad concilii finem, eo dimisso, omnem simul, consulto tamen priùs Pontifice, Cæsari repræsentavit.

De reditu eius in Vrbem.

CAPVT III.

GERMANIA Venetias Iunio mense venit, acceptus, cultúsque à civitate cùm publicè, tum privatim omnibus honoribus; nam & Princeps cum Collegio, magnaque Senatûs parte do-

mum

mum ad visendum eum venit, & frequentiâ omnium ordinum, quamdiu Venetiis fuit, est celebratus. Quamquam haud dubiè nobilium plerique livore, atque invidiâ urebantur, insueti alibi, quàm apud Patricios decora illa aspicere, & quidem Romæ æmulatione improbâ nitenti per virtutem adversati fuerant. Reliquam inde æstatem vitandis caloribus, atque animo ab assiduis curis, laboribusque recreando, Patavini agri villas obiens egit. Ineunte autumno Romam vocatu Pontificis proficiscitur: quo concursum, atque officia amicorum falleret, Vrbem noctu, nec expectatus ingredi cupivit: sed vetuit Pius non decere ferens tot gentibus tanta cum fama sapientiæ, atque innocentiæ peragratis, tam bene gestâ Republicâ redeuntem, novo insuper honore fulgentem, sine solita celebritate, & obviàm itione Vrbem inire. Itaque Senatu ad portam occurrente, maximè celebri comitatu in Vaticanum, atque inde ad Pium in Pontificio solio, ut mos, opperientem deducitur: magnaque fit illi ab omnibus gratulatio. Prædicabant vetustissimi, Romanæ aulæ neminem unquam in eum Ordinem patribus, atque ipse, itineribus pervenisse; alios divitiis, alios claritate generis, alios gratiâ, & commendatione Regum, alios poten-

rum dolos, fraudesque enudando, nunc deterrendo, continendoque occurrebat: tantumque oratione, atque auctoritate, cùm apud alios, tum apud Cæsarem ipsum valuit, ut & Catholici nunquam se commodiore, aut causæ æquiore Maximiliano usos esse prædicarent, & ille negaret unquam antea firmiores, vehementiusque inter se consociatos Catholicos expertum esse. Ita hæreticorum spe, consiliisque frustratis, nullâ novâ re decretâ, conventum æquabiliter habitum dimisit, impetratis quæ petierat ad arcendum Germaniæ finibus Turcam, auxiliis: & Pius Pontifex quinquaginta millia nummorum aureorum tribus pensionibus solvenda, Maximiliano eius belli causâ dono dedit, quam pecuniam Commendonus Augustam ad se missam ad concilii finem, eo dimisso, omnem simul, consulto tamen priùs Pontifice, Cæsari repræsentavit.

De reditu eius in Vrbem.

CAPVT III.

GERMANIA Venetias Iunio mense venit, acceptus, cultusque à civitate cùm publicè, tum privatim omnibus honoribus; nam & Princeps cum Collegio, magnaque Senatûs parte do-

mum

mum ad visendum eum venit, & frequentiâ omnium ordinum, quamdiu Venetiis fuit, est celebratus. Quamquam haud dubiè nobilium plerique livore, atque invidiâ urebantur, insueti alibi, quàm apud Patricios decora illa aspicere, & quidem Romæ æmulatione improbâ nitenti per virtutem adversati fuerant. Reliquam inde æstatem vitandis caloribus, atque animo ab assiduis curis, laboribusque recreando, Patavini agri villas obiens egit. Ineunte autumno Romam vocatu Pontificis proficiscitur: quo concursum, atque officia amicorum falleret, Vrbem noctu, nec expectatus ingredi cupivit: sed vetuit Pius non decere ferens tot gentibus tanta cum fama sapientiæ, atque innocentiæ peragratis, tam bene gestâ Republicâ redeuntem, novo insuper honore fulgentem, sine solita celebritate, & obviàm itione Vrbem inire. Itaque Senatu ad portam occurrente, maximè celebri comitatu in Vaticanum, atque inde ad Pium in Pontificio solio, ut mos, opperientem deducitur: magnaque fit illi ab omnibus gratulatio. Prædicabant vetustissimi, Romanæ aulæ neminem unquam in eum Ordinem patibus, atque ipse, itineribus pervenisse; alios divitiis, alios claritate generis, alios gratiâ, & commendatione Regum, alios poten-

rum dolos, fraudesque enudando, nunc deterrendo, continendoque occurrebat: tantumque oratione, atque auctoritate, cùm apud alios, tum apud Cæsarem ipsum valuit, ut & Catholici nunquam se commodiore, aut causæ æquiore Maximiliano usos esse prædicarent, & ille negaret unquam antea firmiores, vehementiusque inter se consociatos Catholicos expertum esse. Ita hæreticorum spe, consiliisque frustratis, nullâ novâ re decretâ, conventum æquabiliter habitum dimisit, impetratis quæ petierat ad arcendum Germaniæ finibus Turcam, auxiliis: & Pius Pontifex quinquaginta millia nummorum aureorum tribus pensionibus solvenda, Maximiliano eius belli causâ dono dedit, quam pecuniam Commendonus Augustam ad se missam ad concilii finem, eo dimisso, omnem simul, consulto tamen priùs Pontifice, Cæsari repræsentavit.

De reditu eius in Vrbem.

CAPVT III.

GERMANIA Venetias Iunio mense venit, acceptus, cultusque à civitate cùm publicè, tum privatim omnibus honoribus; nam & Princeps cum Collegio, magnaque Senatûs parte do-

mum

mum ad visendum eum venit, & frequentiâ omnium ordinum, quamdiu Venetiis fuit, est celebratus. Quamquam haud dubiè nobilium plerique livore, atque invidiâ urebantur, insueti alibi, quàm apud Patricios decora illa aspicere, & quidem Romæ æmulatione improbâ nitenti per virtutem adversati fuerant. Reliquam inde æstatem vitandis caloribus, atque animo ab assiduis curis, laboribusque recreando, Patavini agri villas obiens egit. Ineunte autumno Romam vocatu Pontificis proficiscitur: quo concursum, atque officia amicorum falleret, Vrbem noctu, nec expectatus ingredi cupivit: sed vetuit Pius non decere ferens tot gentibus tanta cum fama sapientiæ, atque innocentiæ peragratis, tam bene gestâ Republicâ redeuntem, novo insuper honore fulgentem, sine solita celebritate, & obviàm itione Vrbem inire. Itaque Senatu ad portam occurrente, maximè celebri comitatu in Vaticanum, atque inde ad Pium in Pontificio solio, ut mos, opperientem deducitur: magnaque fit illi ab omnibus gratulatio. Prædicabant vetustissimi, Romanæ aulæ neminem unquam in eum Ordinem patibus, atque ipse, itineribus pervenisse; alios divitiis, alios claritate generis, alios gratiâ, & commendatione Regum, alios poten-

alium se filium natu minorem Imperium, atque nomen Cæsaris delaturum; à nefariæ opinionis professione est revocatus. Post mortem inde patris assecutus Imperium ita vixit, ut dum spem sui utrique parti facere studet, omnibus æquè suspectus, neutrorum gratiam tenuerit. Tum quidem hæretici promissa exigentes vehementer urgebant, ut jungeret se illis, & mentem aliquando nudaret, ac propterea extorquere ab eo conabantur, ut fœdera concordiæ, pacisque anno M. D. L V. inter ipsos, & Catholicos Passavii constituta, violata sæpè ab iis, tum penitus rescinderentur: eo enim anno quemadmodum à Ferdinando Cæsare ab simili periculo Turcici belli copiarum, ac pecuniæ indigo expresserant, ut quibus libuisset, sacrorum ceremonias ex Augustana formula colere, atque habere jus esset; ita additum fœderi fuerat, ut qui à prisca sacrorum ratione, & Catholicæ Ecclesiæ sensu deficerent, aut omnino dissentirent, ii ne vectigalia quidem ulla, aut honores Ecclesiasticos obtinerent, aut potiri possent. Id ut antiquaretur, summis studiis hæretici contendebant; item illud, ne qui disciplinæ eorum sectatores Catholicorum imperio, ac ditioni subjecti essent, paterna bona vænum exponere, & excedere patriâ, atque exulare cogerentur:
cùm

cùm ne graviori pœnâ in eos animadverterent, ejusdem pacis legibus cautum esset. Quibus hæretici stare jam ab insita animis arrogantia, atque contumacia, detrectabant, & impiè pariter, atq; impudenter postulabant, ut potestas omnibus foret, quam quisque probaret opinionem habendi, & pro sua cuique religione Deum colendi, vel, si hæc non placerent, concilium (Nationale quod appellant) haberetur, ad quod coactum omne Germanicum nomen de universo jure sacrorum inter se constitueret. Harum rerum utram tenuissent, amittenda Germania erat, & cuncta prædæ hæreticis futura, cuncta confuso omni humano, ac divino jure pessumitura videbantur. His conatibus, tantoque ad exitium, atque ultimum impietatis gradum ruentium hæreticorum furori una opposita erat Commendoni prudentia, atque industria; nec ipse rei gravissimæ defuit, aut sui dissimilis fuit, admirabili solertiâ indagando, investigandoque omnia, & auctores cujusque consilii, fautoresque, & quò eorum rationes, cogitataque spectarent, ut si eorum cœtibus interesset, exploratum, cognitumque habebat, & summa cum cura, atque studio omnibus eorum machinamentis, nunc hortando, monendoque Catholicos, & adversario-

rum dolos, fraudesque enudando, nunc deterrendo, continendoque occurrebat: tantumque oratione, atque auctoritate, cùm apud alios, tum apud Cæsarem ipsum valuit, ut & Catholici nunquam se commodiore, aut causæ æquiore Maximiliano usos esse prædicarent, & ille negaret unquam antea firmiores, vehementiusque inter se consociatos Catholicos expertum esse. Ita hæreticorum spe, consiliisque frustratis, nullâ novâ re decretâ, conventum æquabiliter habitum dimisit, impetratis quæ petierat ad arcendum Germaniæ finibus Turcam, auxiliis: & Pius Pontifex quinquaginta millia nummorum aureorum tribus pensionibus solvenda Maximiliano eius belli causâ dono dedit, quam pecuniam Commendonus Augustam ad se missam ad concilii finem, eo dimisso, omnem simul, consulto tamen priùs Pontifice, Cæsari repræsentavit.

De reditu eius in Vrbem.

CAPVT III.

GERMANIA Venetias Iunio mense venit, acceptus, cultusque à civitate cùm publicè, tum privatim omnibus honoribus; nam & Princeps cum Collegio, magnaque Senatûs parte domum

mum ad visendum eum venit, & frequentiâ omnium ordinum, quamdiu Venetiis fuit, est celebratus. Quamquam haud dubiè nobilium plerique livore, atque invidiâ urebantur, insueti alibi, quàm apud Patricios decora illa aspicere, & quidem Romæ æmulatione improbâ nitenti per virtutem adversati fuerant. Reliquam inde æstatem vitandis caloribus, atque animo ab assiduis curis, laboribusque recreando, Patavini agri villas obiens egit. Ineunte autumno Romam vocatu Pontificis proficiscitur: quo concursum, atque officia amicorum falleret, Vrbem noctu, nec expectatus ingredi cupivit: sed vetuit Pius non decere ferens tot gentibus tanta cum fama sapientiæ, atque innocentiæ peragratis, tam bene gestâ Republicâ redeuntem, novo insuper honore fulgentem, sine solita celebritate, & obviàm itione Vrbem inire. Itaque Senatu ad portam occurrente, maximè celebri comitatu in Vaticanum, atque inde ad Pium in Pontificiò solio, ut mos, opperientem deducitur: magnaque fit illi ab omnibus gratulatio. Prædicabant vetustissimi, Romanæ aulæ neminem unquam in eum Ordinem paribus, atque ipse, itineribus pervenisse; alios divitiis, alios claritate generis, alios gratiâ, & commendatione Regum, alios poten-

tium ſtudiis provectos: unum ſuâpte vi, ac virtute omnia adeptum, nullo aliunde præſidio, & quod mirabilius eſt viſum, nullâ cupidine, nullo ambitu, nihil petenti ultro omnia obveniſſe medio ætatis, & valetudinis flore: quæ læta maximè bonis erant, patefactum in eo virtuti aditum cernentibus. His ſermonibus quantâ ante eum meminerant neminem expectatione, atque opinione virtutis celebratus, Romam eſt ingreſſus. Et Pius egregius dignitatis fautor addidit hominum inclinationi magnum momentum, nihil, quo ſingularem animum, atque benevolentiam teſtari poſſet, omittens. Vetus eſt Pontificibus Maximis mos, ut quæque incidit res, cujus aut conſultatio, aut cura deleganda amicis ſit, delectis è Cardinalium numero quot, & quos placitum fuerit, negotium mandare; ii, ut res poſcit, ad eum, qui ordine inter illos antecedit, ad conſultandum conveniunt, atque hi cœtus ab re congregationes appellantur. Poſt Commendoni adventum, ut expectatus videretur, ſeptem Pius congregationes variis de rebus, ut viſum è publicæ rei uſu eſt, inſtituit, ſingulisque Commendonum addidit: adeò unum ad omnia ingenio validum duxit. Nec minùs frequenter arcanis conſiliis ſummis de rebus adhibuit. Ædes in Palatio laxas im-

imprimis, & menstruam pecuniæ pensionem in necessarios rerum usus attribuit, donec peramplis quoque, ac ditibus sacerdotiis adauxit. Et cùm cæteri ferè Patrum, nisi per Magistrum cubiculi antè constituto, ac dicto tempore, ad Pontificem non adirent, ne qui per ambitionem conclavibus, foribusque assisterent; (quod maiestati eorum indecorum Pius rebatur) unus est exemptus Commendonus, eique haud secus, quàm Alexandrino Cardinali propinquo suo quoties, & quando vellet, nullo in ea re Cubiculariorum arbitrio, aditum ad se esse Pius iussit. Itaque versa continuò in eum omnis civitas, frequentari domum, observari egressus, deduci, coli, appeti, ut quisque industriâ notus aditum ad amicitiam quærere, in eius se fidem conferre; commendari, probari, testimoniis juvari ab uno maximè, vel ante omnes, qui litterarum, & doctrinæ laudem haberent, ad eum confluere, eum alumnum bonarum artium, veluti auctorem fortunæ, ac patronum adoptare. At ipse tantis in se hominum studiis, tam secundâ fortunæ aura nihil efferri, amicis fidem, omnibus modestiam præstare, quos veris ingenii, aut animi laudibus probasset, iis ultro, atque enixè favere, adeò navatam operam non ostentans, ut multi studio, &

commendatione eius aucti, ornatique sint ignari per quem crevissent. Nec ille suarum virtutum visus constantiùs ullam amplecti, quàm rectè factorum conscientiam, non gloriam petere. Sic officiorum in amicos fructum in beneficentia, non in gratia ponebat, quorum cùm plerique hortarentur tempore uti, & quantùm se offerret potentiæ, capessere, firmare se opibus, devincire, fovere clientelas; & quamplurimos beneficiis amplecti; repulit consilium, præterquam quod moderatio moribus eius magis congrueret, gnarus nihil tam fluxum, ac lubricum, nihil tam omnium obtrectationi, atque invidiæ propositum, quàm magnorum Principum gratiam non modestè, ac temperanter habitam, & qui modicè utitur rebus, hunc fortunam in potestate habere, & incerta casuum consilio subijcere: sin prosperis ferri te sinas, sæpè in adversa, atque præcipitia rapiare. Hinc quantò Pii amor intensior in dies, illustriorque, tantò ipse parciùs uti, non, nisi res posceret, ac plerumque vocatus adire, ac publicis ferè de rebus munera, beneficiaque aliis pro cuiusque dignitate, sibi, quod perpetuum illi fuit, nihil unquam petere. Raró per Vrbem; sæpè curru tectus, hortos, aut in abditis locis templa invisens, cœtus salutantium decl-

clina-

clinabat, aut domi studiis tempus transigebat. Quoties aut in Senatum veniendum, aut ad Pontificia sacra prodeundum esset, turbam deducentium præmaturo egressu antevertens plerumque vitabat, modico, ac domestico comitatu contentus: & quod omnem suspicionem cupiditatis, ambitionisque extinxit, singulis annis per causam valetudinis, vitandique æstate calores urbanos, Vrbe excedebat, magis non negante, quàm non ægrè ferente Pio, qui tamen cuncta illi in modestiam vertens, gratiorem vel ex eo habebat, quòd gratiam minimè affectaret; atque ille per hæc & premere invidiam, & occurrere satietati, quam plerumque assiduitas affert, & gratiam desiderio tueri, & redintegrare videbatur. Æmulationem cum Michaele Bonello Cardinali Alexandrino, quem Pius ob morum, atque ingenii indolem in summum Ordinem cooptaverat, non tam ipsius sponte juvenis, quàm aliorum instinctu motam non lenivit solùm hac moderatione, & prudentia; sed ita discussit, ut suis quoque in rebus Alexandrinus consiliis eius uteretur, ac præcipuum studium erga illum præ se ferret, appeteretque illius auctoritate, ac testimonio laudem sibi, & commendationem apud Pontificem tribui. Cæterùm Pius, si qua gra-

vior res incidisset, ad absentem quoque per epistolam referri, & sententiam exquiri iubebat. Nec si causa publicæ legationis, quæ Cardinalis personam posceret, incidisset, alterius opera est usus. Ter id munus, quod longè gravissimum, honestissimumque habetur, illi à Pio nunquam præsenti est mandatum.

Secunda legatio eius ad Cæsarem.

CAPVT IV.

MAXIMILIANVS Cæsar, sive animum Lutheranæ superstitionis labe infectus, eam sectam occultis studiis fovebat, sive spe ingentis pecuniæ, quam ei Austriæ populi, vsurpato antea exemplo mercandi pretio à Regibus, quam mox Reges in ipsos exercerent, licentiam, pollicebantur, tribuere iis jus ex ritu Augustanæ formulæ sacrorum ceremonias colendi statuerat. Inceptis impiis titulum honestum prætendebat: *Lacerari opinionibus rem Christianam, dirisque religionibus convelli, infirmarique priscæ pietatis fidem, eoque impunitatis ventum, vt novis erroribus nullus finis, aut modus fieret, & præstare, datâ unius veniâ, cæteros submovere vi Regum, ac probibere, quàm omnibus simul premi.* Hæc vbi nunciata

sunt

ſunt Pio, advocat Senatum, & quanta res moveretur edoctis Patribus, flectit ad Commendoni laudes, vnumque maximis Reipublicæ negotiis fide, induſtriâ, vſu parem ediſſerens, omnium conſenſu Legatum deligit, ac primo quoque tempore tranſire in Germaniam, & pergere ad Cęſarem iubet, & ſe peſtilentibus conſiliis obiicere, miſſo celebri tabellario, qui hæc ad eum perferret. Commendonus æſtatem apud Veronam egerat, & inſtante iam autumno, ex conſuetudine reditum in Vrbem parabat, cùm ei Senatuſconſultum, & mandata Pontificis redduntur. Paucos dies adſciſcendis comitibus, inſtruendoque itineri abſumpſit; inde acceptâ de manu Auguſtini Valerii Epiſcopi Veronenſis argenteâ cruce, quod eſt legationis inſigne, Veronâ proficiſcitur. Eadem die ad Volarniam duodecimo à Verona lapide feſtinus à Cæſare Nuncius cum litteris occurrit, quibus magnopere petebat ab eo Cæſar, ne longiùs progrederetur: miſſurum ſe ad Pontificem Maximum, qui oſtenderet, quàm non opportunum Reipublicæ hoc tempore Cardinalem Legatum ad ſe mitti: tantiſper opperiretur, dum de eo, quæ Pontificis voluntas eſſet, cognoſceret. Erant qui gerendum Cæſari morem, mandatumque Pii Veronæ expectandum cenſerent: ſed Commen-

mendonus negavit sibi mutare quidquam de Pontificis iussis ad alterius, quàm Pontificis ipsius nutum licere, ac misso protinus Romam, qui à Pio sciscitaretur, quid se facere iuberet, ipse viam perrexit, moderans iter, vt qui missus esset, ad Oenipontem se assequeretur: oppidum in Rheticis Alpibus quatridui iter à Tridento, Italiæque finibus dissitum; ita se mandatum munus non deserturum, & Pontificis nihilominus integram de se deliberationem fore. Oeniponti apud Ferdinandum Cæsaris fratrem esse Archiepiscopum Salisburgensem, & Albertum Ducem Bavariæ audierat; cum iis interea collocuturum, acturumque maximè cum Alberto, cuius auctoritatem nonnihil revereri Cæsar credebatur, vt eum ab inceptis Germaniæ pestem allaturis revocare conaretur. Et dedere quidem illi ex Commendoni voluntate graves ad Maximilianum litteras, & Albertus id quoque incusavit, quod Commendonus questus apud se fuerat, adeò præposteris vivi moribus, ut commodiùs plerique, ac meliùs conflari religiones à quovis machinatore patent, quàm ex Pontificis Maximi auctoritate constitui, qui sacrorum custos, interpresque ab ipso Deo hominibus sit datus; & Turcarum, & Barbarorum Oratores accipi cum honore, Româ venientes Legatos,

tos, amplissimæ viros dignitatis gravatè, & repugnanter admitti. Sed Pius interea, cùm pariter Commendoni & firmum adversùs gratiam animum, consiliumque non parendi Cæsaris litteris, neque iter inceptum intermittendi, & in se constans, atque immotum obsequium multis verbis palàm extulisset, factumque id maximè ad voluntatem suam ostendisset, ire porrò eum, & exequi iussum imperavit. Qui inde statim profectus, navigiis ad Halam conscensis Oeno flumine, Danubioque devectus, octauo die Viennam appulit, omnibus, quà transiret, perditam spem, & frustra fore quemvis conatum denunciantibus, progressum esse Maximilianum, vnde receptus ad pœnitentiam non esset; siquidem pactione pecuniæ, & promissis devincta fide nihil sibi integri fecisset. *Postridie aditus Cæsar, qui prior non ideo optasse ait, ne Cardinalis Legatus ad se hoc tempore veniret, quòd eam legationem abnueret, quam ipse sibi honorificam fateretur; sed ne ea in tanto Belgarum tumultu, motuque animorum, quibus immixti plerique Germaniæ populi essent, incommodam aliquam suspicionem afferret, veritum: id quando Pontifici Maximo non probasset, lætari advenisse eum, apud quem rationem consilij sui exponeret, quo adductus Austrios in sacrorum ceremonijs Augustanæ*

for-

formulæ ritu, atque iure uti passurus esset. Visum id sibi, ut in malis salubre imminentium remedium, quod pridem illæ sibi Provinciæ usurpassent iuris, ac licentiæ vivendi, opinandi, statuendi ex cuiusque arbitrio de fide, & cultu sacrorum, id eas permissu suo certis obstrictum legibus habere, queis ingruentibus quotidie novis errorum monstris aditus aliquando obstrueretur. Etenim tantâ tam turbulentorum errorum, ac sectarum multitudine elevari omnem auctoritatem religionis, omniaque divinarum rerum iura perverti. Delectam ex cunctis à se Lutheranæ familiæ rationem, quòd ea minùs à Catholica pietate, propiusque à vero abesse videretur: additurum ritus, cultumque, & formam ceremoniarum sumptam maximè à nobis: sic finem impiæ libidini novas in singulos dies opiniones comminiscendi, dispergendique impositurum; & faciliùs ad sanctitatem revocatum iri, si, ne longiùs à nostro more recederent, provisum foret: quippe depulsis alijs pestilentibus, ac mortiferis morbis, expeditam unius haud vehementissimi curationem futuram. Nec se tamen ad id consilium, nisi necessitate descendisse, quòd neque quam iniret, aliam remedij viam invenisset, neque infinita illa licentia tolerari, ac sustineri diutiùs iam posset. Versari enim se assiduè in metu, ac periculo gravis alicuius seditionis, quæ inde
haud

haud dubiè impenderet: nec novum id à se incipi, antè à Carolo patruo, & Ferdinando patre, optimis Imperatoribus, ac Romanæ Ecclesiæ, & Catholicæ fidei reverentissimis factum; nec verò, quod populis illis semel concessum adimi non posset, id quemquam arbitrari esse, qui satius non duceret adstrictum legibus, modoque, ac specie aliquâ religionis adhibitâ eos habere, quàm per summam impunitatem polluere, inquinare, commutare, confundere quotidie omnia, & Provinciam Austriæ portentorum omnium, ac scelerum sedem, & receptaculum fieri, tantamque materiam discordiarum, tantum intestini belli semen inclusum sinu fovere. Postremò testari Deum, non aliud sibi propositum, quàm ut à suorum mentibus superstitio depelleretur, omnesque ad priscam avitæ pietatis, & Romanæ Ecclesiæ fidem redirent. Hæc ferè Cæsar. Commendonus id quidem laudare, quòd reducendos ad fidem Romanæ Ecclesiæ popularium animos, mentesque perversis erroribus exolvendas suscepisset, idque propositum consilium ab se initium haberet, modò ne falsis remediis, contrariisque insisteret, quæ augerent, & foverent, non tollerent, aut levarent morbum. Cælestium fidem nullam nisi incorruptam, perfectamque esse, & pietatis rationem cultu, & sanctitate constare, ut religioni remedium non

aliter

aliter afferatur, quàm eam intemeratam in sua integritate, nitoreque habendo: aut si quid alieni moris, opinionisque irrepsit, purgando, abolendoque putare eius sit, qui nequaquam res suâ vi, ac pondere metiatur. Dei certè iussis violandis, ac multitudinis semper imperitæ, & ubi legum venerationem excussit, & à vero, rectoque deflexit, pessimo cuique parentis cupidinibus obsequendo, nihil aliud, quàm affinem te culpæ feras, & sceleri eorum, furorique alimenta subijcias; cuius rei non esse longè petenda exempla: quid enim hoc malum parvis ortum initijs aluisse, & ex tam parvo, & vix animadvertendo igne tantum, ac tam latè fusum incendium fecisse, nisi quòd primò neglectum, deinde cùm occursum, atque obviàm itum oportuit, præbita materia est ab ijs, qui populorum desideria indulgentiâ lenienda, captandaque esse putaverunt? Carolum, & Ferdinandum cum ijs ipsis Lutheranis de eadem Augustana formula certis pactionibus concordiæ causa transegisse spe, ut credibile est, & ipsi ferebant, cohibendi, sistendique flagrantium impetum, & quotidie nascentium novarum sectarum contagionem avertendi: sed eventu tristi, & calamitoso; quippe cùm omnes omnium disciplinarum, atque opinionum sectæ in Augustanæ formulæ nomine, atque auctoritate facilè delitescerent, cuncta ex

eo

eo depravata brevì, ut nulla gens totius Germaniæ integra, nullius diligentia prohiberi, ne illa passim grassaretur pestis, potuerit. Atque hæc quidem sic fieri, divino numine consilia nostra humanis imbuta cupiditatibus in pœnam nobis, remedia in perniciem vertente. Neque hos ipsos Imperatores tamen cum ijs pactionem ullam fecisse, qui propriæ ditioni eorum subijcerentur, sed cum valentissimis Regulis, populisque, quorum consentientium vim, atque arma etiam timuisse non ex vano videre poterat. At eius quid simile habere consilium, qui Austriis, uni non minimæ Germaniæ genti, & eius privatim imperio subiectæ id ultro obtulerit? At enim exclusa multiplicium sectarum multitudine, faciliùs sub unam Augustanæ formulæ disciplinam coacti ad fidem inde Catholicæ pietatis redigentur. Iam primùm omnium ab illa regula divinitus nobis tradita non esse discedendum, qua præcipitur, ne quid mali quorumvis bonorum spe faciamus; quam legem cùm ad omnia pertinere, tum maximè religionem, & res sacras complecti, quæ cælesti vi, non humana sapientia continentur: deinde quod semel inutile foret, atque adeò exitu fœdum, & perniciosum in alijs expertus sit, cur id iterum in se, suisque periclitari velit? Verùm mittenda exempla, ubi efficacior ratio adsit. Qui, inquit, hoc
iuris,

iuris, ac licentiæ à te expetunt, si omnes Lutherani sunt, & placita Augustanæ formulæ ultro complectantur, quid permissione ista, & sanctione est opus ad eos in illam sententiam adducendos, aut cæterarum prohibenda, pellendaque hæresum inventa, quæ nulla sunt? Sin, quod ais, animos diversæ, & aliis aliæ tetriores sectæ perturbant, distrahuntque, tum tibi ea consultatio prima occurrit, iubenti ne sacrorum leges dicto audientes futuri sint, aut, si imperium detrectent, suppetant ne ad cogendum vires; nam si tantùm vel nervorum tibi, vel auctoritatis apud eos est, ut quò velis flectere, aut repugnantes vi subigere possis, haud dubium, quin tibi ex illis intestabilium opinionum, atque errorum tenebris eruti, ad veritatis lucem, id est, Catholicę Ecclesię revocandi sint. Verùm si illi contumaciores sint, quàm ut parere tibi velint, & plures, quàm ut tutum adhibere vim videatur; tum ne sub unius quidem Augustanę formulę ius redigere eos possis. Neque enim illi minùs acerbè inter se, quàm nobiscum dissident. An Calvinianos, confidentissimum, ac pervicax genus, qui nunc maximè obsolescen[illegible] in dies Lutheri auctoritate [illegible] adduces,

pantibus esse? Idem de Trinitariis, idem de reliquis licet iudicare. Sed esto, concedant omnes, consentiantque Luthero, quod nemo speret, qui hereticorum ingenia norit, & Augustanę formulæ nomine censeri velit: quem tu ex eo capias fructum? Vt quid ęgro, & pluribus morbis graviter affecto ad salutem profuerit alios depulisse morbos, si remediis eorum gliscens reliqui unius mortifera vis perinde laborantem extinguat? Quemadmodum profundo in pelago pereuntem si extrahas quidem ad summum, sed mergi tamen, atque obrui aquis sinas, nihilo magis vitę eius subvenias, quàm si absorberi voraginibus, fluctibusque patiare. Si tui heretici, expertesque Christianę pietatis sunt, ex Eccl się navi (qua una qui vehuntur, salutis tenere cursum, atque intrare portum queunt) aut exciderunt, aut se eiecerunt, nec magni refert, cuius sectę undis involuantur, submerganturque. Nec tu aliter saluti eorum consulas, quàm si errorum ęstibus ereptos in navim receperis; nam eos cęlesti irâ in v[illegible] [illegible] sceleris summis de rebus discr[illegible] concordiam, quæ non veritate [illegible] ere nec unq[illegible] uare, n[illegible] arbitreris. [illegible] manife[illegible] i numen, [illegible] immi[illegible] ic est dissidij [illegible] prys[illegible] iisque inter [illegible] ur, [illegible] adversum

nos

nos de eo ipsi minimè conveniant, quo nos oppugnare contendunt? Æternam hanc hæreticorum dissensionem Ecclesiæ pacem Augustinus summus sapientiæ atque sanctitatis auctor appellavit: & nos reducere eos in gratiam, concordiamque conemur, & Dei voluntatem, cuius illi vi, atque irâ agitantur, venire contra non vereamur, & animis, rebusque pugnantes, ipsi consentientium speciem induendo, ultro confirmemus, & veluti armemus adversùs nos, Ecclesiamque, à qua desciverunt, quam unam impugnant, in quam omnes omnium eorum impetus feruntur? Quid ergo si à te, tuoque imperio defecissent hi populi, & alij vi, atque ferro, alij aliâ viâ, omnes pariter te oppugnarent, tuæque vitæ, ac dominationi insidiatum irent? Vtrum tandem ijs discordantibus inter se, nullo certo duce, cui parerent, nullo signo, ad quod coirent, eoque minùs tibi validè incumbentibus, ultro impietatis ducem, ac signiferum præbiturus ipse esses, an conscindi, collidique, & confici sua ipsos discordia passurus? Tu verò etiam sponte consentientes ut arte, atque consilio disiungeres, dissociaresque, curam, operamque intenderes, nec quiescere posses, donec amotis seditionum auctoribus, multitudinem sub leges redigeres: adeò nostra nos magis movent, & acres nostri ultores; quæ in Deum patrantur, lentè, negligen-

genterque accipimus. Patere, quæso Cæsar, me salutis tuæ imprimis, & tot circà gentium causa nihil reticere eorum, quæ palàm homines loquuntur, & apertè, ac liberè apud ipsum te omnia effari. Ipsi hæretici hoc ius, hanc licentiam ex lege, atque ritu Augustanæ formulæ vivendi pretio emptam se habere, proque ea vigesies centies mille aureorum nummum in tres proximos annos dare tibi pactos esse, ita non obscurè ferunt, ut etiam, qua sunt insolentia, tanquam exprobrantes iactent; nec te tua voluntate aut consilio, sed huius tam grandis pecuniæ spe captum, illectumque esse, auctores huius corruptelæ, & accusatores produnt: necdum ulla firmata privilegio tua promissa habent, & hos illusores, & criminatores dignitatis tuæ modestè quicquam, aut obedienter acturos, & ab insita arrogantia, atque contumacia discessuros speras? Hos ut concilies tam perniciosi exempli rem induces? cuius vel solam famam quantum animorum motum in finitimis Germaniæ populis fecisse, facturamque in omnibus putas? quantum cupidis irritamentum, quantam bonis desperationem allaturam, ut non corruptæ modò, & aliqua eius mali contagione affectæ nationes accendi, irritarique, sed integræ quoque, atque intactæ ad cupiditatem novarum rerum conciri, & sollicitari uno hoc facto posse videantur? Quid

Quid quod non solùm non opportunum huic malo, adeoque contrarium, atque exitiosum remedium initum abs te est; sed huiusmodi, quod alterius propè gravioris facinoris culpam sustineat, usurpationem muneris, atque iuris alieni? Neque enim, Cæsar, tibi, aut ulli Regum hæc data potestas est ordinandi, disponendiquè, aut omnino attingendi res sacras, quarum ius, atque arbitrium, quantùm capere mortalitas potest, unum penes esse Pontificem Maximum Deus iussit: aliorum nullæ, nisi parendi sunt partes, & tuæ præterea, Regumque cæterorum tuendi, defendendique. Id nos non divinis modò litteris, monitisque docti sumus; sed magnis, & quæ terrere omnes debeant exemplis, à Deo est affirmatum. Proditum memoriæ est in sacris libris, cùm plaustro veheretur Arca Dei, & inquietatione boum, qui trahebant, decussa pænè concideret, Ozam, unum è rectoribus currus, quò casum eius averteret, manum Arcæ admovisse. Idque crimen, quia ille Sacerdos, & Levita non erat, & alieni muneris officium invaserat, visum est à Deo dignum, quod ille statim morte lueret: adeò divinas res non egentes humanæ opis, nec attrectandas prophanis manibus, consiliisque esse testatum, sancitumque apud posteros Deus voluit. Magnum hoc, & triste abstinendi se contactu sacrarum rerum, ac vitan-

vitandæ cælestis iræ documentum; sed haud minùs severum illud, & propriè ad Reges pertinens. Sublatus ex humili loco ad Regni fastigium à Deo fuerat Saul, ita partitis inter ipsum, & Samuelem muneribus, ut huic religionis, & sacrorum iura, illi Imperium, & belli, & pacis ius essent: imminente cum innumerabilibus copijs Philistæo hoste, indictum populis solenne sacrificium, sacrificijque dies dictus fuerat, quo divino propitiando Numini certæ hostiæ, ut tum mos, immolarentur; neque enim religiosa gens sumptura aliter arma, & prælium initura erat, nisi antè placato patria ceremonia Deo. Convenerat iuxtà omnium multitudo, quæ cùm diu expectaßet, nec Samuel ad constitutum adesset, dilabi porrò domum, atque omnes abire cœperant. Tum Saul ne tanto instante ab hoste periculo, à suis desereretur, rem divinam ipse peregit, paratasque victimas aris admovit, & sacrificavit. Id ob piaculum, electo paulò antea ad Regnum, clarisque victoriis nobilitato, per eumdem Samuelem denunciari illico iussit Deus, Regnum se illi, liberisque eius adempturum, aliamque in domum translaturum: nec multò post victus prælio, occisusque, excidio domus suæ cælestibus minis fidem affirmavit. Regnum ad David æmulum eius est delatũ, quem ipse pulsum, abiectumque, & fuga se, ac latebris à vi,

atque iniuria ægrè tutantem sæpè interficere conatus erat. Te oro, Cæsar, obtestorque, ut hæc cælestia præscripta, documentaque nobis erudiendis divinis tradita monumentis tecum reputes, & animum ab novis, precipitibusque consiliis ad salubriores cogitationes, ac tuâ maiestate, tuo loco, tuâ familia, teque denique ipso dignas recipias. Hoc genere orationum convincebatur quidem Cæsar, vt quibus seque, remque obtegeret, illi verba non suppeterent: sed contrà nummorum cupidine, & hæreticorum postulationibus recepta flagitantium, & præterea intimo, quanquam occulta, ingentique simulatione involuto in Lutheranos studio vehementer animo distrahebatur. Id haud ignotum Commendono eo impensiùs cùm ipse instare urgereque; tum Legatos Regum, qui aderant, submittere communem causam communibus agendam studiis docens. Et Pius Pontifex, ut erat acer religionis vindex, & ubi ea ageretur, impatiens humanarum artium, litteras ad Commendonum dederat, quibus si cunctaretur Cæsar, neque inceptis desisteret, facta re divina, & eo Evangelii capite recitato: *Quicumque non receperint vos, neque audierint sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris*: & ipse abscedere Vienna,

atque

atque inde Nuncium abducere, & Maximiliano renunciare amicitiam iubebatur. Nondum præcisa omnis Commendono spes erat, nec maturum ad tam abrupta consilia tempus videbatur, ex queis oriturum haud dubiè magnum, & periculosum rerum motum prospiciebat: sed hæc Pii mandata dissimulans ipse, Maximiliano clam enunciari, deferrique per alios curavit, quo & gratiam, opinionemque temperati, & quantùm per mandati muneris fidem liceret, refugientis benevolentiam inter Cæsarem, & Pontificem abrumpere, & Cæsari ipsi curam iniecit nihil temerè agendi, cernendique rem sibi cum Pontifice haud segni, obnoxiove, sed Deo, causæque fidenti, & facilè contemnenti humanas rationes esse. Et labi iam pertinacia cœperat, cùm Commendonum omnia molientem, omnesque undique machinas ad expugnandum admoventem etiam casus iuvit. Adfertur nuncius coniugem Philippi Regis Hispaniarum decessisse, nulla virilis sexus prole relicta. Confestim in Cæsaris Regia ortus differtur in omnes sermo Annam maiorem natu filiarum eius Philippi matrimonio destinantium, avunculo neptem, nam Philippi sorore genita puella erat: unde iungi illi, ni Pontifex Maximus nuptiis annuisset, per leges non po-

aliter afferatur, quàm eam intemeratam in sua integritate, nitoreque habendo; aut si quid alieni moris, opinionisque irrepsit, purgando, abolendoque putare eius sit, qui nequaquam res suâ vi, ac pondere metiatur. Dei certè iussis violandis, ac multitudinis semper imperitæ, & ubi legum venerationem excussit, & à vero, rectoque deflexit, pessimo cuique parentis cupidinibus obsequendo, nihil aliud, quàm affinem te culpæ feras, & sceleri eorum, furorique alimenta subijcias; cuius rei non esse longè petenda exempla: quid enim hoc malum parvis ortum initijs aluisse, & ex tam parvo, & vix animadvertendo igne tantum, ac tam latè fusum incendium fecisse, nisi quòd primò neglectum, deinde cùm occursum, atque obviàm itum oportuit, præbita materia est ab ijs, qui populorum desideria indulgentiâ lenienda, captandaque esse putaverunt? Carolum, & Ferdinandum cum ijs ipsis Lutheranis de eadem Augustana formula certis pactionibus concordiæ causa transegisse spe, ut credibile est, & ipsi ferebant, cohibendi, sistendique flagrantium impetum, & quotidie nascentium novarum sectarum contagionem avertendi: sed eventu tristi, & calamitoso; quippe cùm omnes omnium disciplinarum, atque opinionum sectæ in Augustanæ formulæ nomine, atque auctoritate facilè delitescerent, cuncta ex

eo

eo depravata brevi, ut nulla gens totius Germaniæ integra, nullius diligentia prohiberi, ne illa passim grassaretur pestis, potuerit. Atque hæc quidem sic fieri, divino numine consilia nostra humanis imbuta cupiditatibus in pœnam nobis, remedia in perniciem vertente. Neque hos ipsos Imperatores tamen cum ijs pactionem ullam fecisse, qui propriæ ditioni eorum subijcerentur, sed cum valentissimis Regulis, populisque, quorum consentientium vim, atque arma etiam timuisse non ex vano videre poterat. At eius quid simile habere consilium, qui Austriis, uni non minimæ Germaniæ genti, & eius privatim imperio subiectæ id ultro obtulerit? At enim exclusa multiplicium sectarum multitudine, faciliùs sub unam Augustanæ formulæ disciplinam coacti ad fidem inde Catholicæ pietatis redigentur. Iam primùm omnium ab illa regula divinitus nobis tradita non esse discedendum, qua præcipitur, ne quid mali quorumvis bonorum spe faciamus; quam legem cùm ad omnia pertinere, tum maximè religionem, & res sacras complecti, quæ cælesti vi, non humana sapientia continentur: deinde quod semel inutile foret, atque adeò exitu fœdum, & perniciosum in alijs expertus sit, cur id iterum in se, suisque periclitari velit? Verùm mittenda exempla, ubi efficacior ratio adsit. Qui, inquit, hoc iuris,

iuris, ac licentiæ à te expetunt, si omnes Lutherani sunt, & placita Augustanæ formulæ ultro complectantur, quid permissione ista, & sanctione est opus ad eos in illam sententiam adducendos, aut cæterarum prohibenda, pellendaque hæresum inventa, quæ nulla sunt? Sin, quod ais, animos diversæ, & alijs aliæ tetriores sectæ perturbant, distrahuntque, tum tibi ea consultatio prima occurrit, iubenti ne sacrorum leges dicto audientes futuri sint, aut, si imperium detrectent, suppetant ne ad cogendum vires; nam si tantùm vel nervorum tibi, vel auctoritatis apud eos est, ut quò velis flectere, aut repugnantes vi subigere possis, haud dubium, quin tibi ex illis intestabilium opinionum, atque errorum tenebris eruti, ad veritatis lucem, id est, Catholicę Ecclesię revocandi sint. Verùm si illi contumaciores sint, quàm ut parere tibi velint, & plures, quàm ut tutum adhibere vim videatur; tum ne sub unius quidem Augustanę formulę ius redigere eos possis. Neque enim illi minùs acerbè inter se, quàm nobiscum dissident. An Calvinianos, confidentissimum, ac pervicax genus, qui nunc maximè obsolescente in dies Lutheri auctoritate florent, tumentque, adduces, ut alterius cuiusvis placita suis pręferant? aut eos nobis credis infestiores, quàm Lutheranis ipsis, aliisque ab eorum ratione discre-

pan-

pantibus esse? Idem de Trinitariis, idem de reliquis licet iudicare. Sed esto, concedant omnes, consentiantque Luthero, quod nemo speret, qui hereticorum ingenia norit, & Augustanę formulæ nomine censeri velit: quem tu ex eo capias fructum? Vt quid ęgro, & pluribus morbis graviter affecto ad salutem profuerit alios depulisse morbos, si remediis eorum gliscens reliqui unius mortifera vis perinde laborantem extinguat? Quemadmodum profundo in pelago pereuntem si extrahas quidem ad summum, sed mergi tamen, atque obrui aquis sinas, nihilo magis vitę eius subvenias, quàm si absorberi voraginibus, fluctibusque patiare. Si tui heretici, expertesque Christianę pietatis sunt, ex Ecclesię navi (qua una qui vehuntur, salutis tenere cursum, atque intrare portum queunt) aut exciderunt, aut se eiecerunt, nec magni refert, cuius sectę undis involuantur, submergunturque. Nec tu aliter saluti eorum consulas, quàm si errorum ęstibus ereptos in navim receperis; nam eos cęlesti irâ in ultionem sceleris summis de rebus discrepantes in concordiam, quæ non veritate nitatur, cogere nec unquam assequare, nec tibi fas esse arbitreris. Quod enim manifestius ullum Dei numen, quàm à quo immissus in istos hic est dissidii furor, ut propriis odiis, sententiisque inter se digladientur, & conspirati adversum

nos

nos de eo ipsi minimè conveniant, quo nos oppugnare contendunt? Æternam hanc hæreticorum dissensionem Ecclesiæ pacem Augustinus summus sapientiæ atque sanctitatis auctor appellavit: & nos reducere eos in gratiam, concordiamque conemur, & Dei voluntatem, cuius illi vi, atque irâ agitantur, venire contra non vereamur, & animis, rebusque pugnantes, ipsi consentientium speciem induendo, ultro confirmemus, & veluti armemus adversùs nos, Ecclesiamque, à qua desciverunt, quam unam impugnant, in quam omnes omnium eorum impetus feruntur? Quid ergo si à te, tuoque imperio defecissent hi populi, & alij vi, atque ferro, alij aliâ viâ, omnes pariter te oppugnarent, tuæque vitæ, ac dominationi insidiatum irent? Vtrum tandem ijs discordantibus inter se, nullo certo duce, cui parerent, nullo signo, ad quod coirent, eoque minùs tibi validè incumbentibus, ultro impietatis ducem, ac signiferum præbiturus ipse esses, an conscindi, collidique, & conffici sua ipsos discordia passurus? Tu verò etiam sponte consentientes ut arte, atque consilio disiungeres, dissociaresque, curam, operamque intenderes, nec quiescere posses, donec amotis seditionum auctoribus, multitudinem sub leges redigeres: adeò nostra nos magis movent, & acres nostri ultores; quæ in Deum patrantur, lentè, negligen-

genterque accipimus. Patere, quæso Cæsar, me salutis tuæ imprimis, & tot circà gentium causa nihil reticere eorum, quæ palàm homines loquuntur, & apertè, ac liberè apud ipsum te omnia effari. Ipsi hæretici hoc ius, hanc licentiam ex lege, atque ritu Augustanæ formulæ vivendi pretio emptam se habere, proque ea vigesies centies mille aureorum nummum in tres proximos annos dare tibi pactos esse, ita non obscurè ferunt, ut etiam, qua sunt insolentia, tanquam exprobrantes iactent; nec te tua voluntate aut consilio, sed huius tam grandis pecuniæ spe captum, illectumque esse, auctores huius corruptelæ, & accusatores produnt: necdum ulla firmata privilegio tua promissa habent, & hos illusores, & criminatores dignitatis tuæ modestè quicquam, aut obedienter acturos, & ab insita arrogantia, atque contumacia discessuros speras? Hos ut concilies tam perniciosi exempli rem induces? cuius vel solam famam quantum animorum motum in finitimis Germaniæ populis fecisse, facturamque in omnibus putas? quantum cupidis irritamentum, quantam bonis desperationem allaturam, ut non corruptæ modò, & aliqua eius mali contagione affectæ nationes accendi, irritarique, sed integræ quoque, atque intactæ ad cupiditatem novarum rerum conciri, & sollicitari uno hoc facto posse videantur?

Quid

Quid quod non solùm non opportunum huic malo, adeoque contrarium, atque exitiosum remedium initum abs te est; sed huiusmodi, quod alterius propè gravioris facinoris culpam sustineat, usurpationem muneris, atque iuris alieni? Neque enim, Cæsar, tibi, aut ulli Regum hæc data potestas est ordinandi, disponendiquè, aut omnino attingendi res sacras, quarum ius, atque arbitrium, quantùm capere mortalitas potest, unum penes esse Pontificem Maximum Deus iussit: aliorum nullæ, nisi parendi sunt partes, & tuæ præterea, Regumque cæterorum tuendi, defendendique. Id nos non divinis modò litteris, monitisque docti sumus; sed magnis, & quæ terrere omnes debeant exemplis, à Deo est affirmatum. Proditum memoriæ est in sacris libris, cùm plaustro veheretur Arca Dei, & inquietatione boum, qui trahebant, decussa pænè concideret, Ozam, unum è rectoribus currus, quò casum eius averteret, manum Arcæ admovisse. Idque crimen, quia ille Sacerdos, & Levita non erat, & alieni muneris officium invaserat, visum est à Deo dignum, quod ille statim morte lueret: adeò divinas res non egentes humanę opis, nec attrectandas prophanis manibus, consiliisque esse testatum, sancitumque apud posteros Deus voluit. Magnum hoc, & triste abstinendi se contactu sacrarum rerum, ac vitan-

vitandę cęlestis irę documentum; sed haud minùs severum illud, & propriè ad Reges pertinens. Sublatus ex humili loco ad Regni fastigium à Deo fuerat Saul, ita partitis inter ipsum, & Samuelem muneribus, ut huic religionis, & sacrorum iura, illi Imperium, & belli, & pacis ius essent: imminente cum innumerabilibus copijs Philistæo hoste, indictum populis solenne sacrificium, sacrificijque dies dictus fuerat, quo divino propitiando Numini certę hostię, ut tum mos, immolarentur; neque enim religiosa gens sumptura aliter arma, & pręlium initura erat, nisi antè placato patria ceremonia Deo. Convenerat iuxtà omnium multitudo, quæ cùm diu expectaßet, nec Samuel ad constitutum adesset, dilabi porrò domum, atque omnes abire cœperant. Tum Saul ne tanto instante ab hoste periculo, à suis desereretur, rem divinam ipse peregit, paratasque victimas aris admovit, & sacrificavit. Id ob piaculum, electo paulò antea ad Regnum, clarisque victoriis nobilitato, per eumdem Samuelem denunciari illico iussit Deus, Regnum se illi, liberisque eius ademturum, aliamque in domum translaturum: nec multò post victus prælio, occisusque, excidio domus suæ cælestibus minis fidem affirmavit. Regnum ad David æmulum eius est delatũ, quem ipse pulsum, abiectumque, & fuga se, ac latebris à vi,

atque iniuria ægrè tutantem sæpè interficere conatus erat. Te oro, Cæsar, obtestorque, ut hæc cælestia præscripta, documentaque nobis erudiendis divinis tradita monumentis tecum reputes, & animum ab novis, precipitibusque consiliis ad salubriores cogitationes, ac tuâ maiestate, tuo loco, tuâ familia, teque denique ipso dignas recipias. Hoc genere orationum convincebatur quidem Cæsar, vt quibus seque, remque obtegeret, illi verba non suppeterent: sed contrà nummorum cupidine, & hæreticorum postulationibus recepta flagitantium, & præterea intimo, quanquam occulta, ingentique simulatione involuto in Lutheranos studio vehementer animo distrahebatur. Id haud ignotum Commendono eo impensiùs cùm ipse instare urgereque; tum Legatos Regum, qui aderant, submittere communem causam communibus agendam studiis docens. Et Pius Pontifex, ut erat acer religionis vindex, & ubi ea ageretur, impatiens humanarum artium, litteras ad Commendonum dederat, quibus si cunctaretur Cæsar, neque inceptis desisteret, facta re divina, & eo Evangelii capite recitato: *Quicumque non receperint vos, neque audierint sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris:* & ipse abscedere Vienna,

atque

atque inde Nuncium abducere, & Maximiliano renunciare amicitiam iubebatur. Nondum præcisa omnis Commendono spes erat, nec maturum ad tam abrupta consilia tempus videbatur, ex queis oriturum haud dubiè magnum, & periculosum rerum motum prospiciebat: sed hæc Pii mandata dissimulans ipse, Maximiliano clam enunciari, deferrique per alios curavit, quo & gratiam, opinionemque temperati, & quantùm per mandati muneris fidem liceret, refugientis benevolentiam inter Cæsarem, & Pontificem abrumpere, & Cæsari ipsi curam iniecit nihil temerè agendi, cernendique rem sibi cum Pontifice haud segni, obnoxiove, sed Deo, causæque fidenti, & facilè contemnenti humanas rationes esse. Et labi iam pertinacia cœperat, cùm Commendonum omnia molientem, omnesque undique machinas ad expugnandum admoventem etiam casus iuvit. Adfertur nuncius coniugem Philippi Regis Hispaniarum decessisse, nulla virilis sexus prole relicta. Confestim in Cæsaris Regia ortus differtur in omnes sermo Annam maiorem natu filiarum eius Philippi matrimonio destinantium, avunculo neptem, nam Philippi sorore genita puella erat: unde iungi illi, ni Pontifex Maximus nuptiis annuisset, per leges non po-

terant; & Maximilianus, ac numerosa filiorum soboles Hispanicis rebus incumbebat, latissimo regno cupidine, & spe imminens, si Philippus sine liberis fato concessisset: eò & filios in Hispaniam educandos miserat, & Hispanos omnes officiis, Regem obsequio demereri studebat, & ad novam spem ex non opinato exortam sibi filiam in Philippi matrimonio collocandi animum magnoperè erexerat. Arripuit occasionem Commendonus, atque hinc Hispanos, quibus tum maximè grave bellum in Belgis perfidia, ac defectione hæreticorum, duce Aurangio excitatum erat, docebat quantùm ea Cæsaris in Lutheranos inclinatio, & permissi Augustanæ formulæ ritus additurі ponderis, momentique hæreticorum rebus essent: hinc Cæsarem monebat non alienandum tali tempore à se, domoque sua Philippi animum; quod fieri necesse esset, si, qui minimè deberet, adversarios eius, eosdemque Catholicæ Ecclesiæ hostes fovere, confirmareque indulgendo eorum furori, & pænè causam approbando videretur. Et nactus Viennæ Philippi Legatum, hominem Belgam, privatim Aurangio, & factioni illi inimicum, eamque valescere auctu malarum opinionum intelligentem, perpulit denunciare Regis verbis Maximiliano, ne consilia

admit-

admitteret, quæ vim, atque opes Hispaniarum hostibus adiungerent; ne suum quidem Regem existimaturum fraterno, & mutuo in se Maximilianum esse animo, rebusque suis, quando ab eo proderetur, quem haberet propinquitate, ac sanguine coniunctissimum, aliter consulturum. Adiecit idem Legatus Commendoni instinctu, si Pontificis Maximi auctoritatem ea in re non quanti deberet, fecisset, nunquam ab eo impetraturum, ut filiæ nuptias cum Rege approbaret, & quò fieri ritè possent, eos legibus solveret: quod ipsi haud paulò pluris, quàm populariun suorum pollicitationes, & quantæcumque pecuniæ conditionem esse deberet. Hæc plus ponderis apud Maximilianum, quàm religio, atque ratio habebant. Itaque quem ius, quem fas, quem officium nequierat premovere, ut totum negotium omitteret, cùm maximè & haeretici ut in confecta re exultarent, & boni spem omnem abiecissent, vocato ad se Commendono, in auctoritate Pontificis Maximi esse se pronunciavit. Quod quidem Pio adeò accidit optatum, ut in Commendoni extollenda industria, memorandisque apud Senatum laudibus precatus Deum esse dicatur, ut cùm ipse naturæ concessisset, aut illum, aut illius similem sibi successorem in Pontificatu daret:

ad ipsum litteras suâ manu amantissimè scriptas misit, in quibus sæpè filium appellans, gratias illi egit, virtutemque eius quàm potuit amplis, atque honorificis verbis collaudavit.

De negotio illi dato ordinandi rem Ecclesiasticam.

CAPVT V.

POST hæc Pius, qui tum maximè corruptis hominum moribus emendandis, collapsæque Christianæ disciplinæ non Romæ solùm, sed per omnes Provincias ordinandæ animum, curamque intenderat, conandi in eo aliquid apud Germanos negotium Commendono dedit; apud quos omnia prisci moris instituta, aut intermissa obsolevisse, aut polluta, perturbataque hæresum contagione, ac licentiâ esse didicerat. Sed ea maximè aspera, ac difficilis res fore videbatur, cùm imbecillitate hominum malâ, ac diuturnâ consuetudine depravatorum, arctasque apud veteres vivendi leges laudantium, magis, quàm re imitantium, tum Principum, atque potentium iniquitate, qui maledictis incessere licentiùs viventes, quàm corrigi malle videntur: seu potentiæ, ac dominationis munimenta popularem nequi-

quitiam esse putant: sive humanis ingeniis par libido inest reprehendendi vitia, atque habendi: certè iidem illi turpes, & flagitiosos homines universos assiduè increpant, & singulos sępè pertinaciter tuentur. Horum erat Viennæ magnus numerus, ac multi in ipsius domum Cæsaris irrepserant, fugitivi ex Italia plerique omnes: nam vt quosque in sacerdotum sodalitiis, monasteriisque legum, institutorumque tœderet, aut ob vitæ probra iudicii metus ageret, haud ferme aliò confugiebant, & suæ disciplinæ desertores aliorum quoque inquinabant mores, eo liberiùs in omnem se luxuriam, dedecusque demittentes, quo plus licentiæ, atque impunitatis erant nacti, infamiaque, & sordibus eorum etiam boni, atq; integri aspergebantur; eratque omnis propterea sacerdotum ordo in odio, & contemptu omnium, neque tam tritum, ac populare quidquam, quàm invehi in eorum nomen. Cùm ea aboleri macula, & vsus priscæ innocentiæ revocari, nisi civitate improborum illa, ac perditorum hominum colluvie purgata, non posse videretur: incredibile memoratu est, quot ex omni genere reperti fautores eorum sint. Ipsi ante omnes hæretici tuebantur, qui iidem maximè strepere, obtrectare, insultare turpitudini eorum, & nobis obiectare con-

ſueverant. Horum gratia, atque inſtinctu ipſe quoque Cæſar excuſando alios, aliis teſtimonium impartiendo omnes tegebat. Præterea & Vienna ipſa, & multæ civitates Epiſcopis carebant, aut ſi quā habebat, perinde officium eorum deſiderabat; quòd illi aulam, Maximilianumque affectantes, & ambitioni ſuæ, aut pecuniæ, aut certè longè aliis procurationibus intenti, negligebant ſacrorum curam. Id adeò malum pleriſque in Provinciis graſſatur, in quibus Epiſcoporum nominatio eſt Regibus tributa, conceſſune dicam, an ſocordia Pontificum Maximorum. Nam antè, aut à Pontificibus dabantur, aut à ſacerdotum collegiis, vt quiſque innocentia, ac dignitate inter eos excelleret, iuſtis ſuffragijs legebantur. Ita bonis quiſque artibus nitebatur, adeptique honorem etiam munus implere, ac præſtare ſuum ſtudebant. Nunc longè alio ex genere hominum ſumuntur; ſæpè bello exercitis, veluti militare præmium, Epiſcopatus datur: ſæpè gratioſis, aut potentibus; interdum & fœminis adulantes Epiſcopi fieri merentur, quibus nullum doctrinæ, nullũ pietatis ſtudium, nulla aut ſcientia, aut vſus earum rerum, quarum cauſa is eſt in Chriſtiana Republica Magiſtratus Deo auctore inſtitutus. Atque ex hoc maximè fonte manaſſe illa peſtis ſatis creditur,

ditur, qua multa hodie Regna deformata hæresibus, vastata civilibus bellis, & quędam etiam eversa, ac propè funditus excisa esse cernimus: quippe Episcopis officii sui aut ignaris, aut negligentibus, continuò & populorum mores prolabuntur, & laxatur Ecclesiastica disciplina, & religionis cultus, quo status Rerumpublicarum continetur, omnis exolvitur, convellitur, destruitur. Hinc hæresum, ac prauarum opinionum turba in Ecclesiæ claustra veluti incustodita, & patentia irrumpit, odio, ac discordia, & mox cædibus, seditionibus, armis cuncta permiscet. Commendonus cùm hæc apud Cæsarem sæpè disseruisset, Strigoniensibus Archiepiscopus, & Viennensibus, & aliquot Vngariæ civitatibus Episcopi vt darentur, obtinuit. Fugitivos, & maculosos aula, atque urbe eiicere multò operosius fuit; aliquod tamen confidentiæ, & vitæ eorum frænum est inditum, & audacia nonnihil eo metu repressa. Templa inde, sanctioraque delubra adiit; cultum, ritumque sacrorum, item sacerdotes ipsos, & templorum ministros recognovit; vasa, libros, vestem, omne instrumentum, atque apparatum rei divinæ conficiendæ, rationem denique omnem habendi, administrandique res sacras inspexit; in quibus quàm multa vitiosa fie-

rent reprehendere, quàm emendare facilius fuit. Ipse quidem in singulis fanis convocatos sacerdotes apta oratione appellavit, quæque in rem esse visa sunt, monuit, multaque exemit, quædam etiam sivit, atque ad veteris normæ, ritusque formam ordinavit. Sed omnia, quia exactor inde eorum nemo extitit, neglectui fuere. Nam Maximilianus unicum remedium esse ægræ, ac perturbatæ Reipublicæ emendationem morum, & priscæ disciplinæ restitutionem palàm verbis prędicabat; occultè nec corrigi, quæ pravè, ac perperam fierent, nec omnino mutari quicquam patiebatur: ut labi, & ruere Ecclesiasticam rem velle ab non ignaris ingenii, atque intimi animi eius crederetur. Profectus Vienna Commendonus diœceses Passaviensem, & Salisburgensem, per quas illi iter fuit, cura, ac diligentia eadem, fructu, ac opere pretio maiore lustravit, quòd in utraque Episcopi probi, ac religiosi homines præerant, qui Commendoni studio non solùm adversati non sunt, sed etiam adiumento fuere; & Salisburgensis quidem Archiepiscopus etiam Concilium Provinciæ suę, rem diu antè intermissam, illius instinctu, atque hortatu habuit, in quo multa salubritèr decreta, & sancita sunt. Ad reliquos Germaniæ Episcopos litteras ex

aucto-

auctoritate Pontificis dedit, quibus ad vsum, cultumque antiquæ disciplinæ renovandum multis, atque accuratis verbis eos est adhortatus.

De fœdere per Pontificem adversùs Turcas icto, & opera in id à Commendono impensa.

CAPVT VI.

Reversus inde Vrbem sub finem sequentis anni, qui fuit M. D. LXIX. excepit bellum, quod Selimus Rex Turcarum libidine Cyprum insulam ditioni suæ subijciendi terra, marique Venetis intulit. Cui propulsando bello Pontifex Pius haud secus, quàm si eo ipse petitus esset, animo, conatuque incubuit, non studio erga Venetos, quibus ad id locorum subiratum fuisse constat, sed amore Christianæ rei, quam carpi in dies, atterique impotentibus prævalidæ gentis armis cernens, ingenti dolore, curaque sollicitabatur. Cumque ea tempestate Philippus, debilitatis domestico malo Gallis, unus omnes Christianos Reges longè opibus anteiret: quippe non universæ modò Hispaniæ dominabatur; sed omne Belgarum nomen, quod latè multas, ac bellicosas gentes complectitur, in ditione habebat,

& in Italia cùm Neapolitanum, tum Mediolanense Regnum, firmum utrumque, atque opulentum, obtinebat, & maximè opportunæ parandis, alendisque classibus Sicilia, Sardiniaque, & Baleares insulæ imperio eius parebant, & Corsica etiam, & Ligurici maris ora, civitasque Genuensium auctoritatem eius sequebatur: Africę quoque iniecerat manus, ædificato haud longè à ruinis antiquæ Carthaginis castello, cui ab freti faucibus, quibus impositum erat, Golettæ nomen fuit, magnoque munito opere, & Tunetum frequentem urbem regionis eius in fide habebat, & vicinos populos Siciliam, atque Hispaniam contra sitos à maleficio continebat. Sed præter hæc, quæ commemoravimus Regna ditia, & viris, armisque potentia, multò maximum Imperium vltra Oceanum in Occidente propagatum habebat, quod patrum nostrorum memoria, Christophori Columbi Liguris ingenium, & humano captu maior audacia aperuit. Eius Imperii terræ ignoratæ veteribus in tantam magnitudinem patere dicuntur, ut eis novi orbis nomen scriptores nostri indiderint, ex quibus auri vis ingens ad Philippum per immensa vastissimi maris spatia quotannis navibus advehebatur. Hunc igitur Regem tantis subnixum opibus ut sibi, Venetisque ad Tur-

cicum bellum fœdere, ac societate ante omnes adiungeret, Pius initio statim est aggressus: nec ille magnopere abnuit; nam & Pontificis Maximi auctoritatem, quantùm Christianum, & pium Regem decebat, reverebatur, & amplitudine sua indignum, & sibi invidiosum fore intelligebat, si tanto impendente Christiano nomini de Barbaris periculo, ipse Reipublicæ defuisset; & præterea Pium sperabat facturum sibi potestatem ex ditibus Hispaniæ sacerdotiis pecuniam corrogandi: ita bellum gloriæ sibi magis, quàm impendio ulli, aut sumptui futurum. Quòd si Philippo vafra, & dominandi cupida Hispanorum ingenia respondissent, acri, atque huc maximè intento Pontifice, magna, nec dubia spe victoriæ gesturi cum Turcis id bellum fuisse videbantur: sed illis non tam cordi erant, ut vincerentur, aut procul Venetorum cervicibus submoverentur Turcæ, quàm ut id alerent, ducerentque bellum, cuius mora, onereque pressi, attenuatique Veneti ipsi opportuni sibi Italiæ Regnum affectantibus fierent. Id cùm Venetos Patres non falleret, antea quoque sub Carolo Philippi patre Hispanorum artes, & ambitiosa, atque callida consilia æquè difficili suæ Reipublicæ tempore experti, inviti, ac reluctantes adducebantur, ut se ullo fœdere

cum

cum Philippo alligarent, pacemque quamvis gravibus conditionibus redemptam Hispanorum societati præferebant. Sed hęc seniorum mens erat. Iuventus iniuria, perfidiaque Barbarorum incitata decertare, ac dignitatem suam armis tueri prę͂optabat, fœderique favebat, de quo Romę apud Pium ab utrisque Legatis agebatur; in quo Commendoni singularis industria, prudentiaque enituit, multique difficiles nodi expediti per eum, explicatique sunt. Nam & Veneti Legatis suis imperaverant, ut omnia cum eo communicarent, illiusque consilio maximè uterentur: & Pius neminem magis intimis rebus adhibebat. Consenserant tandem Veneti, Hispanique in certas fœderis leges, & ad eas sanciendas ad Pium utrique convenerant, cùm Regii Legati præsentem excipere annum cœpere, quo non satis sibi superesse temporis ad paranda, præstandaque, quæ ex pactæ societatis conditionibus deberent, aiebant. Id verò adeò stomachum Venetis Patribus movit, ut à belli cogitationibus ad consilia pacis protinus converterentur, ac per speciem commutandi captivos Constantinopolim mitterent, qui cum Turcis de compositione ageret. Pio ea re incredibiliter anxio, perturbatoque Commendonus auctor fuit Marcum Antonium Columnam

Ve-

Venetias mittendi, qui & dux à Pontifice classis delectus fuerat, & vir erat non rei militaris peritior, quàm civilibus artibus, naturalique facundia ad pertractandos animos hominum instructus. Ipsum verò Columnam à Pio statim proficisci iussum monuit omni ope contenderet, ut de suis postulatis ad Senatum referretur, & belli, pacisque deliberatio à decemvirum collegio, paucisque senibus mentionem omnem belli horrentibus abducta ad Senatus cognitionem traduceretur: plus ibi ardoris, animorumque ad rem armis decernendam, ineundumque fœdus futurum. Nomina quoque Senatorum, per quos id conaretur, edidit, & Columna cùm Venetias venisset, Commendoni præceptis ita obtemperavit, ut re in Senatum deductâ tenuerit, ut abruptâ spe pacis, Veneti strenuè bellum capesserent, ac fœdus summa Pontificis, ac totius Italiæ lætitia feriretur. Vnde nobilis illa navalis pugna, victoriaque est parta, quæ si quantùm gloriæ Christiano nomini, tantundem fructus, atque emolumenti attulisset, non adeò nunc immanem Barbarorum potentiam timere cogeremur. Quis huius belli imperator eligeretur multùm, diuque est disceptatum. Veneti Philippi gratiam respicientem, ex eiusque pendentem fide ducem antea adversum rebus suis

exper-

omnes in Barbaros concire, ac sollicitare Reges, & ante alios Maximilianum Cæsarem, & Augustum Regem Poloniæ, qui finitimi Turcarum Imperio, maximè opportuni inferendis à terra armis, atque distinendo hosti habebantur, & Maximilianus à Turcis Vngariæ pulsus Regno imminere vindictæ, si daretur fortuna, videbatur, Legatum ad utrumque Commendonum creavit. Ipse ex superiorum annorum instituto vitandi urbanos calores, initio æstatis discesserat Roma, nec minùs quicquam, quàm nova itinera, novas legationes meditabatur. Et cùm Pius paucis ante diebus sexdecim prętantes viros in Senatum legisset, superiorum Pontificum secutus morem haud aliis, quàm quos ipse amplissimo honore affecisset, mandaturus tam claræ, tam appetitæ legationis munus credebatur. Sed Pio omnibus rebus antiquior Reipublicæ usus, atque utilitas semper fuit, & præterquam quòd Commendonum haud secus, quàm si ab se Cardinalis factus esset, in suis habebat, nec illi fidei, industriæ, prudentiæque laudibus quemquam anteferebat, ipsum notitia illarum gentium, Regumque, ad quos mittebatur, facilè omnes antecellere intelligebat. Accepta itaque Pontificis Maximi voluntate, comitibus, rebusque comparatis, Commendonus Verona,

fona, quò ad æftatem agendam conceffe-rat, tranfiit in Germaniam, ac Viennam ad Cęfarem contendit. Lętatus impenfe moto à Turcis in Venetos bello Maximilianus fuerat, verfam aliò eam tempeftatem cernens, quę ne in fe, fuumque Regnum ingrueret, vehementer timuerat. Et quemadmodum fœdus ut Veneti, & Pontifex cum Philippo iungerent, ftudiosè operam dederat; ita abftinere fe armis, & quietem agere, bellumque non tam ope, quàm fpe fui fovere, atque alere decretum habebat. Nam & ipfe imbelli corpore erat, & animus eius ad magna difcrimina fatifcens calliditate, & confiliis certare, quàm vi, ac ferro contendere promptior habebatur: & neque eæ vires regni fui erant, quibus tam validum hoftem aggrederetur, & Germanorum auxiliis precariis, nec unquam in tempore coeuntibus parum fidebat; quæ gens nec crefcere Cæfarum opes creditur velle, & propulfando, quàm inferendo bello alacrior habetur. Cùm antè de fœdere Veneti eum appellaffent, nunc induciarum, quæ fibi cum Turca effent, ut dies elaberetur, expectandum fibi, nunc ut eos fpe lactaret, cupidum fe belli ferens, petebat, ut quæ auxilia fœderati miffuri ad fe effent, fi bellum fufciperet, promerent. Commendonus cùm ad fic affectum venif-

fet,

set adventusque sui exposita causa hortatus eum esset, ne occasionem, quæ ei divinitus offerretur, tot graves iniurias, tot incommoda, damnaque à Turcarum gente sibi, familiæque suæ illata ulciscendi perderet, aliaque quibus permoveri eum posse arbitratus est, facundè disseruisset, benignè quidem, & cum assensu est auditus. Sed Maximilianus consilio suo insistens, varias proponere difficultates, atque eamdem induciarum causam prætendere, earum fidem iureiurando firmatam violare homini Christiano nefas esse dicere. Postremò expectandum sibi aiebat, quid Poloni, quid reliqui Christiani Principes statuerent. *Id verò ut præposterum arguere Commendonus, ut Cæsarem ducem se, atque auctorem alijs Regibus adversùs Christianæ Reipublicæ hostes prebere, non eorum expectare consilia debere, quippe & eius maximè interesse retundi, ac reprimi Barbaros, & eumdem titulo honores reliquos anteire; ut si cessaret eo tempore Pontifex Maximus, partes ipsius fuissent Christianos populos litteris, legationibusque ad bellum concitare. An Polonos ab se Pij verbis appellatos non illico quæsituros, quid Cæsar animi, quid apparatus habeat? Quibus si secuturum eum aliorum consilia narret, iam nunc existimari posse, quam ab ijs spem esset relaturus. Sed quid, inquit, ina-*

inanes Polonorum, aliarumve gentium spes, si segnis ipse sis, moliamur? Veneti ipsi, ubi verba dari sibi, deserique à te accendente nuper eos ad arma, & non defuturum communi Reipublicæ causæ pollicente senserint, & Turcas terrestri metu liberos, totâ mole virium in classes, ac navale bellum incumbere, magnitudini periculi succumbent, territique suis rebus pro temporis necessitate consulent, & quibus poterunt conditionibus cum hoste paciscentur: nec maiorem quisquam proditæ Reipublicæ, & abrupti novi fœderis culpam, quàm idem tu sustinebis. Nam quod præterea de induciarum fide prætexere libuit, id facillimè refellitur. Ac primùm quidem meminisse debes, sæpè te questum apud me esse, & in omnibus Germanorum concilijs professum, nomen modò tibi induciarum cum Turcis esse, re continens bellum manere, cùm Barbari quotannis non prædatum modò in tuos fines excurrant, sed iustâ peditum, equitumque manu ipsas quoque urbes, ac præsidia invadant; plurimumque negotij te in ijs arcendis habere. Deinde cùm illis nullum fidei ius sanctum, cuncta commodo, ac libidine suâ metiantur, quid attinet mentionem iurisiurandi toties ab hoste violati, neglectique obijcere, nisi quòd bellum pro defendenda religione susceptum sit, ab eo iureiurando religione deterreri te prædicare velis? His orationi-

tionibus cùm se Cæsar vrgeri, ac è simulationum latebris erui in apertum sentiret, & Commendonus insuper denunciaret, se omnia vt responsa sibi essent, Romam, Venetiasque rescripturum, verens id, quod futurum apparebat, ne Venetis ardor ad bellum restingueretur, animique frangerentur, si eorum spem destituisset, spatium novæ deliberationi à Commendono postulavit, atque eò confugit, vt diceret futurum quidem se in Pontificis Maximi auctoritate, fœderique accessurum; sed cùm vnus maximè hostium injuriæ pateret, ne quavis antè in se ingrueret, quàm instructum bellum esset, cupere, vt priusquam consilia emanarent, promerent fœderati, quæ quantaque sibi auxilia missuri essent, vt sciret quarum fiduciâ virium in eam aleam esset descensurus. Atque hæc ita pollicebatur, sperans antequam socii ex tam longinquis locis consulerentur, exituram æstatem, parique arte sequentem quoque annum se elusurum. Comendonus id jam laudare, quòd occasione vti, seque Reipublicæ accommodare statuisset, nec dubitandum, quin æqua omnia à fœderatis esset impetraturus; sed quæ cuperet, edere iam nunc ipsum debere, non vt à sociis definiantur, expectare. Id verò facturum se Maximiliano negante, & in eo vtique perstan:::

vt

Vt priores socii, quâ se ope adiuturi essent, ederent, *At sic quidem, inquit Commendonus, in easdem revolveris suspiciones, quas nuper vitandas esse intellexisti: quis non videat moram te, ac dilationem quærere, ut antè rerum gerendarum tempus elabatur, quàm quæ tibi socij esse tribuenda censuerint, cognosci possit, quæ tu inde dum aut augeri, aut mutari contendes, res novis subinde dilationibus trahatur? Quin tu simpliciter promis, quid tribui tibi equum censes, si veram spem tui facere Venetis, & eorum ad consilia belli firmare animos vis? Etenim quæ cupias, quæque opus habeas, & unus profectò optimè nosti, & ea verius est abs te iudicari, quàm statui ab alijs.* Diu contendit Cæsar, nec omnino facilè ex illa consilii arce se deiici est passus: sed tandem victus Commendoni oratione cessit, ac viginti millia peditum, quatuor equitum, quorum pars dimidia Germanis constaret, à sociis postulavit; hac se copiâ si iuvissent, in partem belli venturum, armaque Turcis ab Vngaria illaturum est pollicitus, alia via, quando hæc non processerat, promissa daturus. Hoc expugnato responso, in quo adeò pugnans Maximilianus fuerat, ut extortum à Commendono magnopere & reliqui omnes, & imprimis Veneti Legati mirarentur, qui sæpè cum eo iisdem de rebus verba
con-

contulerant, cuncta, ut acta erant, ad Pium rescripsit, missis celerrimis tabellariis, qui litteras perferrent. Et paulò pòst læti de Christianorum victoria allati nuncii vim Commendoni conatibus addidere. Nam Christianæ classes cùm è Sicilia soluissent, provectæ in Græciam ad Echinadas insulas ante fretum Corinthi obuiam Turcarum classem habuere, congressæque nobilem de hostibus victoriam retulere, captis ad centum, & triginta longis navibus, ac nonaginta prælio absumptis. His nunciatis postulavit à Cæsare Commendonus, ut supplicationes decernerentur, solennibusque sacris Deo grates redderentur, simul quò alacritas populis adversùs Barbaros adderetur, iuberet ignes, aliaque quibus publicum gaudium significari solet, fieri. Id Cæsar, ne Turcis in suspicionem veniret, si adversis eorum rebus veluti insultasse videretur, negavit; & tantùm rei divinæ, quam in ipsius Regiæ templo eius victoriæ causâ solenni apparatu Commendonus ipse fecit, cum uxore, & liberis interfuit. Pius eodem ferme tempore & victos Turcas ad Echinadas, & ex Commendoni litteris traductum in partes Maximilianum accepit: utroque impensè lætatus, cùm Commendonum laudibus apud Patres extulisset, consultis celeriter sociis,

renunciari Maximiliano iussit, missuros ei auxilia, quæ postulasset. Sed non multò post discessum Commendoni refrixere promissa Cæsaris, & secuta mors Pii cuncta pervertit.

De causa magni Ducis Etruriæ per eum apud Cæsarem acta.

CAPVT VIII.

EA tempestate exortum dissidii aliquid inter Pium, & Maximilianum erat ex appellatione magni Ducis Etruriæ, quam Pius Cosmo Medici Florentinorum Principi tribuerat, viro, in quo efferendo certasse fortuna cum industria videri potest. Is non privato solùm loco Florentię erat natus, sed patrimonium tenue à patre acceperat, atque id ipsum parum constitutum, & propè ambigui iuris, de quo certè lis ei à potente, & gratioso adversario gentili suo intendebatur, cùm ipse adhuc puer amisso patre in tutela matris ageret. Pater fuit Ioannes Medices insignis ætatis eius bellator, & inter claros duces audaciâ, & fortitudine, ac militaribus facinoribus habitus: mater Maria Salviata, Iacobi filia, Ioannis Salviati Cardinalis soror, fœmina lectissima, & in tuendis filii fortunis pari diligentia,

atque fide. Rem Florentinam Alexander Medices habebat Dux civitatis paulò antè armis subactæ à Clemente VII. Pontifice Maximo impositus. Huic iuueni vel moderato, atque intento non facilis dominatio futura fuit in civitate ne libertatem quidem propter acria, atque indomita ingenia modicè ferente; luxuriosus, & incautus fraudi facilè patuit. Insidiator (adeò nihil tutum alienę libertatis oppressoribus est) ex ipsa familia Medicea, atque ex intima familiaritate eius extitit Laurentinus Medices, qui Principi voluptatum diu minister, & ex eo apud improvidum summam fidem nactus, dum domi suæ spe dilectæ matronæ potiundi intempestâ nocte opperientem habet, somno oppressi iugulum gladio prosecuit, uno conscio, atque adiutore servo, cui Scorunconculo fuit nomen, protinusque metu, ac scelere territus, urbe aufugit. Cædes Ducis antè ab amicis Mediceorum est cognita, quàm populus, aut suspecti cives sentirent. Itaque spatium firmandi præsidio, continendique à seditione, ac tumultu civitatem fuit; nec aliud præsentium remedium est visum, cùm nulli Alexandri liberi essent, quàm novum ex eadem familia Principem constituere, itumque ad Cosmum est vixdum octavum ac decimum annum egressum, eum-

que è villa fortè redeuntem, nec minùs quicquam cogitantem in Prætorium abreptum Principem creant. Nec adolescens segniter se occurrenti fortunæ tradidit. Ita accidit, ut quem Laurentinus paulò antè Alexandri gratiâ fretus iudicio, ac lite exagitabat, eum potissimum infandi facinoris ultorem habuerit; neque enim ei non antiquissimum fuit, pœnas à proditore expetere, qui cùm se fugâ Venetias recepisset, ibi submissis à Cosmo percussoribus est interfectus. Par in invadendo, firmandoque inde sibi dominatu Cosmi indoles fuit. Qui rem ad eum detulerant, quò proniores civium animos haberent, maiorque species libertatis, ac Reipublicæ maneret in præsentia, sublato Ducis nomine, cui odium dominationis inerat, eum non alio, quàm Principis vocabulo insignem fecerunt. Atque ille id quoque modestiâ, & humanitate lenire studebat. Et cum nihil nisi de seniorum consilio ageret, cunctaque ad Magistratus curam, auctoritatemque reijceret, mirè spem sui, atque indolem probavit, tantumque gratiæ apud omnes ordines inivit, ut bello mox ab exulibus magna viris potentiæ petitus, egregiâ populi voluntate, ac studio adversùs eos sit usus, quibus pari facilitate victis statum civitatis pacavit. Tum paulatim exurgens,

gens, quotidieque magis convalescens, cuncta ad se trahere, donec Ducis quoque assumpto nomine, omni abolito Reipublicæ iure, & vanis modò sine re Magistratuum relictis nominibus, veram dominationem, imperiumque occupavit. Ac Petro inde Strozio viro forti, & militiæ claro, quo iterum exules Gallorum armis fulti ad repetendam patriam duce utebantur, acie superato, atque Etruriâ pulso, Senam opulentam urbem domitam armis Imperio suo adiecit; atque ita duplicato propè Regno, longè reliquos Italiæ Principes dignitate, atque opibus anteire cœpit. Verùm ut nunquam præsentibus contentum humanum ingenium altiora usque appetit, Cosmum ipsius iam Ducis nominis infra suas opes positi pigere cœperat, animumque elatum secundarum rerum proventu vastâ cupiditate ad Regis appellationem adiecit: sive ut quem honorem potentiâ implesse videri poterat, eius quoque titulo insigniretur; sive ut vi, armisque possessa iure quoque addito in posterum magis firmaret. In hanc cogitationem omnibus studiis ad demerendam Pii gratiam cùm animum intendisset, obsequio, ac religionis cultu, & acribus adversùs hæreticos quæstionibus, quibus maximè rebus Pium sensèrat capi, brevì est assecutus, ut ei esset

charissimus, & mox ut magnus Etruriæ Dux, quod Regiæ dignitati proximum est visum, appellaretur, ab eo obtinuit: ac Romã frequenti, ac pernobili comitatu adveniens, duorũ Card. occursu à Pio honorifico hospitio acceptus, in solennibus inde sacris de Pontificis ipsius manu insignia novi honoris suscepit. Maximilianus Cæsar eâ re minui dignitatis suæ iura, nec Pontifici Maximo licuisse eam appellationem Cosmo tribuere, qui in fide, ac ditione Cæsarum esset, neque omnino tales impartiri honorum titulos ad alium, quàm ad Cæsarem pertinere ferens, honorem ipsum Cosmo abrogaverat, questumque ea de re Legatos Romam ad Pontificem miserat; qui cùm non impetrassent, ut, quod magnopere postulaverant, in Senatu audirentur, privatim ab adsidentibus aliquot Patrum auditi, atque etiam redarguti coram fuerant. Cum igitur & Cosmus liberi iuris suum esse Regnum, nec se ullâ clientelâ Cæsari esse obstrictum affirmans, nequaquam respectu eius eâ appellatione abstineret, & Pius non modò factum suum constanter tueretur, sed Maximilianum id non licuisse sibi ausum dicere ægre ferret, res ad non leve dissidium spectare videbatur, mandatumque propterea Commendono fuerat, ut de hac componenda, sedandaque contro-

versia, quæ agitata magnam flammam datura videbatur, curam susciperet. Cùm igitur ad spem iungendæ contra Turcas societatis Cæsarem, ut suprà ostendimus, adduxisset, & fortè inter se quantæ fœderatorum, quantæ Italiæ Principum vires essent, expenderent, prior Maximilianus mentionem Cosmi intulit, eumque vehementer accusavit, quòd eum honorem ab alio, quàm ab se petiisset, penes quem unum potestas tribuendi esset, neque defutura voluntas fuisset, ni Cosmum præceps ambitio impatientem moræ, & necessitudinis, & officii immemorem fecisset. Se tamen memorem muneris, ac dignitatis suæ fore, neque passurum, ut imperante se, Cæsarum ius, & potestas minueretur: invitum quidem in ullam cum Pontifice Maximo disceptationem descédere; sed ipsum quoque credere probaturum, officii sui partes ab se non deseri. Præter hæc Philippum Regem Hispaniarum, & Principes Germaniæ, quos eadem causa attingeret, obijciebat. Commendonus ubi Cæsarem paulùm oratione demulsisset, & quàm alieno Reipublicæ, quàm ipsi, familiæque ipsius minimè apto tempore ea moveretur quæstio, ostendisset, culpam ab ipso in consultores avertens, totum de legatione Romam missa, querelaque exposita factum reprehendit.

Ac si querelas, inquit, ordiri volumus, uter tandem iustiùs de altero queratur? Pius Cosmo, & viro, & Principi ornatissimo, ac tibi ipsi animo, ac necessitudine coniuncto, qui domi suæ nurum sororem tuam habeat, merenti appellationem magni Ducis tribuit: tu tributam ab illo abrogasti, Legatosque, qui hoc Pontifici Maximo negarent licuisse, Romam misisti. Liberi iuris esse Cosmus, civitasque Florentinorum, ac se Cæsarum potestati pecuniâ exemisse dicitur, & diploma remissi iuris à Rodulpho auctore gentis tuæ, atque huius amplitudinis, quâ inter omnes eminet familia vestra, conditore ostenditur; tui nuper Legati omnem Etruriam ditioni tuæ subijciebant, immemores prorsus magnam partem eius Provinciæ Pontificum Maximorum iure contineri. Quantum hæc habent odiorum, ac dissidij irritamentum, ni Pius Reipublicæ necessitates inanibus contentionibus præverteret, & te patrio animo complectens, patriâ quoque benignitate agendum tecum censeret? At tibi, aut adeò his, quos in consilio habes, qui venit in mentem dicere, hoc Pio non licuisse? An dubia Pontificum Maximorum potestas est, non Regum modò appellationes, sed ipsa quoque Regna, atque Imperia tradendi, adimendique, ut cuiusque meritum in rem Christianam fuerit? Huic ipsi Etruriæ, quam tui vendicant tibi,

nonne

nonne Clemens IV. Carolum Andegavensem, Neapolis Regem, rectorem dedit? Nonne quoties usus fuit, & visum è Republica est, eam Pontifices Maximi ordinarunt? Caroli, atque Etruriæ mentionem feci, quia de illa agitur. Sed ut à longinquis ad propinqua, magisque illustria exempla transeamus: in Vngaria neque obscura, neque vetustissima res est, ortam de Regno contentionem inter Vincislaum Bohemum, & Dirachinos Pontificem Maximum diremisse, qui cùm iudicium ad se totum avocasset, & sententiam tulit, & valuit ius, quod Pontifex dedit. Opponebas nuper & Philippum Regem Hispaniæ, eumque socium tibi causæ adiungebas; at ille Navarræ Regnum in Pyreneis saltibus coniunctum Hispaniæ tenet, non alio scilicet iure, quàm quod Iulius II. Pontifex Maximus Ioanni Alibreto, quia se causæ impugnantium Romanam Ecclesiam iunxit, ademptum dedit. Quòd si Pontifici hoc licuisse neges, alterutrum sequi necesse est, ut aut reddat Philippus Vandomiæ familiæ Alibretorum hæredi nunc maximè reposcenti Regnum, aut iniustitiæ convincatur, qui contra Christiani, & boni viri officium, ac religionem, quod suum non sit, per vim, atque iniuriam occupatum possideat. Dies me deficiat, si memorare velim quoties, quibusve in locis Romani Pontifices supremæ potestatis ius

susceperunt; quoties ortae de Regno contentiones, litesque non auctoritate solùm composuerunt, sed iurisdictione, ac iudicio decreverunt. Verùm ut de his ipsis appellationibus, quarum scilicet tribuendarum facultate tui, si Deo placet, Pontifices Maximos privarunt, cognoscamus: Alphonsus sextus Hispaniae Rex Henricum Lotharingiae Comitem, ob res praeclarè adversùs Mauros in Hispania gestas generum ascitum, & Lusitaniae parte donavit, quae Portugallia dicitur. Hunc haud multò pòst Henricum ob spectatam virtutem, & egregia in rem Christianam merita, Alexander III. Pontifex Maximus Regem appellavit; neque Alphonsus, quamquam aequatum dignitate sibi generum aegrè ferret, adversari est ausus, aut de Pontificis iure disceptari, ambigique est passus. In Polonia verò, gente cùm amplitudine Imperij, tum bellicae laudis gloriâ imprimis nobili, utriusque rei, & adempti, & redditi honoris exemplo Romanorum Pontificum ius nititur. Quo enim tempore maximè Caesarum auctoritatem Poloni agnoscerent, Boleslaum Regem, quia Stanislaum, Episcopum Cracoviensem, virum innocentiae, & sanctitatis famâ clarum impiè occidisset, non solùm ipsum Regno, sed Regnum quoque vetustâ appellatione Regis mulctarunt Romani Pontifices, in perpetuumque eâ abstinere iusserunt; eo-

rum.

rumque imperio ita obtemperatum est, ut per ducentos inde & quadraginta annos, non aliter illi se, quàm Duces appellarint. Neque tum negligens aliquis, aut secors, aut plus æquo Romanæ Ecclesię deditus Germaniæ Imperio præsidebat, sed vir acerrimus, Pontificibusque Romanis longè infensissimus Henricus IV. nec tamen aut ipse, aut qui ipsi successerunt eodem ingenio Cæsares, Pontifici Maximo id licuisse aut negarunt unquam, aut factum infringere conati sunt. Post tot inde annos, cùm prisci honoris desiderium rediisset Polonis, meritique egregiis pro Christiana re facinoribus essent, ut eorum ratio haberetur, missa in Galliam legatione, ubi tum sedem Romani Pontifices habebant, impetrarunt à Ioanne XXII. ut Dux eorum de integro Rex appellaretur. At quis tum quoque Romano Imperio potiebatur? Nempe Ludovicus Bavarus hostis, atque insectator perennis Romanæ Ecclesiæ. Is tamen non invidit Polonis restitutionem Regii nominis; neque id ab se non petitum, aut traditum à Pontifice Maximo est questus. Neque, ut arbitror, aut Pio V. ius faciendi, quod Ioannes, cæterique Romani Pontifices iure fecerunt, est ademptum, adimique ab ullo mortalium potest, aut tibi plus quicquam additum, quam Henrici, quam Bavari habuerunt, aut tua erga Pontifices Maximos fides, &

cultus cum illorum odio, & contumacia conferri potest. At in Germania, at in ipsa Austria tua nonne idem iuris Pontifices Maximi exercuerunt? nec Rodulphus, nec Albertus, nec Fridericus Cæsares maiores tui, qui quererentur, Romam, sed qui gratias agerent, Legatos miserunt. Verùm ut omissis alijs, ipsam aliquando iuris tui radicem attingamus, Cæsaris, at Imperatoris nomen, quo se tantùm Germania supra cæteras Christianas nationes extollit, vnde tandem accepistis? Quis Romanum Imperium, cuius Bizantium translati maiestas, ac vis omnis in Orientem verterat, cum sua iam mole laborans, neglectas Occidentis Provincias vastandas Barbaris reliquisset, divisit primùm, deinde divisi partes ad Germanos detulit? Nemo, ut arbitror, tam impudens veri inficiator, nemo tam aversus à Romanæ Ecclesiæ dignitate fuerit, qui Romanorum Pontificum id beneficium esse neget. An ergo ademptam Græcis dimidiam Romani Imperij partem, vobis cum Cæsaris, atque Imperatoris appellatione tradere Romanis Pontificibus licuit, Reges, ac Duces appellare non licet? An quod tradere vobis potuere, ipsi non habebant? Equidem in eam interdum sententiam venio, ut suspicer, ne qui tibi auctores tam novi, tam intempestivi consilij sunt, aliud quàm quod præferunt, & cupiant, & agitent animo,

teque velint cum Pontifice Maximo alienissimo tibi, & Reipublicæ tempore, committere. Ad hæc Maximiliano haud sanè quidquam, quod magnopere responderet, succurrebat. Id modò afferebat, quas sibi partes Cæsaris nomen iniungeret, ad eas tuendas, religione se, atque officio cogi. *Atqui, inquit Commendonus, qui ius Imperij tui tantopere defendendum esse tibi existimas, idem certè concedere aquo animo Pontifici Maximo debes, ut ipse iuris, ac muneris sui negligens ne sit, quod quale sit, iam profectò intelligis*. Postremò cùm Maximiliani animus eò scilicet spectaret, ut concessi honoris mercedem quamplurimùm à Cosmo pecuniæ exprimeret, eum finem hæc tum disceptatio habuit, ut Cæsar velle se, ac cupere ostenderet, ut Commendonus ipse viam, rationemque exquireret, quâ ea res componi, salvâ Cosmo magni Ducis appellatione, posset. Hoc autem totum ne tum transigeretur negotium, Commendoni discessus à Cæsare fecit, quem novi de Poloniæ Rege nuncij, & jussa Pij abire protinus magnis itineribus in Poloniam coegerunt. Sed non multò pòst & Cosmus vitâ est functus, & Maximilianus idem honoris, quod Pius dederat, auctius etiam, cumulatiusque Francisco filio acceptâ pecuniâ tribuit.

De nova legatione, & profectione eius in Poloniam.

CAPVT IX.

CAVSA properandi in Poloniam Commendono fuit, quòd & rumor in dies percrebrescebat, & multorum afferebantur litteræ, Augustum Regem veteri suâ repudiandæ vxoris cupidine agitatum nova per hæreticos moliri consilia, nobilem puellam insigni formâ è sororis gynæceo abductam seposuisse, & per absentiam vxoris liberiùs jam novo conjugio viam sternere. Nam Regina, vt suprà demonstratum à nobis est, cùm nullis precibus suis, suorumque impetrare à viro potuisset, vt in domum, coniugalemque convictum reciperetur, pertæsa contumeliæ excesserat Regno, seque in Austriam ad Maximilianum, fratresque contulerat, atque Lintzii in fraternæ ditionis oppido, cultu modico, & paulò supra privatę vitę modum agebat, cùm præsenti mœrore, ac sollicitudine afflicta, tum anxia futuri, nec effrænatæ Regis cupiditatis, nec eorum quæ tum maximè moliretur, ignara. Cùm secundo Istro navigans Viennam descēderet Commendonus, Lintziumque visendi causâ Reginam appulisset; (est enim in ripa fluminis

fi-

situm) illa multis cum lacrymis, precibusq; se ei, famam, salutemque suam commēdaverat quæq;de novis Regis adversùm se machinationibus cognoverat, edocuerat. Quidā studio assentandi, seque in Regis gratiam insinuandi, sopitam spem eius exsuscitaverant iterum, & cui rei vehementer Commendonus se semper obiecerat, eo adduxerant, vt & litteras ad Pontificem Maximum tentandi causâ animum eius daret, & litteras secuturi mox Legatī fuerint, qui sterilitatem Reginæ, inopiam liberorum, necessitates Regni, populorum studia, precesque afferentes, dirimi matrimonium postularent. Profectus igitur Commendonus ad v. Kal. Decemb. maximè sævo anni tempore, ægrè superatis nivibus, quæ in frigidissimis regionibus omnia tenebant, in Poloniam pervenit. Et quanquam multi Principum ex veteri amicitia affines illi testandæ benevolētiæ, atq; officiī causâ præsto fuerunt, à quibus pleraq; de præsenti statu rerum accepit; tamen antequam pergeret ad Regem, qui Varsoviæ in Regno erat, substitit apud Petricoviam, simul corporibus suo, suorumq; ex longinqui, maximeq; incommodi itineris labore reficiendis; simul quò certiùs omnia exploraret, omniumque gnarus in Regiam veniret. Interea qui salutem Regi, adventumque suum nunciarent, multaque, quæ
antè

antè statuenda, præparandaque erant, curarem, Varsoviam me antecedere jussit. Omnibus demum satis exploratis, comparatisque, ipse aliquot post dies advenit omnibus honoribus, qui deberi ejus fastigii viro videbantur, acceptus, cultusque cùm à Rege ipso, tum à Principibus gentis. Et Rex quidem quamvis ex recenti morbo infirmus, & podagræ doloribus ægrè pedibus consistens, tamen intranti Regiam scipione nixus per scalarum gradus occurrit, comiterque congressus, ei latere dextero honoris gratiâ cessit, atque inde quoties aut in Regia, aut in templo congressi sunt, semper eum supra se collocavit. Jam antè ad primos adventantis eius nuncios constituerat Rex cœptis de divortio consiliis tantisper, dum adesset Commendonus, absistere, atque omnem rei mentionem opprimere, satius ratus, quia non diu moraturus in Regno credebatur, discessum eius opperiri, expertus antea quàm cum acri matrimonii propugnatore res sibi futura esset. Et tũ implicitus amore vulgaris scorti, faciliùs novarum nuptiarũ dilationẽ erat toleraturus, & affectâ valetudine, in ægro, & vitiato corpore etiam cupiditates animi languidiùs commovebãtur. Sed Cõmẽdonus rem in præcipiti cernens; quippe designatos Legatos, qui Romam mitterentur, Cæsarem ipsum, ne adversaretur, la-

ctatum spe oblatâ vnum è liberis eius adoptandi, præparatos hæreticos, totam denique rem, vt vsus posceret, instructam, compositamque esse, nihil sibi statuit dissimulandum, ac tempore apto ingressus, quæ rumoribus differrentur, quæque ad se multi detulissent, Regi ostendit, eademq; illa, quæ aliquot antè annis apud eum de matrimonii iure, ac sanctitate disseruerat, repetiit, ac frustra adiri Pontificem, frustra vias, rationesque exquiri in re, quæ humanâ ope expediri non posset, monuit; nec mortalium quemquam libentiùs, studiosiusque navaturum ei operam fuisse, nisi res esset huiusmodi, quæ exitum habere nullum posset; & ipsum, licèt multas gentes, populosque imperio suo contineret, meminisse tamen debere, se hominem esse, & Reges humanis fortasse legibus exsolui posse, at divinis iussis perinde ac reliquos mortales teneri. Proinde liberaret animum suum, cogitationemque, cui par non esset, & quâ in nullam spem dies, noctesque nequicquam cruciaretur, aliquando abiiceret. Ac Rex quidem ea negans vera esse, quæ de Legatis, deque adoptione circumferrentur, rumorem omnem ex suorum ait studio ortum, à quibus ipse assiduè sollicitaretur, vt liberorum procreandorum curam susciperet: iis se dare verba, eorumque solari desideria sæpè cogi.

Cæterùm sibi in animo esse infelicitatem suam patientia vincere, quando solus eâ miseriâ premeretur, quæ remedii expers esset. Apparebat neutrum his contentum fore, quæ dicebantur, ni rem haud dubiè in publicum malum erupturam discussisset. tandem Deus, illis ipsis fortè diebus allato nuncio, Reginam mortem obiisse, quam curis, ac dolore fessam, cuius vindex existeret nemo, repentinus morbus oppressit. Tum Rex atrata in veste, maximeque pannosa ingentem luctum præferens prodiit, & apud ipsum Commendonum fœminæ probitatem, innocentiamque testatus, etiam fortunam eius, quam ipse fecisset, profusis lacrymis est miseratus; quas tamen lacrymas nemo erat, qui veras putaret. Cui enim credibile videretur, quam nuper non contentus coniugali toro, domo, Regno exegisse, ipso quoque matrimonio deijcere, vel vitæ suæ, Regnique discrimine moliebatur, eius extinctæ desiderio commoveri? At ipse & nuncium mortis, & funeris diem non mœrore solùm, ac lugubri cultu, sed propè muliebri fletu est prosecutus; & quod haud minus mirere, nulla jam ampliùs cum ab ipso, tum ab suis audita novarum nuptiarum mentio est, nulla procreandorum liberorum, nulla firmandi in familiâ Regnum, quæ antea alternis propè verbis

iactabantur: ſive concubinæ, quam nuper in Regiam tranſtulerat, blanditiis delinitum, eiuſque amori deditum novi coniugij pœnitere cœperat: ſive hoc ineſt humano ingenio vitium, ut ad vetita impotenti impetu feratur, eadem adepta contemnat.

Actio cum Rege, & Polonis de fœdere.

CAPUT X.

De Turcico bello, deque iungendis adversùs eam gentem armis egit vehementer cum Rege Commendonus, multaque quæ apta rei viſa ſunt, accuratè apud eum diſſeruit. Sed res erat multis, ac propè inexplicabilibus involuta difficultatibus. Rex ipſe mulierculæ amori deditus, ſuis addictus voluptatibus, ingenio imbellis, & vacuo curis otio gaudens, animo, & corpore æger, minimè opportunus belli conſiliis erat: ita tamen loquebatur, ut Chriſtianorum conſenſui adversùs Chriſtianæ pietatis hoſtes non defuturus videri vellet, & omnia ad concilium ſuorum, quod tum maximè Varſoviam cogebatur, reijceret; ſiquidem pacis, ac belli iura legibus Polonorum ſunt penes id concilium. Polonis antiquum fœdus, ac pax cum Turcis manebat, ea-

que

que lætabantur, neque ut abrumperent, & cum prævalido hoste in certamen descenderent, adduci se passuri ullâ spe, ullis promissis videbantur. Omnibus in ore erat Varnensis clades, memoriamque ejus & vulgò horrebant, & urgenti Commendono, ac ne uni resides in communi caussa adversùs communem hostem esse vellent, hortanti sæpè opponebant. Vladislaus Iagellonis filius ab Vngaris, Polonisque pariter Rex expetitus utrique genti imperitabat, & florebat eâ tempestate Vngarica res armis, virisque, & Regni fines in Thraciam usque extenderat. Et Turcæ latè parto in Asia Imperio, multis clari victoriis, tum maximè *Bizantio*, Europæque imminebant, ac Amurates eorum Rex, ne pluribus simul bellis distineretur, & ut maiori inde mole in Constantinopolitanum Cæsarem verum hostem suum incumberet, pacem cum Vladislao composuerat. Sed Eugenius IV. Pontifex Maximus, veritus ne si gens bellicosa, & imperii avida, & infensa Christiano nomini Constantinopolim oppressisset, par inde periculum non Græciæ solùm, finitimisque Provinciis, sed Italiæ quoque, & Christianæ Reipublicæ universæ crearetur, Cæsarinum Cardinalem ad Vladislaum misit, quanti Vngariæ, Poloniæque interesset arceri Europa Barbaros,

tos,illamq; pestem finibus Regnorum suorum summoveri monens,& hinc Constantinopolitano Cæsare magnis copiis Thraciæ claustra occupante,hinc Venetis, Genuensibusque mare classe tenentibus, posse nimirum iam in communem perniciem crescens malum, antequam maiora incrementa caperet, opprimi, nisi ipse vano pacis nomine deceptus victoriam moraretur; perpulit juvenem, ut repudiata pace, quam paulò antè cum Amurate pepigerat, eum bello aggrederetur, infelici prorsus exitu. Nam apud Varnam collatis cum eo signis ita conflixit, ut victor quidem ab dextero cornu, in quo ipse constiterat, Turcas in fugam averterit: sed hostes victores alterius Christianorum cornu ab tergo adorti Regem interfecerunt, ac magnam inde cædem nostrorum, amisso Rege,effusè fugientium ediderunt. Huius memoriam cladis Poloni omnibus sermonibus usurpantes à pace, atque amicitia Turcarum ne discederent inter se cohortabantur, & præterea haud ineptè differebant, brevem Venetorum, Hispanorumque societatem fore, quâ solutî Polonis solis, & violatæ semel fidei reis, cum valentissimo Rege Asiæ, & Europæ opibus subnixo dimicationem haud quaquam suarum virium subeundam. Commendonus quam in consensu gentis nul-

lam

iam habebat, aliquam tamen arte, atque industria spem ipse effecerat: nam è Principibus, qui multi domum eius (fuit enim semper ab illa gente mirè cultus) frequentabant, acerrimum quemque traxerat in sententiam, alios spe adipiscendi militares præfecturas, alios famæ, & propagandi nominis, alios prædarum cupidine illiciens, ut si res ad disceptationem Senatus deducta foret, haud negligenda factio belli auctorum futura fuerit. Quod erat consilio comparatum, etiam casus adiuvit. Valachiam finitimam Polonis gentem, & Turcarum vectigalem Bochdanus Alexandri filius traditam à patre habebat. Huic adolescenti Polona virgo insigni formâ è Tarlorum familia nobili, atque opulenta apud Russos nupserat, ad quam deducendam, relicto Regno, Bochdanus in Russiam transierat. Iratus Regulo, infensusque magnopere erat Christophorus Sborovius Polonus, ferox iuvenis, & genere, & opibus suis, suorumque elatus; iræ causa erat, quòd in Valachiam ad spem sororis nuptiarum à Bochdano accitus, inde ex juvenilibus causis orto inter eos dissidio spretus, ac ludibrio habitus domum redierat. Is cognito Bochdani in Russiam adventu, occultus in proxima loca cum delectis juvenibus concesserat, intentusque inimicum observabat. Et

Bochda-

Bochdanus traiecto Tyra flumine, quo Valachia à Russia dividitur, nihil suspicatus hostile, juvenili impetu, quò se inopinatum coniugi offerret, cum paucis celeri rheda prævectus antecesserat suorum agmen; qua recognita Sborovius incautum juvenem insidiis excepit, ac duobus vulneribus saucium in oppidum suæ ditionis abduxit. Id verò ubi in Valachiam est perlatum, gens ingenio ad omnē novæ spei auram mobili, nec unquam fida Regibus suis, & Bochdanum paternæ sævitiæ memoria perosa, alium sibi Principem legit, qui missis celeriter Bizantium Legatis, hinc criminando Bochdanum, quòd res novas cum Polonis, Christianisque moliretur, hinc pecuniâ, ac largitione, quæ omni jure potentior est, apud venales Barbarorum animos tenuit, ut rata esset voluntas Valachorum, atque ipse in Regis fidem acciperetur, ad præsidiumque Regni aliquot ei equitum turmæ mitterentur: perlataque in Poloniam erat fama, acceptaque, ut cuncta in majus differt rumor, illum quò plus gratiæ apud Turcas iniret, animum ad eorum quoque superstitionem, sacraque traduxisse, eorumque ritu, ac ceremonia circumcidi se passum. Bochdanus, cùm Sborovii facinus, à quo se pecunia redimere coactus fuerat, in summa invidia esset,

par-

partim miseratione tam indigni casus, partim Tarlorum gratia, studiisque adiutus, Polonos ad consilium reducendi se in Regnum concivit. Neque enim non suarum rerum interesse illi rebantur, Provincia finitima Russiæ hominem suum potiùs, quàm Turcarum beneficium agnoscentem potiri. Coacta igitur manu, ac traiecto Tyra impetum in Valachiam fecerunt, & haud magno negotio novum expulsuri Principem erant, ni Rex Poloniæ, Senatusque cùm Turcarum militum præsidium esse cum Valacho accepissent, in magnum coniecti metum, ne Turcicum inde bellum conflaretur, properè suos ab incepto revocarunt, eosque vi, atque armis abstinere, ac tantùm dare operam, ut reconciliarentur Bochdano popularium animi, illorumque voluntate in Regnum rediret, iusserunt. Sed ipsis quoque Turcis ea res suspicionem incusserat Polonici belli, cujus concitatorem esse apud Regem Pontificis Maximi Legatum non ignorabant, & magnopere querebantur initium violandæ pacis à Polonis fieri. Convenerant interea frequentes Varsoviam ad concilium Poloni, nec aliud quominus Commendono Senatus daretur, quàm Regis morbus distinebat; nam Senatum adire, absente Rege, dignitatis suæ Legato non videbatur. Cùm

ingra-

ingravesceret in dies morbus, nec res diutiùs differenda videretur, decursum eò est, vt delecta Senatus pars ad audienda Legati verba domum eius veniret. Venere Archiepiscopus Gnesnensis, Ordinis eius Princeps, & Episcopi tres Cracoviensis, Plocensis, & Presmiliensis, cum Palatinis sex, & Castellanis octo, & Cancellario Regni, & Maresciallo, (nomina hæc Magistratus sunt, quibus Polonorum Senatus constat) qui quàm potuit, honorificè, & comiter à Legato accepti cùm consedissent, pro omnibus Cancellarius est locutus: *Regem, quia venire ipse in Senatum, ad quem de Pontificis Maximi postulatis esset referendum, valetudine impeditus non posset, legisse viros gentis suæ Principes, qui ad eum suo, Senatusque nomine adirent, dictaque exciperent; petere, vt cum iis, in quibus Senatus instar esset, tanquam cum præsente se de omnibus rebus loqui ne gravaretur. Commendonus præfatus graviter se ægrè ferre Regi minùs bene esse, eique celerem morbi depulsionem, salutemque ominatus, se quidem libentissimè fuisse facturum dixit, vt Senatum persalutaret, atque alloqueretur vniversum; sed quando id minùs commodum fuerit, in eorum virorum dignitate, atque amplitudine, qui ad se convenissent, Senatus se, gentisque totius maiestatem sibi constituturum.*

Deum

Deum deinde testatus est, se quicquid consilij, aut deliberationis iis afferret, eâ mente, animoque esse facturum, vt si de ipsius patriæ suæ salute consuleretur, fide, ac religione maiori sententiam non esset dicturus; ita enim & meritos de se Polonos esse, & suum perpetuum, ac singulare in eam gentem studium postulare. Hæc cùm dixisset, silentio facto, oculi, auresque in eum omnium defixi, intentique sunt, & ille ita est orsus: *Exarsit, viri Poloni, ingens nobiscum & Turcarum gente bellum, & nisi Barbarorum artes, quibus singuli, disiunctique appetimur, maturè intelligantur, periculosum Christianæ Reipublicæ; neque enim illata Venetis arma, non æquè alijs indicta Christianis populis esse existimari debet, cùm illi haud Imperio, quàm sacris, ac religionibus nostris infestiores hostes sint. Quod sentiens Pius quintus Pontifex Maximus, cuius hæc est propria cura, publicæ incolumitati, salutique prospicere, non solùm ipse cum Philippo Rege Hispaniæ, & cum Venetis fœdus percussit, sed reliquos quoque Reges, populosque invitatum, sollicitatumque in huius societatem fœderis misit. Et vos imprimis, Poloni, gloriosi, ac pij belli socios expetit, cùm propterea quòd virtuti vestræ plurimum fidit, tum quia vos quantò propiorem, magisque expositam hosti terram incolitis, maiusque inde*

salu-

ſaluti, ac libertati veſtræ periculum immi-nere intelligitis, tantò promptiùs cum cæ-teris iuncturos arma ſperat, quæ ſponte veſtrâ obiecta ſemper, atque infeſta Barba-ris, ac ſævis nationibus pro Chriſtiano no-mine habuiſtis. Non enim animum vobis, Poloni, profligandi bello Turcas, atque hanc peſtem lateri veſtro adhærentem extin-guendi, non ſtudium propagandi fidem Chri-ſtianæ pietatis defuiſſe unquam ſcimus; ſed tempus, ac fortunam expectatam, cùm Chriſtiani nominis Reges, populique viri-bus, animiſque coniunctis ad opprimendum tandem communem hoſtem conſurrexiſſent. Hæc nunc vobis optata occaſio offertur. Se-limus ingenita ſtirpi, ac ſanguini eius in Chriſtianos rabie, perfidiaque abrupta pa-ce, quam paulò antè ſanctiſſimo iureiuran-do (ſi quid modò ſanctum Barbaris eſt) cum Venetis renovarat, Cyprum inſulam bello eſt aggreſſus; ſperans ſcilicet Chriſtianos proprijs ut antea diſtinctos odijs nihil ſe commoturos, ita ſibi facultatem Venetos alio-rum auxilijs deſtitutos opprimendi futuram. Verùm adnitente Pontifice Maximo, Phi-lippus cuius opes per ſe ſuſtinendo bello ſunt pares, arma ſecum, & cum Venetis conſo-ciavit, Cæſar, Germanique idem parant, Sebaſtianus Rex Luſitaniæ ultro ſe ſocium piæ militiæ offert, neque Galli, quamvis longè diſtent à Turcis, eorumque fœdere at-

tineantur, non magnam spem sui faciunt. Ad hęc navali prælio attritæ hostium vires sunt, & multi Græciæ, ac Macedoniæ populi post victoriam Christianæ classis sustulere animos, & nisi nos ardori eorum defuerimus, rebellionem pollicentur; ut si hanc elabi è manibus occasionem Christiani patiamur, tum existimare sit iratum nobis Deum mentem eripuisse. At pax Polonis, atque amicitia cum Turcis manet mutuo iureiurando firmata, à qua neutris salva religione discedere fas est. Qua fide Turcæ amicitias colant, semperque coluerint, docent domitarum ab ea gente Provinciarum annales, quas dolo, ac perfidia plures, quàm armis subegisse satis constat: & ne vetera scrutemur, dicerem Venetos, quantùm Barbarorum fidei credendum sit, documento nobis esse posse, nisi vos ipsi aliis esse possetis. Nec recensebo nunc Bialugrodum, frequens ad ostium Tyræ oppidum, vobis iniuria, ac fraude Turcarum ademptum, & duo item oppida in ipsa Podolia contra fœdus capta, ac permunita. Antiqua hæc sunt; præsentia, ac nota pendamus. Superiori anno ante navalem pugnam, causati nescio quam tributi (sic enim ipsi in nominis vestri contumeliam appellant) pensionem non solutam à vobis Scytharum Regi esse, Scythas ipsos in Poloniam immiserunt. Ipsi scitis, quam vastitatem fertilissimis

Ruf-

Russiæ, *ac Poloniæ agris rapacissimæ feræ intulerint, quot captivorum millia in fœdam servitutem abduxerint. Idem facturi hoc quoque erant anno, nisi navalis victoria intercessisset; nam quadraginta millia eorum in ulteriori ripa Borysthenis consedisse, omnes nuper nuncij attulere, quos transitu fluminis, non hyemis expectatio, sed novum Selimi imperium nihil post amissam classem in Polonia irritandum ducentis prohibuit. Scythico bello dilato, quo turbari apertè fœdus videri poterat, Valachiam occupare aggressi sunt, vnde legitimo Principe expulso, nullius criminis, pręterquam nimij in Polonos studij, ac fidei reo, nequissimum servorum Tyranni, desertorem Christianę pietatis, infelici Provincię dominum imposuere, Turcarum non profanos modò colentem religionis ritus, sed crudelitatem, avaritiam, libidinem exercentem, &, quod vestra quanti intersit profectò vos intelligitis, illorum iussis, nutibusque servientem. Sigismundus pater,* Rex *omnibus sapientię laudibus clarissimus, magnam semper curam habuit, ut is Valachię imperaret, qui non modò Christianarum partium, si quando hęc fortuna incidisset, futurus esset, sed qui sibi, atque huic* Regno *certis fœderis legibus obstringeretur; & sui fines à Turcarum finibus illa interiecta Provincia disterminarentur. Hanc Valachiam qui*

 obti-

obtinet, non addictus modò Turcis est, sed prorsus inimicus, infensusque Polonico nomini; quippe quem non fugiat, Bochdanum æmulum suum præsidio vestro fultum ad se oppugnandum nuper Tyram traiecisse, ac vestris Nuncijs, litterisque nunc maximè Valachos in se sollicitari. Hoc loco utrumque vobis pendendum est, violaverintne Turcæ pacem, qui contra fœderum pacta hominem circumcisum Valachiæ dominum fecerint, eique militare præsidium, quo se, Regnumque adversùs vos tutaretur, miserint: an violatæ culpam in vos reiecturi sint, qui Bochdanum vi, atque armis reducere in Regnum conati estis. Labare certè iam pacem constat, cùm illi post reductas è Valachia vestras copias, ultro in Russiæ fines incurrerint, captivos, prædas, incendia, aliaque hostilia fecerint. Iam vobis edendum erit, publicone consilio, an privata necessitudine Bochdano exercitum ad recipiendam Valachiam tradideritis: si publico decreto factum fateamini, turbata pax, eversumque haud dubiè fœdus est; sin à publica fraude omnem in privatas necessitudines culpam contuleritis, ne ipsi quidem Turcæ, cùm commodum fuerit, sancitum id fœdus habituri sunt, quod privatis turbasse noxæ non fuerit. At Nuncij post id factum à Selimo ad vos missi, litteræ solito etiam clementiùs scriptæ, atque omnia pro pristi-

na

na amicitia facta sunt. Id verò quam in partem interpretemini etiam atque etiam, Poloni, considerate. Vnde enim hæc repentè Barbaris comitas? Quò tumidis, & suprà mortalitatis modum efferre se superbiâ, ac vaniloquentiâ solitis blanditiæ? Scilicet vestrum hoc, non suum esse tempus norunt, verentur, ne eo utamini, avertere à vestra occasione, & ficto amicitiæ nomine sopire vos volunt, & quos bello non audent, pace oppugnare student. Quò blandiùs agunt, quò magis sui dissimiles sunt, eò maiorem irarum molem pectoribus claudunt, suumque tempus cauti opperiuntur, vestrum vobis eripere student. Interea Regni vestri claustra occupant; neque enim Valachiam per se peti ab illis existimare debetis, cuius Regulos multò antè stipendiarios habuerunt. Hunc in Poloniam gradum sibi faciunt, & ne quid auctoritatis in ea Provincia vos habeatis, præcavent. Hinc illa expulsio innoxij adolescentis, cui quid præter vestram amicitiam obiectum est? Nolite, Poloni, expectare, dum Cothino occupato, munitoque, vos non solùm Valachiæ spe excludant, sed Camenitio timere assiduè cogant; si enim, quod vos non fugit, proximis annis Alexandrum huius Bochdani patrem ad recuperandam Povetiam sollicitarunt, quid facturos putetis, cùm Valachiam ipsi in potestate habebunt? Et quis

probibet, si vos desides, & nihil commoventes viderint, quin Transsylvaniam quoque in eamdem servitutem trahant, ac Regnum inde vestrum ita cingant, ut sævissimos, & cupidissimos hostes assiduè in cervicibus habere cogamini? Hæc cùm ita sint, etsi bellum expetendum non est, sapientiùs tamen facere videntur, qui eius impendentem necessitatem antè capiunt, suoque tempore utuntur, quàm qui cunctando, ac prolatando suam occasionem hostibus tradunt; prudentium enim est imminentia prospicere, ut occurrant, impendensque malum remedijs antevertant. Data vobis occasio est, qualem maiores vestri sæpè expetiverunt, eam si abire patiamini; (falsus utinam vates sim) valdè vereor, ne serò vos nimij quietis, atque otij studij pœniteat, serò me vera monuisse prædicetis. Sigismundum quidem patrem ultimâ senectâ dicere solitum accepi, nihil se in vita magis optasse, quàm ut hunc diem videret, cùm consentientes Christiani Principes Turcas bello aggrederentur; tum profectò se omnibus hominibus testatum fuisse facturum, voluntatene, an necessitate Turcarum amicitiam coluisset: huic voto illam ab amantissimo suorum Rege subiectam fuisse vocem, florentissimum quidem se, atque multis auctum rebus, sed immanibus Turcarum opibus obnoxium, expositumque Regnum filio traditurum. Nimirum

mirum inveteratæ prudentiæ senex intellexit, nunquam Polonos in stabili, ac tuta libertate futuros, dum gentem naturâ hostem, tempore modò non inimicam, tam infidam, tam validam, tam propinquam haberent, & versutam aliquando in hoc Regnum Barbarorum tempestatem, quam hactenus varij temporum, & cupiditatum impetus alij averterunt. Hoc peracuti senis vaticinium vel charitate optimi Regis, vel auctoritate sapientissimi viri plurimùm apud vos ponderis habere debet, ad oblatam divinitus facultatem frangendi nimias importuni Tyranni opes non omittendam. Nec duci vos, fallique specie falsa societatis patiendum, qua tantisper, dum alijs bellis distinentur, illigatos habere vos illi volunt. Sed vt idem sæpiùs repetam, secum quisque geri existimare debet, quodcumque cum Christianis à Turcis geritur bellũ: & omnibus quidem, & vobis imprimis ipsum communis exitij periculum satis causæ esse videtur, cur arma in communem hostem sumantur. At quid vos moretur, post partam eam victoriam, qua pulsus possessione maris hostis, terrestrium copiarum robur maritimis oris, quantùm Græciæ, quantùm Asiæ, atque Syriæ littora ambiunt, custodiendis, præsidijsque firmandis dissipaturus sit? ut si quà classibus, quà terrestribus exercitibus ab Vngaria, Polonia, Dalmatia, Christia-

ni aggrediantur, dubitare nemo posſit, quin brevi exacturi Europa Barbaros ſimus. Sed proponite tum vobis nullum eſſe inter Chriſtianos fœdus, nullam aduerſus Turcas ſocietatem, neminem vos ad eam inuitare, & Regnum hoc à Turcis bello peti, quod aliquando facturos apparet; utrum tantas eſſe Poloniæ vires putatis, quibus per ſe ſine aliorum ope ſuſtinere vim hoſtium posſit? an ſi ſoli relinqueremini, pares fore vos Turcis non ſperatis? Si eæ vires veſtræ ſunt, ut veſtris copijs ſubire vos Turcicum bellum poſſe confidatis; quem campum pandandæ gloriæ maiorem expectetis, quàm cum à Chriſtiana Republica periculoſisſimum bellum vi, ac virtute veſtra propulſare posſitis, & cum ſingulari fama Polonici nominis Imperii veſtri terminos longisſimè proferre? Sin reſiſtere ipſi invadentibus toto conatu belli vos Turcis non poſſe ſolos ſentitis; profectò ni tam vilis vobis veſtra libertas eſſet, ut in voluntariam concedere ſeruitutem nihil penſi habituri eſſetis, aliorum imploranda auxilia, & ſinguli adeundi, ac rogandi Reges, & ad ſocietatem belli ciendi, inflammandique forent, quos ſi vobis Deus iunctos inter ſe fœdere offerret, certè pro ſumma id felicitate duceretis. At non ſolùm iuncti fœdere Principes, ſed clariſſimæ victoriæ fructus ultro vobis offeruntur. (nam niſi veſtro tempore ſuſcipiatis, alie-

alieno habituros aliquando vos cum Turcis bellum dubium non est) At cuius victoriæ? Quâ hostes Imperio maris, quo Europæ Imperium contineri omnium sæculorum iudicio constat, depulsi sunt. Cuius si nos victoriæ segni cunctatione fructum corrumpimus, & hostem reficere maritimas vires, & amissam maris possessionem repetere sinimus, haud profectò scio, an non vicisse satius fuerit. Nam cessando breui, & æquè validum, & multò quàm antea infestiorem habituri hostem sumus; nec periculo propior quispiam est futurus, quàm qui maximè opportunus terrestri bello fuerit. Et vos salutem vestram præsenti paci ab infidelium hostium fide pendenti creditis? Equidem Deum precor, ut vestra vos credulitas non fallat, sed ex his, quæ gesta nunc in Valachia sunt, magnoperè vereor, ne aut opinione vestrâ maturiùs transisse Tyram Turcas accipiatis, aut motum in eorum iam animis bellum tandiu non sentiatis, donec tanquam ignis cuniculo admotus, paulatim serpens in magnum mox incendium, ruinamque erumpat. At multa vos à suscipiendo tanti discriminis bello deterrent. At primùm nulli magno negotio aggrediendo non multæ oboriuntur difficultates, quæ ipsum postea agendæ rei studium tollit. deinde cùm incensa ardet domus, & urgens constrepit flamma, nemo se ut ornet, ut comparet, moratur; sed

quisque vel nudus, vel æger quantùm potest, se periculo proripit. Hostis in finibus est, intrat etiam, & populatur vestros agros: siue progrediatur longiùs, & facere vim pergat, prohibendus; siue inhibeat, & se Valachiâ contineat, timendus eò magis, quòd tanquam aries, maior ex ipso receptu impetus inferetur: ut vestra nunc deliberatio esse videatur, non an verum bellum cum Turcis habeatis, sed utrum vestro, an illorum tempore geratis; utrum impendenti de libertate, ac salute vestra certamini obuiàm eatis, dum distractæ, comminutæque hostium uires haud dubiam uictoriam pollicentur; an dulcedine præsentis otij capti, euentum alieni periculi spectantes, sine ullius gratia uictoris præmium sitis. Habendum aliquando est uobis, Poloni, bellum, neque differendo auertitis, sed ut cum paratiore, ac ualidiore hoste geratis, facitis. Quò magis miror esse, qui præsentem, etsi dubiam, nec diu duraturam pacem ita anteferant belli consilijs, ut pro hac ipsa breuis, ac sollicitì temporis usura nihil cogitent, in quantam se curarum, ac discriminum molem conijciant. An ergo bellum, bellique curas ita, Poloni, horrebitis, ut salutem uos alienæ libidini obnoxiam ducere non sentiatis, & si sentitis, non seruitute grauiùs feratis? An uerò libertatem uestram uel morte uindicandam non putatis?

An

An id agitis, ut dum ipsi præsenti pace fruamini, nihil pensi habere credamini, si omnem belli tempestatem in liberos uestros reijciatis, quod ipsum tamen consecuturi non uidemini? An in priuato pater quisque familias, ut patrimonium filijs explicatum, constitutumque relinquat, & ne qualis, ne qua controuersia eos turbet, tanto studio, opereque sollicitus laboret? Senatus, qui patriam curam omnium gerat, ut communium liberorum, ac posterorum incolumitati, salutique prospiciatur, ac tuta ijs, atque integra libertas relinquatur, non æquè anxius curet? Sed esto, nullum sit à Turcis præsens periculum, quod est tamen maximum, certam, exploratamque Poloni habeant, habiturique sint pacem. Ipsa est Respublica uestra ita ad belli artes, ad militiæ studia omnis instituta, ut isto amore nimio pacis jam deprauari incipiens, uerendum magnoperè sit, ne diutino otio penitus corrumpatur; ut enim ualidum, ac robustum corpus si in ignaua, ac inerti quiete habeas, contabescit, grauesque contrahit morbos: ita Respublicæ nisi in eadem disciplina, ijsdemque artibus retineantur, ad quarum usum institutæ sunt, tanquam humana corpora ægrotant, & luxu, & licentia corruptæ graues seditionum, ac discordiarum morbos contrahunt; cujus mali magna Poloniam concepisse semina, uos ipsi sine mea

commemoratione intelligitis. Horum omniũ medicinam belli, atque armorum studium diuturna uobis disciplina, ac propè natura insitum præbebit. Hoc enim Poloni uestrum est curriculum, hæc gloriæ materia, hæc exercitatio, his studiis conualuistis, his robur, hoc tot Prouinciarum in unum Regnum, corpusque subactarum assumpsistis. Scilicet maiores uestri à quibus parta hæc sunt, non in compotatione, & conuiuiis, sed in equis, in laboribus iuuentutem habuere. Non uter plus uini simul ebiberet, maioraque exhauriret pocula, sed uter cursu alios anteiret, uter arcu certius figeret, uter equis, armisque præstaret, certamen erat. Non denique domi per uoluptates, sed in castris per uirtutes opes, honoresque parabantur, nec aliam laudem, laudisue præmium ullum norant, quàm militiæ munera impigrè, fortiterque obire. His artibus ad dignitatem, ad hanc bellicæ virtutis famam maiores vestri peruenere, quâ Polonicum nomen & finitimis nationibus terribile, & longinquis clarum, illustreque fecerunt. Verùm si ne hac quidem reuocandi priscam disciplinam, & Rempublicam in quibus creuit, artibus retinendi satis iusta causa videtur, cur in publicam Christianæ fidei causam prò communi salute non descendatis? Tum illud cum animis vestris reputate, vestrane intersit vincere, aut vinci Christia-

ſtianos. Nam ſi ijs victis, ſubactiſque, ne vos quidem ſaluos fore intelligitis, bellantes certè non ipſorum ſolùm, ſed veſtra etiam cauſa iuuare ope, auxilioque debetis, ne cadentibus illis, unà veſtrum Regnum eodem caſu impulſum ruat. Si autem victores nos huius belli futuros creditis, cur non multò libentiùs, promptiuſque eadem arma, eumdemque conatum ad victoriæ ſocietatem conferatis, quem fulciendæ ruinæ adhibituri fuiſſetis? Proinde memores rerum à maioribus veſtris geſtarum, memores beneficiorum, quæ à Deo accepiſtis, memores ſalutis, dignitatiſque veſtræ, hæc corporum, hæc animorum robora, tantam virorum, equorum, commeatuum copiam grati Deo ipſi reddite, Deum iubentem capeſſere pium bellum aduersùs Chriſtianæ pietatis hoſtes; vobiſque præclaram teſtandæ virtutis, propugnandique Imperij occaſionem aperientem audite. At ſi deſerere patriam, deſerere parentes nefas ducimus, reputemus animo, quo nos ſcelere obligaturi ſimus, ſi IESV CHRISTI *cauſam neglexerimus, ſi eius ſacra, cultum, numen oppugnantibus, feris, atque internecinis hoſtibus non obſtiterimus. Ego quidem ipſum oro, atque obſecro* IESVM CHRISTVM *Deum, ut veſtras, Regiſque mentes in tantæ rei deliberatione ita regat, ut nihil, niſi quod cum ipſius Dei maieſtate, cum veſtra, veſtrique*

Regni

Regni amplificatione, ac denique cum Christianæ Reipublicæ utilitate coniunctum sit, statuatis, ut aliquando non infidam, & alieno arbitrio obnoxiam pacem habeatis, sed libertate stabili, suisque nixâ viribus & ipsi fruamini, & posteris uestris tradatis. Oratio Legati ipsis quoque qui Turcica arma, bellumque horrebent, pudorem, dubitationmeque iniecerat, & si res relata ad Senatum fuisset, reiici bellum sine magnis contentionibus non poterat; adeò multi quotidianis Commendoni sermonibus imbuti Christianorum fœderi, ac societati studebant. Sed Regis morbus in dies ad tabem, periculumque vergens omnium animos, ac ipsius quoque Commendoni curam ab aliis rebus in se avertit, quòd neque liberi Regi, neque ex Regia stirpe certus successor, si fato Rex concessisset, vllus erat. Et eodem tempore Pii V. Pontificis Maximi mors sanè importuna Reipublicæ intercesserat. Et quanquam Romani Patres salubri festinatione Gregorium X I I. postridie quàm se conclavibus incluserant, Pontificem Maximum renunciarunt; tamen contraxerat ea res, suspenderatque novi Principis expectatione omnium animos, atque ipsorum quoque Venetorum spes, ardorque ad bellum morte Pii magnoperè resederat. Sed Gregorius statim certis ta-

bel-

bellariis per dispositos equos in Poloniam missis, Commendono scripserat, vt & causam fœderis ne desereret, & nunciato per eos dies Romam Augusti morbo, si mori eum contingeret, vt ipse novi Regis comitiis interesset, ac si Poloniâ iam decessisset, eius rei causâ regrederetur, praeceperat.

Finis Libri Tertij.

AN.



ANTONII MARIÆ GRATIANI

DE VITA

IOANNIS FRANCISCI COMMENDONI CARDINALIS

LIBER IV.

De Sigismundi Augusti Regis ultimi Iagelloniæ familiæ morte.

CAPUT PRIMUM.

AUGUSTUS captus formâ, (erat enim insignis) illecebrisque ascitæ nuper in Regiam pellicis, adeò se abutendum-ipsi,

ipsi, matrique prmiserat, vt commoda, honores, publica, privataque munera, nisi qui fidem mulieribus obligassent, non acciperent, quorum assentatione ad spem vsque coniugii, Regiique nominis animos extulerant. Et Rex adeò perditus amore, ac libidine erat, vt affectum, atque ægrum corpus vix trahens, nihil tamen quotidianis amplexibus temperaret, spretis domesticorum, medicorumque precibus, monitisque vitæ suæ periculum instare ex tam assiduo veneris vsu denunciantium. Cùm ingravescente morbo ne tollere quidem lecto defessa membra jam posset, tamen raro, atque ægrè admissâ sorore, cæteris omnibus exclusis, curam valetudinis, suique iisdem mulieribus commiserat, quæ rejectis aliis consiliis, sagam anum veneficiis, cantionibusque salutem promittentem curationi ejus adhibuerunt. Igitur destitutus medicorum ope, corpore luxuriâ exhausto, confectoque, ac nugatoriis mulierum artibus nihil levatus Nonis Iulii animam egit, nullis relictis, nec vnquam susceptis liberis; ita cum eo Iagellonis virilis stirps omnis interiit, quæ ducentos propè annos Regnum in Polonia tenuerat. Iagello auctor generis Lithuanos imperio rexerat, quo tẽpore ipsi, quibus sylvestria animantia, serpentesque, quos domi innoxios alebant, præ numinibus erant, Chri-

stia-

stianorum instituta, sacraque famâ magis, quàm opinione aut cultu acceperunt. Tantæ tum simplicitatis fuisse dicuntur, vt virgines suas simul ac pati virum posse viderentur, cupientibus inire exponerent, nec illibata vlla nupsisset, neque ipsum inde matrimonium sanctius haberent, cùm matronis honori amatorum multitudo esset. Poloni mortuo Ludovico eorum Rege, ad vnicam filiam ejus, nomine Heduvigim paternum Regnum detularant cum eo, vt virum quoque cui nuberet, dotalque Regnum ferret, ipsi eligerent. Regnum, nuptiasque Heduvigis Gulielmus Archidux Austriæ magnoperè appetivit, atque in hunc puellæ ipsius voluntas inclinavit specie juvenem, & ætate florentem, cuius etiam accitu Cracoviam venit, nec abfuit suspicio clam eos concubuisse. Sed Poloni, coacto redire domum Gulielmo, Heduvigis conjugio Iagellonem destinarunt, pacti vt Lithuania Poloniæ adjungeretur, idemque Rex vtriusque gentis esset, & Iagello, & Lithuani omnes, inanium deorum abolito cultu, Christiana sacra, fidemque sacrorum susciperent. Ita Cracoviam deductus Iagello Poloniæ Rex constituitur. Ei duo filii fuere, Vladislaus, quem Turcico bello ad versâ ad Varnam pugnâ interfectum suprà attigimus, & Casimirus, qui fratri occiso in Regnum successit.

cessit. Hic egregiâ quindecim liberorum sobole est auctus, quorum fœminis novem finitimis Germaniæ Principibus collocatis, multos populos affinitate, amicitiâque est complexus. Filiorum natu minor, Casimirus nomine, actâ innocentissimâ vitâ, magnam moriens primâ juventâ sanctitatis opinionem reliquit, quam etiam miraculis affirmatam Poloni tradidere. Federicus quoque alter filiorum sacerdos factus, Archiepiscopatui Gnesnensi, & Cracoviensi Episcopatui præfuit, & ab Alexandro sexto Pontifice Maximo honoris causâ in Cardinalium collegium est cooptatus. Vladislaum Bohemi primùm, deinde etiam Vngari vltro Regem adsciverunt. Huic filii duo fuere, Ludovicus, & Anna: Ludovicus, cui post mortem patris Vngariæ Regnum obtigerat, admodùm adolescens, temere cum Turcis congressus, fatali familiæ suæ casu victus in fuga occubuit. Anna Ferdinando Austrio Cæsari nupsit, eumque aviæ fœcunditatem æmulata quindecim liberorum parentem fecit. In Polonia post Casimiri mortem, paternum Regnum Ioannes Albertus maximus natu filiorum, & post eum Alexander frater suscepit. Vterque liberis caruit. His vita functis Regnum Sigismundus obtinuit, qui in magna filiarum copia virilis stirpis unicum filium reli-

reliquit hunc Sigismundum Augustum, cuius mortem suprà tradidimus, in quo genus, ac nomen Iagelloniæ familiæ defecit.

De perpetratis à Commendono pro Regis Catholici electione.

CAPVT II.

POLONI etsi Reges nisi ab se creatos non ferunt, nec hereditatis, aut nascendi legi Regnum, sed sibi acceptum ferri, suumque beneficium facere, agnoscique volunt; tamen secuti aliarum gentium morem, raró quemquam Regum suorum filiis prætulerunt, mansitque ferè in iisdem familiis Regnum, quandiu è Regio sanguine virilis stirps superfuit. Et Reges ipsi, ne filiorum dignitas in dubio, ac discrimine esset, quicumque primus iusto matrimonio eis nasceretur, (nam pellicibus orti vix agnoscuntur) eum vel infantem Regem, successoremque sibi designari haud magno negotio impetrabant, devinctis beneficio, comparatisque nobilitatis Principibus, qui rem perficiendam susciperent: ita plus gratia, & præsentis respectus Regis in comitiis, quàm libertas valebat. Extincto demum Augusto, repetitam ex longo intervallo libertatem nemini

mini jam ulla verecundia, metuque obstrictam avidè invaserunt, quæ brevì, ut nulla tenere modum multitudo novit, in pravam, periculosamque licentiam vertisset, ni seniores salubri moderatione præcipitem sustinuissent. Nam ubi Rempublicam sine imperio, sine rectore esse, & silere leges, quarum exactor nemo existeret, sensere, primùm singulæ Provinciæ pro se quæque consiliis habitis publicæ pacis servandæ leges sanxerunt; deinde collatis in commune consiliis nobilitas omnis in id data fide conspiravit, ut pro hoste patriæ haberetur, impune occideretur, quicumque per interregni tempus vim, iniuriamque alteri intulisset. Et omnes quidem fatebantur maximè ad eam rem usui præsentem Commendoni auctoritatem, prudentiamque fuisse, quòd cum illo plerique Principum liberiùs multò, quàm inter se consilia, resque omnes communicabant, atque ipse paci maximè studebat. Cujus rei vnum ipso statim initio interregni datum documentum fidem omnibus affirmaverit. Sborovi fratres Martini filii, qui cum genere, opibus, ætate, gratiâ, clientelis plurimùm in Republica pollere videbantur, ad primum extincti Regis nuncium Cracoviam armati convenerant eo animo, vt pulso Firleio Palatino, quocum summas simultates gerebant,

bant, arcem, vrbemque in suam redigerent potestatem. Hi iuvenes inde à paterna disciplina pravis imbuti erroribus in Calviniana hæresi omnes erant, præter Andream, qui medius ætate auctoritatem maioris natu inter eos ingenio, atque industriâ obtinebat, tribuebantque ei reliqui plurimùm. Hunc habebat Commendonus non solùm consuetudine, atque vsu, sed plurimis benevolentiæ officiis devinctum, ab unoque maximè colebatur. Is ad Commendonum, quâ die Cracoviâ profectus fuerat, & acceptâ Regis morte apud Tegnitium decem inde millia passuum substiterat, intempestâ nocte venit, illique suum, ac fratrum consilium occupandi Cracoviæ arcem aperuit, sperans Commendonum, quia Firleius Palatinus hæreticus, caputque hæreticorum erat rem consilio adiuturum. Sed Commendonus veritus ne ea res veluti signum omnia vi, atque armis agendi daret, & primus impetus ab egentibus, ac prædadarum cupidis in templa, sacerdotesque fieret, cunctaque audacia, & temeritas, consilio, ac ratione exclusis, haberet, & Regnum inde aut pessimo cuique per malas artes pateret, aut lacerum plures occuparent, vehementer huic se consilio obiecit; & cùm Andreæ ostendisset, quantam invidiæ flammam eorum familiæ confla-

turi

turi illo facinore essent, quantùm de multitudinis gratia amissuri eo tempore, quo non retinenda solùm, sed summo conatu captanda, conciliandaque omnium studia essent, quantam denique vim adversariis suis addituri, iuvenem de sententia deductum eâdem nocte ad continendos in officio fratres ab se dimisit. Iam inde ab ingravescenti Augusti morbo, cùm timeri mors eius cœpisset, Commendonum major iam futuri Regis, quàm societatis Turcici belli cura incesserat, cuius & præcisam eo statu rerum spem cernebat: & hæreticos, quorum neque in Senatu, neque ad multitudinem negligendæ opes erant, occultis coitionibus multa senserat contra Rempublicam moliri, & vt corporis sui aliquem ad Regnum pertruderent, agitare. Ipsa enim capita consiliorum enunciata illi ab consciis fuerant, quorum erat primum, vt Rex non nisi hæreticus crearetur, aut certè qui omnibus liberam de divinis rebus sentiendi, disserendique, & quæ quisque probaret, sacra habendi facultatem permitteret: ac præterea, vt quæ de Catholicis hæretici occupassent, ea repetendi ius nemini esset; vtque Ministris sacrorum suorum templa toto Regno paterent, in quibus suo ritu rem divinam facere, ac de divinis rebus ad populum conciones ha-

bere liceret; aliaque item haud absimili furore: atque in hæc eos coniurasse, & egregiè consentientes esse didicerat. Quibus rebus eò magis movebatur, quò imparatiores ad omnia Catholicos esse intelligebat, qui quamquam & numero, & genere, & opibus, & causâ longè præstarent, tamen somnus ad hæc eos quidam ac torpor invaserat; & hæreticos plerique, quasi nihil aliud agerent, quàm sacerdotum potentiæ, quæ ferè in invidia est, adversarentur, lentè ferebant, nec eos ut eversores Christianæ pietatis, rerumque publicarum turbatores oderant; quin mixti plerique hæreticorum factionibus, consiliisque, studia quoque eorum in Republica aut sequebantur, aut trahebant: quo fiebat, ut Catholicorum vis omnis magnopere hebesceret. At Commendono utrumque cordi erat, & ut Catholicus Rex, & ut pariter per Catholicos crearetur. Id una assequendi ratio erat dissipatos, ac nihil in medium consulentes reconciliare, & jungere Catholicos; hæreticorum diffidia alere: horum capita erant Ioannes Firleius, & Petrus Sborovius, claris uterque familijs, uterque primos in Republica magistratus gerens. Sborovius Palatinus Sandamiriensis; Firleius ad Mareschiallatum Regni (Præfecturæ id est nomen) Palatinatum Cracoviensem quo-

que

que nuper adiecerat; eaque dissidii origo inter eos erat. Nam Sborovius hunc ipsum Palatinatum sub Regis mortem summis studiis petens, cùm suffragatorem Firleium sperasset, æmulum, competitoremque fuerat expertus; & Rex præterito Sborovio, honorem ad Firleium concubinæ gratiâ commendatum detulerat; quæ res Sborovium suopte ingenio vehementem, ac concitum, nec unquam animi satis potentem ad hostiles iras, odiaque in Firleium accenderat; atque hæc simultas opportunè diduxerat hæreticorum vires, maximumque ad Catholicum Regem creandum momentum attulisse satis constat. Et Commendonus eam è Republica esse palam ferens omni arte fovit, aluitque, ac Sborovium per Andream fratrem monuit, adverteret animum ad Firleii consilia; in eius domo occultos cœtus haberi; & aut dubiè illic coqui, ac per idóneos, & callidos homines (nec erat aliter) conciliari Regnum. Hoc metu iniecto, Sborovius, quò inimicum omni spe deijceret, apertè pro Catholico Rege creando Catholicis se iunxit. Inter Catholicos qui honore, divitiis, auctoritate cæteris anteibant, Episcopi à Senatu se, publicisque muneribus ad privatarum rerum curam receperant, clamoribus hæreticorum, audaciaque deterriti

haud cum iis consilia miscuerant. Nam Franciscus Crasinius Episcopus Cracoviensis, qui paulò antè mortuo Padnevio successerat, se Firleio tradiderat; Petrus Miskonius Episcopus Plocensis, magnæ vir prudentiæ, eloquentiæque, tædio (ut ferebat) turbarum, desertâ Republicâ pecuniæ suæ incubabat; Vcangii Archiepiscopi mores, ingeniumque suprà tradidimus: reliqui Episcopi hos ferè sequebantur, aut inopia, inopiæve simulatione domi attinebantur. Vnus erat Stanislaus Carnovius Episcopus Chioviensis, qui neque adversâ famâ in Republica versabatur, & pro sua fide mansurus in bonorum partibus, nec pecuniæ, nec labori parsurus, ut sui specimen tempore tam necessario daret, videbatur, atque in eo, & usus Reipublicæ, & promptus, aptusq; tenendæ multitudini sermo erat prorsus, ut bono publico futurus popularis videretur, nisi videri ipse nimis cupivisset; ita enim ferri se interdum secundo favore vulgi patiebatur, ut à bonis etiam consiliis abduceretur, modumque non facilè teneret, animo nunc erecto, & confidenti, nunc fracto, ac demisso, ut flaret, reflaretque multitudinis aura; sed famæ cuiuscumque dum magnæ avido, maior tamen bonæ cupiditas inerat. Is sponte sua Commendonum reverebatur, unique

ma-

maximè probari actiones suas optabat, & Commendonus ita dexterè hominis ingenium tractavit, ut perstudiosum sui semper habuerit, ac sæpè gloriæ æstu abreptum continuerit. Erat & in Catholicorum Principibus clarum Alberti Laschii nomen. Is paucis antè annis privato sumptu, consilioque comparato exercitu, tentatâ Valachia experientis, ac providi ducis famam tenuerat, & largè, profuseque donando, maximè militares viros trahebat, ac ne in concionibus quidem, & in conciliis infacundus haud parvam nobilium juvenum gratiam collegerat; inter primos Regno destinatus, si repudiatis externis Regibus, procceres suos Poloni respexissent. Inter hunc, & Commendonum inde à prima legatione eius instituta amicitia, usu, & benevolentia in omnia familiariratis iura pervenerat. Nam Laschius & adventanti in Poloniam extra fines Regni occurrerat, & sive in Regia, sive in via præter cæteros omnibus eum officiis coluerat; nec in Republica quicquam, non consulto priùs Commendono, cœpisset. Hunc & Chioviensem Episcopum certis amicitię fœderibus ita coniunxit, ut uterque datis coram ipso dexteris, fidem iurejurando obligarint, neminem, nisi quem alter quoque probasset, Regem accepturum, arbitriumque Commendo-

no detulerint, si ipsi de eo non convenissent. Addidere, ut consilia de Rege omnia, & inter se uterque, & cum Commendono communicarent. Qui in magno inde negotio habuit quamplurimos Catholicorum, & ante omnes Andream Sborovium huic fœderi, cuius ipse sequester esset, adiungere; quo factum est, ut è Catholicis ad hæreticorum vim, audaciamque coercendam duces non defuerint, & Regis non nisi Catholici creandi explicata, constitutaque consilia essent, & Commendonus ipse omnium non particeps solùm, sed veluti rector, & moderator fieret.

De consilijs eius Regnum uni è Cæsaris filijs conciliandi.

CAPVT III.

ATQVE hæc sic comparata, præmunitaque in Polonia Commendoni curâ, ac industriâ fuerant. At in Lithuania (pars hæc altera Regni est magis fœdere, ac legibus, quàm animis Poloniæ adjuncta) etiam certiora creandi Regis consilia habebant. Duæ in ea gente familiæ longè cæteras opibus, ac dignitate, tum anteibant; Radgivilla, & Cotchevicia, atque hæ (quod ferè fit) æmulatione potentiæ in Republica dissidebant. Ha-

rum

rum principes erant Nicolaus Christophorus Radgivillus, & Ioannes Cotchevicius: Nicolai hujus pater Catholicæ Ecclesiæ adeò infensus, infestusque fuerat, ut opes, quibus reliquos Regni Principes longè est supergressus, ad evertendam Christianæ pietatis fidem omnes contulerit, hasque nuper conflatas de sacrorum ratione opiniones non invexerit modò in Lithuaniam primus; sed per omnes Poloniæ provincias unus maximè disperserit. Filii huic quatuor fuere; natu majorem Nicolaum admodum adolescentem in Germaniam, vt in Calvini doctrina, quam ipse maximè sectabatur, institueretur, misit. Sed juvenis ubi sapere per se aliquid cœpit, inconstantiâ sentiendi hæreticorum offensus, averterat à paternis erroribus animum, & confusus opinionum varietate, magis tamen quid fugeret, quàm quid sequeretur inveniebat. Nam Catholicæ disciplinæ rudis planè, atque expers erat. Sic affectus, patre mortuo, cùm lustrandi studio cæteras nationes in Italiam, Romamque venisset, ac subjecisset oculis, quæ longè secùs tradita ab impietatis magistris acceperat, cùm aliorum proborum hominum, tum maximè Commendoni consuetudine, sermonibusque commotus, adeò Catholicæ fidei placita mente amplexus est, ut in patriam

reverso nihil prius fuerit, quàm sublatum à patre veræ pietatis cultum restituere; & suas sacerdotibus res, honoremque, ejectis novitatis doctoribus, reddere; fratresque inde ita imbuit bonis opinionibus, ita in priscæ pietatis studiis educavit, ut alter eorum, Georgius nomine, sacerdos, & Episcopus Vilnensis fuerit, & mox à Gregorio Pontifice Maximo, petente Stephano Rege, in Cardinalium numerum relatus: & primus Lithuanorum eum honorem in familiam, patriamque suam intulit filius, cujus pater ad conturbanda sacrorum jura, divinasque ceremonias polluendas, pravissimarum opinionum, atque hæresum disciplinam primus importarat; atque eum honorem ita gessit, ut innocentiæ, probitatis, totiusq; sacerdotalis vitæ specimina egregia dederit. Cotchevicius eâdem hæresis labe infectam primam juventam egerat, maturior ætas saniorem attulerat mentem, & ab eodem Commendono penitus cum Ecclesia matre in gratiam fuerat reductus; quibus obstrictus pietatis vinculis uterque ei, ut decuit, parentis cultum, atque observantiam exhibebat; inter ipsos nulla propria simultas, disiuncti magis familię, quàm suo dissidio erant. Hos, in quorum manu sita Lithuanica res esset, iungere amicitiâ, gratiâque Commendono in-

ma-

magno negotio fuit, assecutusque est, ut etiam diligerent inter se, & ex eo cum Nicolao quoque patruo Vilnæ Palatino, à quo hostiliter dissenserat, in gratiam Cotchevicius rediret. Cùm hos igitur Commendonus haberet sui perstudiosos, ac nihil non tutò committi ab se eorum fidei intelligeret, sæpè vivo adhuc Augusto, sed jam graviter decumbente, cum utroque separatim ab altero occultos sermones de Catholico creando Rege, deque obviàm eundo hæreticorum conatibus, si Augustum morbus extinxisset, contulerat; & cùm quærendum externum Regem conveniret, quando neminem esse è popularibus appareret, cui se cæteri subiecturi essent, satis exploratis eorum sensibus, mentionem de Maximiliani Cæsaris filiis intulit, eos esse adolescentes longè nobilissimâ totius Europæ stirpe Regum, Cæsarumque genitos, indolis probæ, atque ea ætate quam facilè ad Poloniæ mores formaturi essent. Maximiliano enim egregia soboles sex filiorum erat, quos Maria mater (Philippi hæc Regis soror erat) sanctissima disciplina instituerat, permittente viro coniugi omnem educandorum filiorum curam, & charitate eius, & Philippi respectu, cui suam suspectam religionis fidem esse sciebat. Primus Radgivillus, cuius familiæ vetus erat in Austrios

ſtudium, nudavit animum, monuitque Commendonum eodem Cotchevicium perduci poſſe, vel auctoritate eius, vel metu Moſcorum Principis, cum quo graves inimicitias gereret, & quem antea ab Auguſti orbitate ad Poloniæ res ſciret aſpirare. Cùm is quoque Commendono eſſet aſſenſus, via, ac ratio perficiendæ rei ineunda, ſtatuendaque erat. Dicitur dies, qua omnes ſimul in colloquium venirent: & quia res premenda ſilentio erat, ne ſi ad Commendonum conveniſſent, productus, quod neceſſe videbatur, in multas horas ſine arbitris ſermo, ſuſpicionem præberet, proximam deligunt ſylvam, in quam Commendonus per dies æſtivos exire paucis comitatus animi cauſa ſolebat. Eò uterque Princeps cum ſingulis ſervis à pedibus venit, & Commendonus ipſe, me uno aſſumpto comite quem ſolum conſcium conſilii habebat, rheda vectus ad condictum tempus adfuit. Servis traditis equis, atque opperiri cum auriga iuſſis, in maximè abditum ſylvæ locum eſt ſeceſſum, data, acceptaque fide, & à me quoque exacto iureiurando, poſtquàm diu collocuti omnia ſatis expendiſſent, tandem in hæc eſt ab omnibus conſenſum: vt Lithuani vnum è Cæſaris filiis, quem ipſe dediſſet, Magnum Ducem; ſic enim ſuum ipſi Re-

gem

gem appellant, Polonis non expectatis statim crearent; procreato, si res posceret, viginti quinque millia equitum in armis haberent; (nam rudes illæ gentes ad pedestrem militiam, tantùm equestri bello habiles sunt) neque enim dubium habebant, quin Poloni Lithuanorum præiudicium secuti, quod antè in Sigismundo primo, aliisque factum esset, eumdem Regem & ipsi acciperent. Cupiverunt Lithuani non creare solùm sibi separatim à Polonis Regem, sed etiam habere, memorantes detrimenta, quæ passa eorum Respublica ab hostibus suis esset, ex quo se Polonis iunxissent; proque eo vehementer contenderunt. Sed Commendonus, si hæ gentes in duo dividerentur Regna, neutrum satis firmum fore ratus, ac veritus præterea, ne mutuis inde se bellis attererent, tenuit, vt eius rei arbitrium Cæsari permitteretur. Privatim illi sibi nihil cautum voluerunt, publicè hæc postularunt: vt Lithuanis salvæ suæ leges inviolatæque manerent; Lithuaniæ magistratus præfecturæ, publicaque alia munera nemini, nisi Lithuanis mandarentur, externi omnes excluderentur: quod agri paulò antè Augustus Lithuaniæ ademptum Polonici iuris fecisset, id Lithuanis restitueretur: Episcopos non Princeps daret, sed Canonici prisco more repetito liberis

suffragiis eligerent. Id iuris suaserat Commendonus adimi Regibus, expertus non optimos, & scientia divinarum rerum, & religione spectatos ab iis, sed quos gratia, aut ministeria aulæ commendassent Episcopos dici solere; vnde eos non custodes legum, errantiumque Regum monitores, quod antea fuerant, sed beneficio, spei que obnoxios, plerumque Regum ipsorum nutibus, cupiditatibusque, nihil discernentes æquæ an iniquæ essent, servire: ex quo maxima Ecclesiastica res damna, detrimentaque accepisset. Hæc omnia, sicuti acta, statutaque inter ipsos erant, rogatur Commendonus, vt in Italiam rediens ad Cæsarem, quem ex itinere conventurus erat, referret. Si Augustus mortem antè obiisset, quàm ille è Polonia decederet, tum me qui hæc eadem ad Cæsarem perferrem, Viennam statim mitteret, ipse omissa profectione, futuri Regis comitia in Polonia opperiretur: sive autem me, sive Commendonum ire ad Cæsarem contingeret, ipsi statim aut per eundem me, aut per litteras, quibus conventum erat, notis scriptas, ac certis hominibus, qui tutò perferrent, datas de Cæsaris voluntate edocerentur. Quò dictis fides fieret, vterque chirographo suo promissa firmaret; atque ita à colloquio est discessum. Nec multò post Augustus

Vat-

Varsovia Chnisinum ad fines Lithuaniæ deferri voluit, vbi aggravante morbo, vt suprà docuimus, vita excessit. Et Commendonus Varsovia profectus lento itinere, ipsum opperiens venerat Cracoviam vbi illi præsto Andreas Sborovius, aliique fuere amici, orantes ne imminente casu Regis, Poloniam relinqueret, cùm illius maximus gravissimo Reipublicæ tempore usus esset futurus. Commendonus aliquot moratus dies, ne diutiùs terere frustra tempus, ac mortem Augusti captare videretur, Cracovia est profectus. Vix duarum horarum iter progressum nuncius excessum afferens Regis assequitur. Ergo apud Tegnitium, monasterium (id est, decem millia passuum à Cracovia) subsistit, & ut constitutum cum Lithuanis habebat, eadem nocte me ad Cæsarem proficisci iussit. Profectus magnis itineribus, septima die attigi Viennam, quò tamen mortui Regis fama, qua nihil est in talibus rebus celerius, meum adventum antecesserat. Deductus ad Cæsarem, & cupidè ab eo, & perhumaniter acceptus, quæ acta, constitutaque cum Lithuanis erant, quoque modo, quaque solertia Commendonus & iunxisset amicitia inter se, quos vetus æmulatio diductos haberet, & in eam sententiam perduxisset, & quos præterea è Poloniæ proceribus in idem

consilium præparatos hab.ret, exposui. Executusque inde alia de statu rerum, quæ factiones, quæ factionum capita, quò cuiusque spectare consilia crederentur, qui certi competitores Regni, quibus cuiusque petitio niteretur, denique qui maximè Cæsari, quaque ratione conciliandi essent, disserui. Addidi postremò Commendoni verbis consilium, legationem quamprimùm quàm maximè splendidam mitteret, Legatos homines spectatos, nec nisi Catholicos deligeret; ad Catholicos enim, & per Catholicos rem motam dirigi, agique oportere: Laschium pollicentem operam, misso statim nuncio, litterisque liberali oratione confirmaret; pecuniæ quoque aliquid ei, qua ratione maximè militares viros cogere posset, submitteret: aut ipse Vienna Vratislaviam (Silesiæ hæc est urbs imminens Poloniæ finibus) transiret, aut Ernestum filium (huic enim Regnum petebatur) cum aliquot equitum turmis mitteret: ante omnia maturaret Cotchevicio, & Radgivillo mentem aperire; si enim hinc occupatent Lithuani Regem renunciare, hinc in Polonia Laschius cum valida factione consurgeret, & Cæsar ipse, aut filius ex propinquo arma, opemque faventibus promptam ostentarent, antè filium eius Regem futurum, quàm alii commo-

vere

vere se, aut explicare sua consilia possent: & quod alterius Regni instar esset, de manu Catholicorum liberum, nullis novis pactionibus, nulla nova lege, contra quam hæretici molirentur, obstrictum Regnum habiturum: sed cuncta prævertenda celeritate esse, dum nova, nec satis cognita libertas, & turbatæ, & immaturæ res opportunam intento, audentique occasionem præberent, atque in eo verti totius consilii summam credere Commendonum; si enim multitudini spatium trahendi sub arbitrium suum Rempublicam daretur, difficiliora omnia fore, à Germanorum enim nomine, Austrioque vulgò mirum in modum abhorreri. Cæsar non attentè solum, sed avidè etiam omnia audivit, meque ad quintum Viennæ diem percontando quotidie, quærendoque de singulis detinuit. Postremò cùm effusè gratias Commendono egisset, missurum se dixit propediem in Poloniam Legatos, ut ille monuisset, iis de omnibus rebus mandata daturum, futuraque omnia cum eo communia, neque se ab ipsius consiliis sapientiæ, & fidei plenis discessurum. Cum hoc dimissus responso, non quà veneram, sed longè diversis itineribus mihi penetrandum in Poloniam, atq; ad Commendonum fuit, quòd omnes iam in Re-

gnum

gnum aditus certis militum stationibus undique custodiebantur. Hi non arcebant modò aditu exteros, sed excutiebant etiam, ac scrutabantur omnia. Et mihi cavendum illud quoque erat, ne mea ad Cæsarem profectio vulgaretur, nequa inde incommoda de nobis suspicio multitudinem, quæ tum sola dominabatur, incesseret. Comparatis pecunia ducibus, maximè deviis, ac sylvestribus viis, itinere facto, in Siradiensem Palatinatum, quò se Commendonum recepisse acceperam, tutus, inobservatusque perveni.

De legatione ad eum ab hæreticis missa.

CAPVT IV.

REGIS mors edita in vulgus maximè omnium concivit hæreticos, quorum vis omnis in licentia, atque impunitate est. Hi silentibus legibus, Magistratibusque, priusquam se Catholici excitarent, atque ad capessendam Rempublicam exurgerent, petulantia, atque audacia lasciviebant, nec usquam plures, aut validiores, quàm circa Cracoviam erant: eam maximè partem vicinitas, & commercia corruperant Germanorum. Audito Regis casu, partim à Firleio evocati, ne imparatus, si quam sibi Sboroyii fratres affer-

afferre vim tentarent, esset, partim à Sboroviis ipsis adducti, partim sponte ad consultandum de communibus rebus frequentissimi Cracoviam concurrerant. Semper ii acrem conatibus suis adversarium Commendonum experti fuerant, ac uti magnoperè lætabantur, sub id potissimùm tempus, Regno eum, ut crediderant, abiisse; ita ubi audita Regis morte, restitisse, nec plus decem millibus passuum Cracovia abesse nunciatum est, *vehementer perculsi, fremere, ac si eum interesse Regis comitijs paterentur, plus unius externi hominis calliditatem ualituram, quàm sua suffragia inter se indignari. Neminem ignorare, quàm multorum studia unus complecteretur, fore inter Equites, fore in Senatu, qui id sensuri, id pro sententia dicturi essent, quod edocti ab eo, atque instructi fuerint. Finitum morte Regis ius legationis eius, datumque ad ea, quæ Pontificis nomine actum uenisset, responsum; quid nunc moretur? quid se alienæ Reipublicæ priuatus immisceat? Abeat Romam ad renunciandam legationem suam, atque ibi suâ fulgeat purpurâ, & Regibus se honore æquet, ac tandem Romanis fallacijs, præstigijsque Poloniam liberet.* Hæc in concilio Equitum regionis eius, quod primum post mortem Regis est habitum, more suo vociferantes, quamquam Fir-

leius ipse, cohibitâ illorum linguæ licentiâ, perhonorificâ Commendonum oratione sit prosecutus; tamen tenuere, ut Legati ad eum decernerentur. Missi ex Equitum Ordine sunt Dulschius, & Osfoschius. Iam Commendonus discesserat Tegnitio, pacatiora ab hæreticis loca, ac interiora Regni petiturus, ubi & conveniri ab amicis, & dimittere ipse suos, quò usus posceret, commodius posset. Iter habentem eum quindecim millia passuum longè à Cracovia Legati sunt adepti, præmonitum antè ab amicis de illorum adventu. Accedentes Commendonus comiter appellatos in eumdem currum, quo ipse vehebatur, recepit, ac nihil intermittens iter dicere ad quid venissent iussit. *Summa eorum orationis fuit, morte Regis perturbatam eorum Rempublicam, occupatosque omnes imminentium comitiorum esse curâ: nec Cardinali Legato colendo, habendoque pro illius dignitate uacare tum posse, nec ipsi in tam suspectis rebus facile fore multorum uitare offensiones, & in tanta rerum licentia haudquaquam tutò eum uideri in Regno uersaturum, periculumque esse, ne quid ex eo tumultus existeret. Itaque à Senatoribus, Equitibusque, qui Cracouiæ de Republica conuenissent, missos se ad eum esse rogatum, ut extra fines Regni aliquò se tantisper reci-*

peret,

peret, ne grauaretur, dum ipsi nouum sibi Regem creassent. Id præterquam quòd ei ita conduceret, & consentaneum esset eximio studio, ac uoluntati, qua gentem Polonam complecteretur, futurum publicè Polonis omnibus longè gratissimum. Satis mitem legationem, etiam ingenium haud dispar Legatorum magis lenivit. Quibus Commendonus subridens, ac vultu læto, placatoque ita respondit: *Et uera esse, quæ ipsi de præstanti suo, ac singulari erga Polonorum gentem animo narrassent, & ob id sibi curam, qua illi tam difficili tempore afficerentur Reipublicæ, gratam accidere, haud minùs quàm quòd uicem quoque suam timerent: uerùm sperare se non tutò solùm, sed etiam cum dignitate in Polonia futurum, ac utique præstaturum, ut non modò tumultus nihil sua causa oriatur; uerùm ut intelligant omnes, se unum omnium maximè concordiæ, atque pacis auctorem esse. Cæterùm quod ad postulatum eorum attineret, si secum ea de re Senatus, atque Ordinum Regni nomine egissent, habiturum se quod responderet, cum unius Prouinciæ consilio separatim sibi negotij nihil esse.* Hoc illi reiecti responso, & haud dubio pudore perfusi humaniter, ac benignè habiti discesserunt. Commendonus iter perrexit suum, ac paucis diebus Solioviam Siradiensis agri monasterium, peropportu-

num

num tali tempore mansioni suæ locum se recepit, atque ibi à me Vienna redeunte est inventus.

Quomodò Cæsar petitionis suæ rationem omnem euerterit.

CAPVT V.

MAXIMILIANVS, me cum eo, quod suprà memorauimus, responso dimisso, longè aliam quàm oportuit, atque ostenderat, petitionis viam est ingressus; ab iis primò in errorem inductus, quibus mos est omnia ad voluntatem Principis loqui, quique grata, quàm vera afferre auribus malunt; tantùm enim spei assentatores fecerant, vt propè expectarit, vt priores ad se Poloni Legatos mitterent, Regemque sibi ab eo dari postularent. Id adeò persuaderi sibi est passus, vt cùm ego adhortans eum ad rem accelerandam plerosque dicerem alieni ab eo animi indicia dedisse, & nomina etiam quorumdam ederem, ipse simulare eos mihi responderit, quia rogari ab se, & cariùs æstimatam operam suam venditare vellent. Deinde siue tantas Catholicorum opes haudquaquam esse crederet, quibus niti petitionis suæ spem vellet, seu pronus in hæreticorum causam animus rebus eorum faueret,

veret, hos promissis pellicere, atque omni conatu adjungere sibi constituit. Sed totum consilium nihil æquè ac tarditas ejus, & procrastinatio turbavit; naturâ enim cunctator rem tantam, nisi prætentatis, exploratisque omnibus, incipere non ausus, celeritatem, in qua perficiendi negotii vnica spes erat, ita omnem remisit, vt & multos dies expectando novos è Polonia nuncios, qui certiora afferrent, movere quicquam distulerit, & morantibus iis, quia clausa omnia, nec intrare fines, nec egredi vlli per custodes licebat, certos ipse homines de suis in omnes Provincias cum litteris, & mandatis ad primores cujusque regionis tentatum, exploratumque animos miserit. Iam antè Cracoviæ in eodem concilio, à quo Legatos ad Commendonum missos ostendimus, initium nudandi animos erat factum; ausus enim Ioannes Miscovius pro sententia dicere, à Cæsare vicino, ac finitimo Principe, & Polonico nomini amico in tam dubiis rebus petendum consilium esse, adeò aversis auribus auditus, adeò à tota concione increpitus fuerat, vt parum abfuerit, quin à concilio eiiceretur. At eorum, quos Cæsar ad explorandum miserat, alii cùm in stationes militum custodiendis finibus dispositas incidissent, capti, ac proximis traditi Senatoribus sunt; alii ab iis ipsis, ad

ad quos adiverant, callidè caventibus, ne quid proprii consilii cum externis habere crederentur, quod tum maximè invidiosum ad multitudinem erat, in concionem producti, dicere palam ad quid venissent sunt coacti. Qui enim aut accepisse litteras, aut separata colloquia cum illis habuisse dicebantur, ii in magna invidia, ac suspicione erant, vt etiam Cæsaris fautores litteras proferre, ac nunciorum verba prodere necesse habuerint, ne omni inde apud multitudinem auctoritate deiecti iacerent. Et eodem tempore Monachus Cisterciensis, Cyrus nomine, qui multos annos apud Augustum Maximiliani Orator fuerat, cùm deposito Monachi cultu in militari veste, ne noscitaretur, plerosq; Principum prehensando circumiret, à Ioanne Costea in Prussia comprehensus in custodiam est traditus, interceptæque cum eo litteræ, commentariaque publicè sunt recitata, quibus & pecuniarum promissiones, & aliarum pactiones rerum continebantur. Hi omnibus Regni partibus deprehensi nuncii, quasi manifesti corruptores, tantum invidiæ incendium in multitudinis animis adversus Cæsarem, Austriamque familiam excitarunt, vt gravi se suspicione onerasset, quicumque eius, filiorumque mentionem fecisset; ingentemque multitudinis gratiam Costea,
alii-

aliique traxerunt, qui nec accepisse litteras, & nuncios à secreto colloquio repulisse ferebantur. Iisdem pęnè necessitas imponebatur rem à Cæsare spreto ab se, læsoque avertendi. Toto per hæc errata perverso, & corrupto ordine, atque consilio rei, alienatisque maximè multitudinis animis, mittendæ quoque legationi, dum præmissi redirent è Polonia nuncii, diuturnam moram interposuit; vt cùm in Regnum Legati eius venêre, iam suum cuique staret consilium, initæque & inter se, & cum exteris certæ de Rege pactiones, fœderaque à plerisque essent. Legati fuere præstantes sanè viri, ac Regni Bohemiæ longè principes Gulielmus Rosembergius, & Pernestenius, quibus magno, ac splendido comitum numero in Poloniam adventantibus, eadem ferè, quæ præmissis antea nunciis, fortuna occurrit: cognito enim illorum adventu, Petrus Sborovius Palatinus Sandomiriensis (is maximè aversus à Cæsare semper fuerat) ex auctoritate Senatus obviàm ad fines fuit, ac primò eos conatus est aditu in Regnum arcere, petens ut dum gentis concilium, quod comitiorum causà habituri essent, cogeretur, in Poloniam ne intrarent, quando ante illud tempus audiri ipsi publicè non possent. Instantibus tamen Legatis, ut Cæsaris mandata utrisque Regnis utilia ad

Senatum, Ordinesque afferentibus pateret in Poloniam aditus, ita Sborovius assensus est, ut Sandomiriam deductos dissimulatâ quidem, sed diligenti custodia habuerit, ut nec adire ad eos se inscio quisquam, nec suos ipsi aliò uspiam dimittere, nisi aut consulto, aut certè scientè se possent. Id ægrè passi Legati, ubi Sborovium senserunt infensiorem Cæsaris rebus, quàm ut ullis promissis, conditionibusque vinci posse sperarent, eo fortè ad conventum, qui eius Provinciæ Equitum habebatur, profecto, ipsi nemine consulto, appellatoque, Sandomria ante lucem discesserunt. Quod cùm nunciatum Sborovio, Equitibusque, qui convenerant, esset, missi properè ab iis, qui Legatos ab instituto itinere retraherent: ita unius diei viam progressi, consistere coacti, ac præsidio Equitum apposito, datoque negotio, ut alioquin eis necessariarum rerum copia suppeteret, ac benignè in speciem, atque hospitaliter haberentur, arctiùs etiam quàm antea custodiri sunt iussi. Quæ res eos magnis difficultatibus affecit Cæsaris jussa patrandi, cum jam nec iis invidiosius, suspectiusque esset quidquam, & nemo ob id adire, aut alloqui eos auderet. Et quamquam summisere clam aliquot è suis ad sollicitandos maximè hæreticorum principes; tamen

cùm

cùm dempto libero commercio nec cum Commendono congredi, nec colloqui cum præparatis antea amicis possent, quin omnis de Cæsare, filioque spes corrueret, sustineri non potuit. At Radgivillus, & Cotchevicius, qui conventis cum Commendono staturi, multa in id consilium in Lithuania prestruxerant, cognito Commendonum in Regno esse, ac me statim profectum magnis itineribus Viennam contendisse, diu quid Cæsar statueret, expectarunt, ac priùs moram ipsam pro re omissa acceperunt: pòst ubi nuncios eius pluribus locis interceptos, Cyrum captum, litteras publicè recitatas, Legatos panè in custodiam traditos, abalienatos omnium animos, & Cæsarem ipsum, & fautores eius in summa invidia, malaque fama esse intellexere; nec tamen sibi ab eo litteras, aut nuncios venire, & gravi rumore laborare rem, quòd uni ante omnes hæretici appellari, ambirique dicerentur, unique eorum, nomine Zaffragnetio, qui repudiato Senatorio loco, ab Senatu ad Equites transierat, magnæque ob id illius in eo Ordine opes erant, triginta nummum aureorum millia oblata, remissaque ab eo dicebantur, penitus ab inito consilio recesserunt, & ut omnia sibi quàm maximè integra essent, operam dederunt. In Polonia autem cùm idem

de

de hæreticis percrebuisset, additum iis, quæ suprà attigimus, adeò Catholicorum animos à Cæsare avertit, ut Cujaviensis, & Laschius, qui duces se præbituri Ernestum dicentibus Regem erant, spretos se, posthabitosque querentes, mutata voluntate cum Sboroviis pro Henrico Galliæ Regis fratre societatem coniunxerint. Itaque cùm ventum ad comitia est, & copia fuit Legatis, cum quibus vellent, colloquendi, ne ipsi quidem inficiabantur exigua stare spe, quod Cæsar pro non dubio asseverantibus, qui assentati cupidini eius fuerant, crediderat. Ac tum demum senserunt quàm peccatum ab eo fuisset, qui in re gravissima adulantium somniis decipi se passus, non ex Commendoni sententia omnium studia, consiliaque celeritate antevertisset. Tum serò & ipsi, & Cæsar, his cognitis, blandiri Catholicis, quos antea neglexerant, tum litteræ manu Cæsaris scriptæ veniebant, tum magnifica promissa ingerebantur, cùm facta in aliam partem inclinatio sustineri ampliùs nequiret. Ad hæc incommoda, etiam proditi ab suis dicuntur. Nam qui ab Germanorum Principibus iis, penes quos creandi Cæsares jus manet, Legati suffragatum Ernesti petitioni venerant, dehortando privatim quod publicè orabant, contrariis orationibus haud

parum

parum offecisse Cæsaris rationibus sunt crediti. Legatos quoque eius, ut gentis principes, magnus nobilium Bohemorum numerus secutus fuerat. Hi commercio linguæ, quæ eadem est utrique genti, crebros cum Polonis sermones miscebant, unaque convivia celebrantes, & largè vino, ut mos illis, indulgentes, invicem se amicè, ac familiariter colebant. Et Bohemi (credo, conspecta species magnæ libertatis in Polonis, arbitriique Regem sibi deligendi, desiderium usurpati quondam ab ipsis quoque eiusdem iuris, iramque adempti refricabat) memorando pristinam Bohemiæ dignitatem, spoliatosque ea se, & gravibus præterea tributis, vectigalibusque premi querendo, aliaque, quæ ferè populi indignantur, incusando, monebant Polonos, ne in idem iugum ipsi se ultro inducerent. Quæ à sollicitis, ac suspiciosis facilè credita, haud leve momentum ad deterrendos à Cæsare multorum animos habuisse putantur.

De competitoribus Regni.

CAPVT VI.

COMPETITORES erant Regni permulti claro omnes genere; neque enim sæpè accidit, ut Imperium ea ampli-

tudine ſtet, nullo certo ſucceſſore alienæ ambitioni expoſitum, ceſſurum ei, quem multitudinis favor prætuliſſet, quæ ne norat quidem, aut viderat unquam eos, de quibus tantum iudicium factura, quibus ſummam de ſe poteſtatem traditura erat, ſolam famam, vel ex vano, levibuſque auditionibus hauſtam, vel callidè fictam, jactatamque ſecutura. Primus ſermone vulgi Moſcorum Princeps ferri eſt cœptus, cuius Regnum Polonis finitimum à Boryſthene, quo ferè à Lithuanis dirimitur, ad uſque ultimas Septentrionis plagas, ignotaſque gentes, & glaciale Oceanum latiſſimè patet, atque inde à finibus Succiæ, & Firlandiæ ſinu per feras pleraſque, ac barbaras nationes ad Caſpium mare, Tanaimque flumen extenditur, Scytharum quoque populos aliquot proximis annis domitos continens. Hunc vota magis, quàm ſtudia hominum expetebant: ſicut enim conjunctas ſub unius imperium Regis tot gentes, nationeſque habere magnificum Polonico nomini omnes rebantur; ita Regis ipſius ſævum, atque atrox ingenium, & impotenti dominatui, omnibuſque ſoluto legibus aſſuetum reformidabant. Quidam filium eius reſpiciebant, dictumque Sigiſmundi Regis memorabant, Polonis è Septentrione petendos Reges. Sed neque Moſcus

ab

ab insita superbia Legatos, qui peterent, misit, & utriusque mentionem Cotchevicius, cuius suprà meminimus, privatis etiam odiis illis infensus auctoritate sua discussit. Proximus huic Rex Sueciæ fuit, qui quia sororem Augusti in matrimonio, atque ex ea filios habebat, & peropportunè duo Regna adversus Moscum communem hostem conjuncturus erat, haud vana spe in eam petitionem descendere videbatur; atque hunc jam inde à paterna defectione corruptum hæresi hæretici ferè provehebant. Iidem ab eadem causa etiam Duci Prussiæ studebant adolescenti, neque ætate satis ad id ferendum onus matura, & valetudine mentis ne suo quidem habendo, nedum alieno quærendo Regno habili. Sed neque puerum, neq; stolidi ingenii Regem Firleius, compluresq; alii reiecturi videbantur, dum in disciplina contemnenti Catholicæ pietatis iura institutum, & eorum beneficio obnoxium haberent. Quin hunc opportunum rationibus suis vel ob id maximè expetebant, quòd ei nomen modò Regium relicturi, regimen rerum ipsi habituri esset. Quanquam sunt, qui Firleium ex Prussi spe tantùm pecuniæ aliquid captasse credunt, cuius & ipse egens tali tempore erat, & ad patranda consilia magna vi opus esse sentiebat. Gentilem quoque huius Brun-

deburgium, qui ab oppido Anſpachio, cui dominatur, cognomen habet, hæreticorum quidam ſubiiciebant; alii item Auguſtum Saxonem, magnæ Regulum dignitatis, magnatumque apud Germanos opum: ſed utrumque multitudo abhorrens à Germanis, ut ferè finitimarum gentium diſcrepant animi, reſpuebat. Iniecta quoque mentio eſt à quibuſdam Stephani Bathorii, qui paulò antè mortuo intra adoleſcentiam Ioanne Tranſſylvaniæ Regulo, ad Provinciæ illius dominatum popularium ſtudiis fuerat evectus. Sed ille vixdum firmato domi principatu, novum foris quærere Regnum maturum rebus ſuis non ratus, petitione in præſentia abſtitit; atque hic eſt ille Stephanus, qui biennio pòſt hoc ipſum Regnum eſt adeptus, cui tantùm fortuna, quæ plerumque veræ virtutis eſt comes, indulſit, ut honeſto quidem inter ſuos genere, ſed fortuna pertenui natum, & contemptum, modico amicitiæ gradu, quem apud Ioannem Principem ipſe ſibi per induſtriam, atque bonas artes fecerat, nec ultra ſpes ſuas proferentem, quàm ut rem domeſticam ſub illo augeret, & partam gratiam, dignitatemque tueretur, ad patriæ prius ſuæ, deinde ad Poloniæ Regnum extulerit. Ioannes in fide Turcarum erat, beneficiariamque; ab iis Tranſſylvaniam

vaniam habebat, quorum fretus opibus etiam Vngariæ Regem se ferebat; unde illi crebræ cum Maximiliano Cæsare contentiones erant, & ut rarò bellis, ita mutuis in fines excursionibus, latrociniisque, quibus Vngarorum gens gaudet, sæpè se infestabant. Per has occasiones, ut cuique mala mens, malæque domi spes incidissent, ab utroque ad alterum frequenter transfugiebant; (& sunt Vngari fide ad omnia temporis momenta mobili) sed & Ioannes ipse, & Transylvani omnes pravis religionibus, communi malo huius ævi, infecti animos, à Catholicæ Ecclesiæ fide desciverant. Stephano eximium geminæ laudis decus tribuitur, neutram, neque pietatis quam Deo, neque constantiæ quam Principi debebat, fidem fefellisse. Adiecerunt etiam Polonorum plerique animum ad Gulielmum Rosembergium, Bohemum Principem, Legatum Cæsaris. Hic Romano sanguine, gente Vrsina ortus, clara nobilitate apud Bohemos eminens, genus opibus, opes animo, ac virtute æquabat. Sed illi omni spe potior fides, quam Cæsari debebat, fuit, mentionemque sui ullam in comitiis fieri vetuit. Verùm hos omnes longè & generis amplitudine, & Catholicæ pietatis laude, & præclaræ indolis fama anteibant duo adolescentes, Ernestus Cæsaris

filius, & Henricus Regis Galliæ frater. Erneſtus, & opes patris non magnæ ſolùm, ſed propinquitate ipſa maximè opportunæ Poloniæ res affectanti, & Catholicorum ſtudia antè, ut docuimus, à Commendono comparata, facilè ut cæteris præferretur, tenuiſſent, ni ceſſatum à Maximiliano primùm, deinde etiam turbatus ordo agendæ rei, & cuncta aliis ſuper aliis erratis corrupta, ſicuti demonſtratum à nobis eſt, fuiſſent. Henricus ad Regnum, quod ei ſummis omnium ordinum ſtudiis eſt delatum, penè per iocum à paucis eſt accerſitus; affirmari certè poteſt nemini antè cognitum, viſumve eorum, à quibus expetitus, creatuſque Rex fuit. Venerat fortè in Poloniam è Gallia pumilio quidam Polonus natione, ac natus etiam honeſtè, (Craſoſchio nomen fuit) qui adoleſcentulus rara parvitate in Galliam abductus, dono datus Reginæ, diu inter oblectamenta Regum fuerat: ſcitus ipſe, & ingenio ſolertior, callidiorque, quàm pro modo corporis, ita rem ſuam naviter egit, ut pecunioſus, & locuples paucis annis evaſerit. Senex factus reviſere patriam, ſuoſque agnoſcere, agnoſcique cupiens, in Poloniam, vivo adhuc Auguſto, redierat, multaque, ut fit, de Regia Galliæ, de Regni opibus, de Rege, deque Henrico tum

fortè

fortè Regis fratris exercitus adversùs quotannis rebellantes hæreticos Galliæ secunda bellicæ laudis famâ ductante magnificè omnibus conviviis, quibus sæpè à proceribus adhibebatur, prædicabat: & mortuo demum Augusto, cùm omnibus propè sermonibus de futuro Rege quærerctur, palam ut Henricum sibi Regem asciscerent, omnes sollicitabat; donec Andreæ Sborovii instinctu ab aliquot nobilitatis principibus, qui consilia cum Sboroviis sociaverant, in Galliam est missus, & datis ad Regem, Henricumque litteris, quibus operam pollicebantur, ire properè, eosque ad mittendos Legatos, qui peterent Henrico Regnum, adhortari est iussus. Tanta tum alienatio à Cæsaris domo fuit, ut quem in limine Regni, atque in oculis propè suis habebant, Regem Regibus natum, regiâ indole petentem, offerentemque se reijcerent; è Gallia longissimè dissitum, ignotumque ultro accerserent. Nec homunculus defuit rei, nec Reges aut nuncium, aut nuncii auctores sprevere. Illo igitur eâdem celeritate, quâ venerat, ad Polonos redire, & adfuturos in tempore Legatos renunciare jusso, haud segniter Galli negotio institerunt, æmulatione in Austrios incensi, & magnoperè ad gloriam gentis suæ rati pertinere, si bellicosissimæ nationes ab

ultimis Europæ terminis Regem sibi petitum in Galliam misissent. Et Carolus Rex cùm fratris potentiam & infringere parum fraternum, parumque tutum putaret, & ferre grave sibi, Regnoque sentiret, per speciem honoris amoturus Henricum, Galliamque propè altero iam Rege exoneraturus videbatur. In Polonia serpebat quidem in dies magis per hominum ora Henrici mentio; sed locorum, interiectarumque terrarum longinquitas consistere in illo magnoperè animos non sinebat, & eum Ernesto potiùs obijci, quàm veris studiis expeti plerique credebant. At ubi adventare è Gallia Legatos, & mox ingressos fines, est auditum, & vulgata promissa, commodaque sunt, quæ genti publicè, privatimque allaturum Henricum Legati, fautoresque eorum studiosè dispersérant; omnis illa animorum à Cæsare defectio vertit in favorem Henrici, & ipsi etiam Cotchevicius, Radgivillus, Laschius, aliique qui se initio Cæsari obtulerant, quà indignatione adversus eum, quà præmiis, promissisque ingentibus Gallorum illecti multitudini se iunxerunt; adeoque inde inclinatio voluntatum omnis in Henricum incubuit, hinc studio illius, quem summis laudibus efferri à Principibus suis audiebant, hinc alienatione à Cæsare; adeoque hic ardor ani-

animorum pariter omnes Senatores, Equites Catholicos, hæreticos traxit, ut si tum habita comitia forent, ne dubitandum quidem esset, quin sine ulla aliorum mentione, unus omnium suffragiis Henricus Rex fieret: tanto impetu multitudo, venti ingruentis instar, quò semel inclinavit, præceps fertur. Spatio, atque morâ (nam ipsum propè annum interregnum tenuit) ardor paulùm elanguit, & Gasparis Colinii, multorumque cum eo Vgonotorum in Gallia cædes etiam plerosque hæreticorum ab Henrico avertit. Is enim Colinius cùm magnam Galliæ partem nouâ religione, & Calvinianæ hæresis pestiferis erroribus oppleuisset, cui pro disciplina est legum, Magistratuumq; omnium reverentiam exuere, impia sacrorum iura vi, atque armis vindicare, divina, humanaque libidini suæ subiicere, ita se ducem Novantibus inde res, & omnia sævis seditionibus, bellisque turbantibus præbuit, ut totâ civili sanguine conspersâ Galliâ, per funestas patriæ, gentisque suæ calamitates, perque clades, & vulnera robustissimi ante illum Regni, ad eas pervenerit opes, quibus metu sui Regem terreret: Regiam certè domum nemo unquam acriùs oppugnavit, nemo exitio ultimo propiùs adduxit. Hunc sive aliter mederi publicis malis, quàm eo sublato

Galliæ vexatore, non posse Regis mater putaverit, seu ipsum parantem fraude, atque insidiis Regi, fratribusque, ac matri ipsi necem afferre occuparit, opprimere captatum fictâ gratiæ reconciliatione, Lutetiamque cum factionis principibus pellectum magna cum omnis generis Vgonotorum cæde trucidari iussit. Ea cædes Poloniæ hæreticos (nam Henrico id facinus imputabant, cuius esse insigne in Colinium, sectamque illam odium didicerant) ab eo vehementer alienavit, ut nisi lenisset paulatim rem rumor, & Catholici pro Henrico constantissimè stetissent, peragi comitia sine magno certamine nequivissent. Hæretici igitur deserto Henrico, rem ad Regem Sueciæ trahere conati sunt: sed ubi consentientibus Catholicis, & alium quàm Catholicum Regem ne auribus quidem admittentibus, non satis ad id opum in sese esse senserunt, aliâ viâ solvere consensionem Catholicorum, & studia in Henricum rescindere sunt aggressi. Omnibus cœtibus, consiliisque monebant, hortabanturque multitudinem, ut spretis alienigenis, & externis Regibus, è sua potissimùm gente Rectorem Reipublicæ darent. *Tot esse inter ipsos nobilissimarum familiarum proceres, seu robore, ac dignitate corporis, seu vi, atque præsentiâ animi cuivis exter-*

no

no Regi pares, suæ certè Reipublicæ multò quàm illos peritiores. Deligerent ex his, qui unà secum eâdem disciplina, eodem more, ijsdem sub legibus nutritus, aliusque crevisset, qui hanc terram ut patriam, incolas eius ut ciues suos coleret, non qui Poloniæ Regnum accessionem modò suæ potentiæ existimaret. Maiores suos olim destitutos, ut nunc, Regum stirpe, cùm haud facilè propter multorum ambitionem in unum Principem consentirent, potiùs quàm imperium in se alienigenis crederent, ad Piastum illum non humilis modò, sed etiam sordidæ fortunæ hominem è caupona abstractum, Regnum detulisse; nec ipsos illius, nec Rempublicam posterorum eius, in quibus ad multa sæcula propagatum est Regnum, pœnituisse. Cur ipsi se ultro alieni sanguinis Regi subijcerent, petito ex ijs gentibus, quibus virtute nunquam concessissent? cur suis alienos præferrent, & quorum cognitam, & bello, paceque spectatam industriam haberent, ijs ignotos, & vanis tantùm rumoribus commendatos anteponerent? cur denique Polonicum nomen eâ ignominiâ notarent, idque iudicium propè in conspectu orbis terrarum ferrent, neminem Polonum aptum Regno esse? Advenæ ergo Regi, ignaro legum, ignaro patrij moris, linguæ etiam patriæ experti, dedent se veluti pecora nutu, ac sonitu regenda: quonam modo pari-

turi ei, & dicto audientes futuri sint, quem ne intelligent quidem loquentem? Quænam illi cura custodiendarum legum esse possit, qui leges ipsas ignoret? Ecquid intelligerent cum peregrino Rege peregrina iura, peregrinos ritus, peregrina omnia accipienda esse, & patriam disciplinam, maiorumque instituta, quibus stetisset, in eamque amplitudinem crevisset Respublica, obliviscenda iis esse? Hoc genere orationum hæretici disturbare consilia Catholicorum, aperire spei suæ aditum, & munire sibi ad Regnum viam conabantur; & movissent haud dubiè multitudinem, nisi docta à Principibus fuisset, non posse Regem Polonici generis fieri, nullius enim ita eminere virtutem, fortunamve, cui alii cessuri subiecturique se essent, neque posse in id descendi certamen sine gravi, ac propè certo civilis belli periculo, neque civile bellum sine peste, ac pernicie Reipublicæ excitari. Quæ quidem de ea re disserent, magis verè dici, quàm facta facilia esse. Et eos quidem aliò spectare, quorum cogitatis non pacatâ, & concordi, sed divulsa, ac discrepante Republica opus esset. Et Archiepiscopus Gnesnensis apertiùs in eorum impotentem ambitionem, impudentiamque invectus, qui per hæc sibi ad Regnum, atque ad vanas, quas affectarent, spes, munire viam cona-

rentur: *Quem, inquit, nostrorum putatis alteri cessurum? aut si cederemus in præsentia, quam auctoritatem ad regendos tot populos habiturum novum creditis Regem in privata nuper fortuna conspectum? Semel feliciter insanitum sic à maioribus nostris, qui quò aliquem tandem finem discordijs suis invenirent, quemdam sibi Hultai (hæc vox Polonicè cauponem significat) Regem fecerunt. Non tali rectore Reipublicæ tempora egent, sed cui regio genere orto, regio cultu, regijs artibus instituto, Regi ipsi parere nemo dedignetur.* Sic agi de comitiis est cœptum, in quibus non tam de Rege creando inter Principes, quàm per quos crearetur, certamen fuit, dum quisque hanc facultatem ad suam potentiam trahere studet, & auctor quisque, & Princeps gratiæ apud novum esse vult Regem.

De impia hæreticorum fraude, quam confederationem ipsi appellarunt.

CAPVT VII.

VT quisque sciret quem in locum, quòdque ad tempus ad creandum Regem conventuri essent, (nam suffragii ius vniversa ex æquo Nobilitas toto fusa regno, nullo censu, aut honoris discrimine

mine habet) indicitur ad Kalen. Iunii Varsaviam concilium, in quo consultis ordinibus, ex omnium sententia ea res statuerètur. Et adfuere frequentes Senatus, Equitesque. Disceptatum de vtroque nonnihil est cum Lithuanis, qui, & tempus in Maium mensem reiiciebant, & locum Parzoviam, Lithuaniæ oppidum in finibus Russiæ situm destinabant: de tempore concessum iis est, vt non ante Kalend. Aprilis conveniretur; locum mutari non placuit, designatique iacentes ante Varsaviam campi, quos ab urbe interfluens Vistula dirimit. Hic locus præterquam quòd in ipso propè umbilico est Regni, & inter Polonos, Lithuanosque medius, Commendonus auctor amicis fuerat, vt potissimùm eligeretur, quòd in plenissima Catholicorum provincia esset, nusquam enim Nobilitas ab hęresum contagione, ac labe intactior, quàm in Masovia erat. Quæ res vsu etiam quàm specie vtilior evasit. Masovii enim propinquitate ipsa invitati, frequentissimi comitiis interfuere, quippe quominùs omnes confluerent nemini domestica inopia impedimento fuit, cùm ex remotioribus Regni partibus, nonnisi quibus commoda domi res esset, venire per se facilè possent. Ita ipso quoque numero suorum Catholicis animi addebantur, loco dieque habendis

bendis comitiis dicta, aliisque quæ præsens exigere tempus est visum constitutis, discesserant Varsaviâ domum quisque suam, priusquàm dimitteretur concilium, plerique Principum. At hæretici, quibus in exigua spe Regis creatio ex suo corpore esset, nec dubitarent, quin superantibus Catholicis, arbitratu eorum sibi accipiendus Rex esset, occultissima inter se consilia habuerant, quonam modo sibi, sectisque, ac rationibus suis caverent, vt si novus Rex patriis legibus, quas severissimas adversus desertores Catholicæ pietatis Poloni habent, agere secum, & se pœnis, quæstionibusque, quas eædem leges iubent, subiicere vellet, ne posset. Et cùm hæ leges vt abrogarentur, postulare ipsis quoque impudens videretur, viam quâ furtim eòdem pervenirent, & legum vis sine legum mentione eluderetur, callidè excogitatam inierunt. Primùm ipso concilii initio, ne legationes exterorum ullæ eo tempore Varsaviam accederent, quarum interventus, ambitusque consultantibus de sua Republica moræ, atque impedimento esset, suaserunt, quando eas Aprili mense sub ipsum comitiorum tempus audire antè decretum fuisset; idque ab omnibus est probatum, nemine subesse fraudem suspicante: sed illi eò scilicet spectarunt, ne Commendonus

tum Varsaviæ adesset, quem occulta quoque eorum acutè odorari, ac remediis prævertere solitum scirent. Deinde abeuntibus aliis ipsi infrequentiam Senatûs, & Catholicorum aptiorem doloso consilio arbitrati, dum à Magistratibus conventus dimitteretur, de industria pænè omnes restiterunt. Cùm ergo de publica pace custodienda actum esset, decretumque vt publicè conspiraretur, & omnes se chirographo suo, & iureiurando obligarent pro hoste patriæ habituros quicumque alteri vim attulisset: hæretici ipsi fœderis huius formulam conscripserunt, cæteris rebus sanè tempori accommodatam, & magnam mutuæ charitatis, & benevolentiæ speciem, & egregium studium concordibus animis Rempublicam administrandi præferentem. Sed unum erat caput, quo illis in perpetuum cavebatur, & ne cui nouam asciviße religionem, ad novasque doctrinæ, ac sacrorum rationes animum traduxisse fraudi esset, sciscebatur, sed cuique de divinis rebus sentiendi, Deumque quibus placeret ritibus, ceremoniisque (dum purè, casteque) colendi ius, ac potestas esset. Atque hanc impietatem verbis adeò aptis occulerant, vt aliqui dulci pacis, & concordiæ nomine decepti prius nomen suum decreto adscripserint, quàm dolum animadverterint. Cùm depre-

deprehensa res esset, ægrè tamen Episcopis, qui in concilio aderant, postulantibus concessum est spatium ad decreti capita inspicienda, tanto impetu, clamoreque hæretici, vt perscriberetur, institerunt: vociferabantur, denunciabantque nunquam passuros comitia creando Regi haberi, nisi prospectum foret sibi, vt tutò in communi patria vivere liceret; identidem quærentes, an crederent se expectaturos, dum eâdem fraude, qua nuper in Gallia Gaspar Colinius, totque cum eo præstantes viri cæsi essent, circumvenirentur? Atque adeò exarserunt, minas, arma, bellum abnuentibus intentantes, ut haud procul à vi, atque seditione res abfuerit. Episcopi magis se impelli ad rem nefarii exempli probandam non sunt passi, quàm pro suo munere fortiter tam impia audentibus obstiterunt, & veriti turbas, alii venire in Senatum recusarunt, alii Varsavia domum discesserunt. Iacobus Vcangius Archiepiscopus Gnesnensis, & Ordinis sui, & Senatûs princeps, de cuius ingenio, moribusque suprà à nobis est memoratum, biduum dari sibi ad deliberandum rogavit, fassus sibi nihil satis liquere, & variè distrahi, impellique animum suum. Haud inviti hæretici morem Vcangio gessere, satis sperantes, quia is proni in eorum causam animi multa sæpè

signa

signa dedisset, metuque magis quàm sponte à nudanda sententia hactenus se abstinuisset, nactum tempus fauturum postulatis suis, adiutoremque futurum. Catholici idem magnopere timebant; siquidem ipsam dubitationem in tali re, quid aliud, quàm manifestam defectionem esse? & cùm talium consiliorum ex superiori vita auctorem, ac ducem, non solùm approbatorem iure timere videbantur posse, & magnum erat periculum, ne si ille gratificatus hæreticis fuisset, grave aliquod, atque insanabile vulnus Respublica acciperet. Aderam ego tum Varsaviæ à Commendono missus, ut quoniam venturus ipse ad id concilium non esset, ad plerosque Principum mandata eius perferrem, & præsens quæ ut publicè statuerentur, cognoscerem, aut privatim de futuro Rege quæ agitarentur, explorarem; cùm ad cæteros Episcopos, Catholicosque Senatores, cùm maximè ad Archiepiscopum in tam ancipiti re adivi, simul excitans eos ad muneris sui partes, simul quò scirent omnes, quod quisque aut dixisset, aut egisset, perscripturum me omnia ad Commendonum esse, ut saltem aliquâ eius verecundiâ continerentur. Ac Vcangius quidem mecum commodissimè est locutus. Cùm tertiâ inde die in Senatum serus, postremusque

musque omnium venisset, & alii aliter quid acturus quamque sententiam dicturus esset, opinarentur, & hæretici spe omnes, & expectatione penderent, ipse orationem habuit, nequaquam illius Vcangii, qui occasiones novandi, turbandique res captasset, qui Pontificibus Maximis obtrectasset, qui nationale concilium machinatus esset, qui Fritium hæreticum domi suæ in præcipuo honore habuisset, qui capita cum hæreticis sæpè contulisset; sed veræ pietatis, atque constantiæ plenissimam, qualis ab Stanislao Cracoviensi Episcopo, qui mortem pro fide, ac religione oppetiit, ac in Divorum numerum sanctitate, ac miraculis referri meruit, si viveret, expectanda fuisset. Adeò nostræ mentes in manu sitæ sunt Dei, & ubi paulum à contagione humanarum cupiditatum sevocatæ, ad ipsum se Deum studio veri verterunt, nunquam non eius sanctissimo numine ad cognitionem sui illustrantur. *Deliberatum à se diu, multumque esse dixit, ut de re tanta maturum consilium patriæ suæ afferret, sacrificatum item ab eodem se, ac preces ad Deum factas, sacratas Virgines, ac singula sacerdotum collegia ad id appellata, omni cibo præterquàm quo sustentari tenue corpus suum potuerit temperatum, pecunias huius rei causâ egentibus distributas,*

tas, omnia denique piè ac religiosè peracta; quibus placari cæleste numen, ab Deoque impetrari posse speravit, ut quod facti optimum in tali re, quodque cum sua, & patria salute coniunctum esset, sibi divino prælato lumine demonstraret. Postremò adhibitum amicorum fidelissimum, ac prudentissimum quemque, nec denique aliud eo biduo pervolutum, agitatumque animo ab se esse. Tandem ita apud se statuisse salva fide, quam Deo homines debent, neminem posse ei fœderi, decretoque assentiri, quo Dei maiestas, ac numen gravissimè violaretur. Quid enim aliud esse tantùm novarum, ac pravarum religionum admittere, quàm totam funditus evertere, ac tollere Christianæ pietatis rationem? divina, humanaque confundere, & Christi Dei cultum, unicam salutis mortalium spem, opem, columen, sine quo constare boni, rectique ratio non potest, è vita auferre? An ergo si Mahometanus, atque adeò Epicureus, omnisque religionis contemptor aliquis existat, quales gigni ab tali impunitate necesse esset, ne hos quidem coercere legibus liceat? istis quoque sua sentiendi licentia inulta maneat? An concipere animo tantum impietatis virus potuit quisquam, ista ut postulentur? Multa in hanc sententiam cùm dixisset, & quæsisset etiam ab iis, & quid crederent stare Poloniæ Regnum, hâc per-

permiſsâ, & publico decreto ſancitâ licentiâ poſſe? & an eam perdendæ communi libertati, ac Reipublicæ penitus diſſolvendæ eſſe intelligerent? *Teſtatus poſtremò eſt, ita hanc animo ſtare ſententiam, ut dexteram amputari potiùs ſibi eſset paſſurus, quàm eam ad nomen ſuum huic decreto adſcribendum admoturus, nec ſolùm dexteram, ſed ſi res ferat caput ipſum gladijs non dubitanter obiecturum. Quid enim ſeni exacta iam ætate, aut ſalutarius, aut glorioſius evenire poſse quàm pro patria, pro fide ſua, pro ſacris, pro religione mortem occumbere? & vitam quæ naturæ propediem exolvenda eſset, pro civium ſuorum ſalute, ac pro Dei cultu Deo ipſi repræſentare.* Hæc dicens cùm hæreticorum clamoribus, miniſque inceſſeretur, adeò furori eorum violentiæque non ceſſit, ut in publicas tabulas referri decretum vetuerit, & quia per vim relaturi videbantur, ipſe ex ſua reliquorumque Epiſcoporum, ac totius Eccleſiaſtici Ordinis, & Catholicorum omnium auctoritate id decretum contra Rempublicam paucorum conſpiratione, ac fraude conflatum eſſe edixit, edictumque in publicas referri tabulas iuſſit. Idem poſtea factum in ſingulis provinciarum conventibus ab Catholicis eſt; ita illa hæreticorum coniuratio nihil publicæ auctoritatis traxit. Vcangium
cùm

cùm ego post dimissum Senatum domi convenissem, collaudaremque eum, & eximiam constantiæ, ac pietatis gloriam, quam ea die nomini suo peperisset, illi gratularer, fassus agitatum opinionibus diu animum suum tandem in commonstrata sibi divinitus veritate conquievisse, ab illa approbanda conspiratione, visis etiam, atque in somniis se deterritum fuisse affirmavit. Hæc hæreticorum conspiratio, cui ipsi confederationis indidere nomen, incredibile dictu est, quantum diligentiæ, studiique à Commendono positum sit, ut antiquaretur & confutaretur, & in quantam invidiam, execrationemque id factum apud omnes, scriptis etiam, & vulgatis ea de re alieno nomine libellis, vocaverit.

De adventu Commendoni Varsaviam, & consilio illi in castris dato.

CAPUT VIII.

Appetente deinde vere Commendonus Varsaviam venire maturavit, & Episcopos, & aliquot Catholicorũ Principes, ut idem facerent per litteras monuit, quo spatium communicandis consiliis haberent, antequam advenirent alii, & æstu comitiorum occuparentur ani-

animi. Cùm plerique in tempore adfuiſſent, omnes in domum ſuam coactos magnoperè hortatus eſt, vt animo, atque religione quantùm magnitudo rei, & abhorrens à Chriſtiano nomine ſcelus hæreticorum poſceret, ad reſiſtendum impiæ coniurationi ſe compararent. Acceperat enim hæreticos, niſi ei fœderi Catholici aſſentirentur, morituros ſe potiùs quàm comitia haberi, & Catholicum Regem creari paſſuros, ferociter minari. Epiſcopi, cæterique pro ſe quiſque polliciti ſunt daturos operam, ne eorum officium in re maximè fidem Chriſtianæ pietatis attingente deſideraret. Convenit autem, vt totum negotium conſtanter quidem, ſed leniter, amanterque temporis cauſa tractaretur, ne ſi in hæreticos ab ipſis pari impetu itum eſſet, ea contentio in periculoſam aliquam ſeditionem erumperet, comitiaque impediret; ſinendo eos incaſſum furere, quàm obiiciendo ſe furentibus tutiùs conatus eliſuros. Privatis inde colloquiis ſingulorum, de futuro Rege ſenſus explorans, præter admodum paucos Henrici eſſe omnes intellexit. Atque ipſe iam antè ſicuti ſponte ſua, dum licuit, & integrum fuit, rem ad vnum è Maximiliani filiis trahere fuerat conatus, maximè è communi re vtriuſque gentis id eſſe exiſtimans, ita defectione

ab

ab eo, & inclinatione in Henricum perspectâ contraxerat vella, intelligens sibi ita moderandum esse, vt neque nimium pro Cæsare tendendo, adversa studia multitudinis incurreret, neque damnando Gallorum spes refragari favori in Henricum crederetur, cuius nomen non gloria solùm bellicæ virtutis ex victis ter iusta acie, profligatisque magnis hæreticorum copiis commendabat, sed Catholicæ religionis eximiæ laudes illi omnium consensu tribuebantur. Et Commendono vitanda omnis animi vllis infecti partibus suspicio erat, nec vltrà quàm vt Catholicus Rex crearetur, Pontificis Maximi communis Christianorum Regum parentis Legato curæ esse videbatur debere, & repulso Cæsare, si Henricus quoque spe deiiceretur, nullus qui fieri posset, Catholicus alius è petentibus erat. Igitur vbi labefactatam, convulsamque petitionem Maximiliani sensit, quà alienatione gentis ab eo, quà cunctatione, atque erratis ipsius, timens iam ne hæreticis inter Ernesti, Henricique contentionem locus è suis aliquem intrudendi daretur, subsequi suo quoque studio rem ad Henricum inclinatam statuerat, eaque res Catholicis, qui iam ad Gallum flexerant animos, ac perinviti tamen Commendono non obsequebantur oppidò quàm grata

fue-

fuerat, quos quidem ille dum de Cæsare non desperaret, & temerè concitatis in Henricum studiis haud satis fideret, retentare non destiterat. Cùm ergo quò multitudinis aura ferret, eò Principum studia sequerentur, nec qui inclinatos retineret, ampliùs esset, quin Henricum renunciaturi Regem essent, haud sanè dubium videbatur. Venere & Cæsaris Legati Varsaviam frequenti iam conventu, ac posterâ die ad Commendonum adiere, expositisque quæ mandata à Cæsare habebant, quæque post adventum suum in Poloniam egissent, & maximè tarditate excusatâ, petierunt ab eo, vt quorum antea comparaverat studia, eos in fide Cæsaris retineret, & se ad reliqua consilio, atque operâ juvaret. Commendonus neutrâ re se iis defuturum pollicitus; vereri se tamen ostendit, ne serus esset jam omnis conatus; siquidem & multitudo cuncta arbitrii sui fecisset, & Principes cum aliis alii de suis rebus transegissent, quos sicuti ipse quandiu licuit hortando, monendoque, & spem ostentando variè sustinuerat, ita certis pactorum vinculis, & inter se obstrictos, & competitoribus obligatos, vix sperandum videri à decreta, constitutaque sententia eos revocari posse. Iam frequens undique toto Regno Nobilitas armata, proceresque magnis ami-

corum, clientumque comitatibus convenerant, positisque in campo antè habendis comitiis delecto tabernaculis omnia castrorum similia fecerant. Nec gladiis modò succincti omnes vagabantur, sed gregatim armati cum hastis, sclopis, sagittis, aliisque telis incedebant, & quidam præter armatorum præsidia, bombardarum quoque, ac bellicorum tormentorum apparatum, quo se communirent, adduxerant, ad bellum euntium magis, quàm ad comitia, civilemque conventum venientium more; prorsus ut ad invadendum alienum, non ad suum dandum Regnum venisse viderentur. Speciem certè præbuerunt, tanquam vi, atque armis, non sententiis, ac suffragiis decreturi eventum illorum comitiorum essent. Nec sanè quicquam mirabilius nobis visum, quàm quòd inter inter tot armatorum agmina, in tanta omnium rerum impunitate, cùm nullum ius legum, nulla magistratuum auctoritas esset, non cædes ulla facta, non strictus gladius, non ulla ultra verborum certamen contentio, rixave sævierit; adeò gens sui sanguinis abstinens est, & civili dissidio, quod armis decernendum sit, abhorret. Ante omnia placuit legationes audiri, contendentibus hæreticis, ut inde protinus dato responso extra fines Regni summoverentur, ne

comi-

comitiorum libertati exterorum ambitus, & corruptelæ officerent. Alii, aut retinendos Varsaviæ omnes, aut si utique abesse comitiis placeret, Legatos, qui ad petendum Regnum venissent, dimittendos in proximas urbes, ubi hospitaliter, ac benignè habiti creationem novi Regis opperirentur, censebant. Atque hæc accepta sententia est, quà haud fefellit hæreticos Commendonum Varsaviæ retineri, itaque nominatim de eo retulerunt, negantes libera comitia fore, si unus ille adfuisset, qui tametsi nemini peteret palam Regnum, neminem tamen ignorare plurimum momenti allaturum, quocumque favor eius inclinasset, ac ne reliquiis quidem Reipublicæ consultationibus, præsentiam, auctoritatemque illius non magnum pondus, quâ intendisset addituram; & maximè Episcopos notantes, Gallinas super instantem Aquilam formidantes appellabant, eiusque respectu nec liberas sententias dicere solitos, nec libera suffragia laturos criminabantur, ac in Senatu eorum interdum dicta refellentes, ea non domi concepta, sed aliunde afflata, ac tales non apud se nasci, sed ab Italia flare ventos, Commendonum designantes, dictitabant: sed Catholicis decretum tuentibus nihil est immutatum. Ad VI. Id. Aprilis omnium primò Sena-

tus Commendono est datus, deduxere eum domo, missi à Senatu tres Episcopi, ac totidem alterius ordinis Senatores, & multi præterea privati officii causâ principes Nobilitatis. Senatus iisdem in castris ultra Vistulam, quam sublicio ponte junxerant, habebatur, tenso ad id in media planitie regio ingenti tabernaculo, Commendonum è curru, quo vectus erat, descendentem, ante tentorium Palatinus Cracoviensis, & Cotchevicius accepere, alter Poloniæ, alter Lithuaniæ Marescialus; sic enim ipsi eum magistratum, magnâ præditum potestate appellant. Ii, quod officium uni Regi præstare consueverunt, cum baculis Commendonum antecedentes, turbam ei summoverunt; cui intranti tabernaculum, consurgens universus Senatus obviàm est factus. Ipse ad principem sedendi locum deductus, claudentibus latera hinc Gnesnensi Archiepiscopo, hinc Cracoviensi Episcopo, consedit; idem Senatus fecit, circumfusâ nobilium multitudine, quantam capere locus poterat. Silentio facto litteras Pontificis Maximi Senatui reddidit, quibus recitatis, ipse orationem est exorsus, in qua non solum de Rege Catholicæ fidei cultore creando disseruit, sed etiam de inita ab hæreticis adversus eam fidem societate, verba fecit, quàm ea à Christiani

ni

ni animi ſenſu, ac religione abhorreret, oſtendens. Id verò adeò conſpirationis auctores pupugit, ſummo ſilentio, attentiſque audiri animis eum cernentes, ut Palatinus Sandomirienſis contineri, quin dicentem interpellaret, non potuerit. Quo cum honore appellato, *Tu verò, inquit, Legati officium tranſgreſſus, Conſiliarij, ac Senatoris partes agere videris. Quæſumus te, ut Reipublicæ noſtræ, quæ utilia, aptaque ſint indicare nos ſinas, neque tu curioſiùs te in noſtras res, quàm peregrinum decet, intrudas, ſed tantùm ſi qua à Pontifice mandata habes ea exequare.* Sub eam vocem conſurrexere univerſi Catholici Senatores, fremituſque increpantium, & ſilere Palatinum iubentium, undique eſt ortus, tantaque indignatio circumfuſæ Nobilitatis fuit, ut minæ, conviciaque iactarint in hæreticos, & proſilientes è ſedibus ſuis Cotchevicius, & Laſchius manum ad gladii capulum iniecerint, ſecutuſque periculoſus aliquis tumultus foret, niſi, & ille conticuiſſet, & Commendonus rem minimè ad offenſam, iniuriamque vertiſſet, ſed manu, vultuque aquè ac antea pacato, nec ullam in partem commoto conſidere, & conquieſcere omnibus iuſſis converſus ad Sandomirienſem, *Neque ego, inquit ſubridens, me ipſum, neque muneris mei of-*

debere aiebant. Ita Fassardus, ne concessisse Gallis videri posset, Senatu non convento domum discessit, & post Cæsaris Legatos Galli introducti sunt, ac deinceps aliæ ordine auditæ legationes. Datis singulis brevibus responsis, paucos post dies Senatusconsultum afferri ad eos iusserunt, quo omnes abire Varsaviâ, atque alibi comitiorum opperiri eventum iubebantur, editisque urbibus in quas cuique decedendum esset, Germani Lovitium, Galli Plotiam profecti sunt. Tum iterum hæretici à Senatu postularunt, cum Commendono ageretur, ut extra Varsaviam aliquò & ipse secederet, eosque pateretur rem suam publicam sine externis arbitris agere; nam neque comitiorum libertati cuiusquam debere auctoritatem officere, & alios Legatos inde summotos se minùs ægrè esse laturos, si ipse quoque discessisset; contradicentibus Catholicis. Cùm quotidie de ea re altercaretur, nec aliud æquè Senatum distineret, Commendonus ne quid causæ publicis dissensionibus ex se oriretur, Varsaviæ me relicto, ipse Schernovitiam bidui inde itinere se recepit. Post discessum eius cupientibus omnibus, ut omissis aliis habendi comitia initium fieret; hæretici, ut priùs leges communi libertati firmandæ, ac minuendo regio imperio novæ ferrentur, veteres inspi-

inſpicerentur, & ad Reipublicæ uſum, tempuſque corrigerentur, ſummâ ope niſi ſunt. Hac ſpecie publici juris ordinandi, abrogare, aut infirmare antiquas de hæreticis leges cupientes,& acceſſurum eorum licentiæ rebantur, quicquid detractum Regiæ poteſtati foret: Atque altiùs etiam cogitationem intendentes, ſi Regem ſuo jure diſpoliaſſent, exteros Principes putabant petitione abſtituros, ita ipſis ſpes ſuas proceſſuras. Huic conatui Catholici repugnabant: atque hæc plures dies contentio tenuit, hæreticis id quoque ſtudio agentibus, ut tempus fruſtrà tereretur, ſic aut diſſoluturos, quod præoptabant, ſine ullo effectu comitia ſperantes, aut Catholicorum frequentiam tædio diuturnæ moræ diminutam iri. Sed Maſovii, quorum numerus ingens ad comitia venerat, cœtu ſuorum coacto negotium dederunt uni è popularibus ſuis, nomine Coſſobutio, homini diſerto, atque induſtrio, hæreticos refutandi, & palam in concione, quæ fraus in eorum ficto libertatis ſtudio lateret, aperiendi. Quod ab eo copiosè, atque accuratè pro ſua fide, cùm eſſet factum: denunciavit inde Senatui, ni cæteris omiſſis rebus de Rege creando, cuius unius rei gratiâ id coactum concilium eſſet, ageretur, Equites ſibi, ac Reipublicæ, quæ

Legatorum, & vanitatem promissorum irrisit, quæ tanta, atque eius generis esse dixit, quæ ne si velint quidem Galli præstare possint. Efflagitantibus inde omnibus, ut promeret tandem, quem tantopere oratione extulisset, Ernestum, adeò aversis omnium auribus nominavit, ut vulgus Henricum nudum, & nihil eorum, quæ Legati polliciti essent, præstantem, quàm quemvis alium aureos montes afferentem, malle se fremeret. Tum Volscius unus Senatorum, quæ dicta ab Episcopo erant, vehementer refutavit, & multis invidiosè in Austriam familiam coniectis, illam ipsam propinquitatem, opportunitatemque paternorum Regnorum, illas ipsas opes, & affinitates, quas Miscovius in præsidio, atque ornamento Poloniæ ponebat, opprimendæ eorum libertati fore, si Ernestum sibi Regem imponi paterentur, disseruit. Henricum deinde laudibus ferens, non Regium solùm genus, sed Regiam indolem, humanitatem, liberalitatem, bellicæ rei scientiam, victorias, decoraque bello parta magnificè percensuit. Atque in huius sententiam adeò discessum ab omnibus est, ut perseverantem Episcopum in sua, ad extremum etiam familiares, & domestici ministri desererent. Tantùm præjudicata opinio ad multitudinis animos impellen-

pellendos valet, ut in Ernesto, quæ amplificando ornandoque Poloniç Regno haud dubiè erant, patris, & familiæ opes, eas ad invidiam, suspicionemque tyrannidis verterent; de Henrico etiam, quæ ab ipsis Galliæ Legatis jactata, quæque vanus distulerat rumor, credita pro veris omnia, penitusque accepta sint. Sic quæ allicere, ac pertrahere ad Ernestum rem debuerant propinquitas, & mutua finitimorum Regnorum opportunitas, & ipse adolescens visus, cognitusque multis, ea maximè avertere; Henrico ipsum intervallum tot interjectarum provinciarum, quod maximè nociturum petitioni suæ ipsi crediderunt Galli, solum propè rem juvit. Regem enim longè ab domo petitum, nec ullis propriis, quas in promptu habiturus esset, opibus, & quæ de ipsius laudibus fautores dispersferant, iis vim, fidemque longinquitas addidit, natura famæ, quæ fluminum instar quo longiùs à fontibus labuntur, & majores eundo vires colligunt, cuncta in majus ex longinquo affert. Etsi ex omnibus tribubus pars longè maxima Henricum Regem dixerat; tamen quia & Ernestum quosdam, quosdam Sueciæ Regem, haud negligendum numerum Piastum postulasse constabat, quo in unum ab omnibus consentiretur, placuit de singulis iis ad Senatum referri.

Cum

Legatorum, & vanitatem promissorum irrisit, quæ tanta, atque eius generis esse dixit, quæ ne si velint quidem Galli præstare possint. Efflagitantibus inde omnibus, ut promeret tandem, quem tantopere oratione extulisset, Ernestum, adeò aversis omnium auribus nominavit, ut vulgus Henricum nudum, & nihil eorum, quæ Legati polliciti essent, præstantem, quàm quemvis alium aureos montes afferentem, malle se fremeret. Tum Volscius unus Senatorum, quæ dicta ab Episcopo erant, vehementer refutavit, & multis invidiosè in Austriam familiam coniectis, illam ipsam propinquitatem, opportunitatemque paternorum Regnorum, illas ipsas opes, & affinitates, quas Miscovius in præsidio, atque ornamento Poloniæ ponebat, opprimendæ eorum libertati fore, si Ernestum sibi Regem imponi paterentur, disseruit. Henricum deinde laudibus ferens, non Regium solùm genus, sed Regiam indolem, humanitatem, liberalitatem, bellicæ rei scientiam, victorias, decoraque bello parta magnificè percensuit. Atque in huius sententiam adeò discessum ab omnibus est, ut perseverantem Episcopum in sua, ad extremum etiam familiares, & domestici ministri desererent. Tantùm præjudicata opinio ad multitudinis animos impellen-

pellendos valet, ut in Ernesto, quæ amplificando ornandoque Poloniæ Regno haud dubiè erant, patris, & familiæ opes, eas ad invidiam, suspicionemque tyrannidis verterent; de Henrico etiam, quæ ab ipsis Galliæ Legatis jactata, quæque vanus distulerat rumor, credita pro veris omnia, penitusque accepta sint. Sic quæ allicere, ac pertrahere ad Ernestum rem debuerant propinquitas, & mutua finitimorum Regnorum opportunitas, & ipse adolescens visus, cognitusque multis, ea maximè avertere; Henrico ipsum intervallum tot interjectarum provinciarum, quod maximè nociturum petitioni suæ ipsi crediderunt Galli, solum propè rem juvit. Regem enim longè ab domo petitum, nec ullis propriis, quas in promptu habiturus esset, opibus, & quæ de ipsius laudibus fautores disperserant, iis vim, fidemque longinquitas addidit, natura famæ, quæ fluminum instar quo longiùs à fontibus labuntur, & majores eundo vires colligunt, cuncta in majus ex longinquo affert. Etsi ex omnibus tribubus pars longè maxima Henricum Regem dixerat; tamen quia & Ernestum quosdam, quosdam Sueciæ Regem, haud negligendum numerum Piastum postulasse constabat, quo in unum ab omnibus consentiretur, placuit de singulis iis ad Senatum referri.

Cum

Legatorum, & vanitatem promissorum irrisit, quæ tanta, atque eius generis esse dixit, quæ ne si velint quidem Galli præstare possint. Efflagitantibus inde omnibus, ut promeret tandem, quem tantopere oratione extulisset, Ernestum, adeò aversis omnium auribus nominavit, ut vulgus Henricum nudum, & nihil eorum, quæ Legati polliciti essent, præstantem, quàm quemvis alium aureos montes afferentem, malle se fremeret. Tum Volscius unus Senatorum, quæ dicta ab Episcopo erant, vehementer refutavit, & multis invidiosè in Austriam familiam coniectis, illam ipsam propinquitatem, opportunitatemque paternorum Regnorum, illas ipsas opes, & affinitates, quas Miscovius in præsidio, atque ornamento Poloniæ ponebat, opprimendæ eorum libertati fore, si Ernestum sibi Regem imponi paterentur, disseruit. Henricum deinde laudibus ferens, non Regium solùm genus, sed Regiam indolem, humanitatem, liberalitatem, bellicæ rei scientiam, victorias, decoraque bello parta magnificè percensuit. Atque in huius sententiam adeò discessum ab omnibus est, ut perseverantem Episcopum in sua, ad extremum etiam familiares, & domestici ministri desererent. Tantùm præjudicata opinio ad multitudinis animos impellen-

pellendos valet, ut in Ernesto, quæ amplificando ornandoque Poloniæ Regno haud dubiè erant, patris, & familiæ opes, eas ad invidiam, suspicionemque tyrannidis verterent; de Henrico etiam, quæ ab ipsis Galliæ Legatis jactata, quæque vanus distulerat rumor, credita pro veris omnia, penitusque accepta sint. Sic quæ allicere, ac pertrahere ad Ernestum rem debuerant propinquitas, & mutua finitimorum Regnorum opportunitas, & ipse adolescens visus, cognitusque multis, ea maximè avertere; Henrico ipsum intervallum tot interjectarum provinciarum, quod maximè nociturum petitioni suæ ipsi crediderunt Galli, solum propè rem juvit. Regem enim longè ab domo petitum, nec ullis propriis, quas in promptu habiturus esset, opibus, & quæ de ipsius laudibus fautores dispersserant, iis vim, fidemque longinquitas addidit, natura famæ, quæ fluminum instar quo longiùs à fontibus labuntur, & majores eundo vires colligunt, cuncta in majus ex longinquo affert. Etsi ex omnibus tribubus pars longè maxima Henricum Regem dixerat; tamen quia & Ernestum quosdam, quosdam Sueciæ Regem, haud negligendum numerum Piastum postulasse constabat, quo in unum ab omnibus consentiretur, placuit de singulis iis ad Senatum referri.

Cum

tus Commendono est datus, deduxere eum domo, missi à Senatu tres Episcopi, ac totidem alterius ordinis Senatores, & multi præterea privati officii causâ principes Nobilitatis. Senatus iisdem in castris ultra Vistulam, quam sublicio ponte junxerant, habebatur, tenso ad id in media planitie regio ingenti tabernaculo, Commendonum è curru, quo vectus erat, descendentem, ante tentorium Palatinus Cracoviensis, & Cotchevicius accepere, alter Poloniæ, alter Lithuaniæ Marescialllus; sic enim ipsi eum magistratum, magnâ præditum potestate appellant. Ii, quod officium uni Regi præstare consueverunt, cum baculis Commendonum antecedentes, turbam ei summoverunt; cui intranti tabernaculum, consurgens universus Senatus obviàm est factus. Ipse ad principem sedendi locum deductus, claudentibus latera hinc Gnesnensi Archiepiscopo, hinc Cracoviensi Episcopo, consedit; idem Senatus fecit, circumfusâ nobilium multitudine, quantam capere locus poterat. Silentio facto litteras Pontificis Maximi Senatui reddidit, quibus recitatis, ipse orationem est exorsus, in qua non solum de Rege Catholicæ fidei cultore creando disseruit, sed etiam de inita ab hæreticis adversus eam fidem societate, verba fecit, quàm ea à Christia-

ni animi sensu, ac religione abhorreret, ostendens. Id verò adeò conspirationis auctores pupugit, summo silentio, attentisque audiri animis eum cernentes, ut Palatinus Sandomiriensis contineri, quin dicentem interpellaret, non potuerit. Quo cum honore appellato, *Tu verò, inquit, Legati officium transgressus, Consiliarij, ac Senatoris partes agere videris. Quæsumus te, ut Reipublicæ nostræ, quæ utilia, aptaque sint iudicare nos sinas, neque tu curiosiùs te in nostras res, quàm peregrinum decet, intrudas, sed tantùm si qua à Pontifice mandata habes ea exequare.* Sub eam vocem consurrexere universi Catholici Senatores, fremitusque increpantium, & silere Palatinum iubentium, undique est ortus, tantaque indignatio circumfusæ Nobilitatis fuit, ut minæ, conviciaque iactarint in hæreticos, & prosilientes è sedibus suis Cotchevicius, & Laschius manum ad gladii capulum iniecerint, secutusque periculosus aliquis tumultus foret, nisi, & ille conticuisset, & Commendonus rem minimè ad offensam, iniuriamque vertisset, sed manu, vultuque aquè ac antea pacato, nec ullam in partem commoto considere, & conquiescere omnibus iussis conversus ad Sandomiriensem, *Neque ego, inquit subridens, me ipsum, neque muneris mei of-*

ficium, quale sit, ignoro, & idipsum quod tu mones, ago, ut Pontificis Maximi mandata exponam, neque enim ille magis de Rege, quàm de vobis, deque vestra Republica, ut salva, florensque sit, laborat, neque ego ex hoc loco tecum, aut sigillatim cum illo, sed universè cum omnibus loquor: quòd si ipse Senator non sum, ne tu quidem Senatus. Perrexit inde quæ cœperat adeò non interrupto ordine orationis, ut ne verbum quidem ullum exciderit eorum, quæ dicturus erat, auditusque est summo omnium silentio. Nos, quo res notior esset, ipsam orationem eius subijceremus, nisi ea exscripta, editaque in vulgus, legere cupientibus pateret.

De comitijs habitis, & Henrico Rege creato.

CAPVT IX.

CVM hæc Commendonus peroraffet, à Senatus Principes in medium tentorium coivere, & pauca inter se collocuti, ad suum quisque locum rediere. Tum consurgens Archiepiscopus Gnesnensis Senatus nomine Pontifici Maximo, & Commendono gratias egit, quòd Poloniæ salutis tantam curam gererent, daturumque operam Senatum dixit, vt à consiliis, monitisque eius paternæ benevolentiæ,

atque

atque officii plenis, ne discederet. Post hæc Commendonus discessit, prosequente usque ad currum universo Senatu, præter illum ipsum Sandomiriensem interpellatorem, & paucos hæreticos. Qui quidem Sandomiriensis, & gravissimis postea verbis est à Senatu obiurgatus, & magnæ ea res invidiæ illi fuit. Contrà Commendono moderatio animi ingentem gratiam apud omnes ordines conciliavit. Neque enim dubitabant, nisi ille rem tam lentè, leniterque accipiendo, sedasset, eà die turbari comitia, & cædis initium fieri, & magnam discordiarum flammam excitari potuisse. Quod periculum impotentiâ, ac temeritate Sandomiriensis contractum, unam avertisse Commendoni gravitatem,& constantiam prædicabant. Posterâ die auditi Cæsaris Legati, à duobus Senatoribus, Palatino Lublinensi, & Castellano Gedanensi deducti. Hi antea magnoperè contendentant, ut Petrus quoque Fassardus Hispanus Philippi Regis Legatus, qui ad commendandum Ernestum venerat, unà in Senatum introduceretur, quòd & unà venisset, & eadem mandata afferret, nec in ea re separatim quicquam à Cæsare Philippus esset acturus: sed impetrare nequiverunt contrà tendentibus Galliæ Regis Legatis, qui se loco præstare, & Hispano præferri

debere aiebant. Ita Faffardus, ne concessisse Gallis videri posset, Senatu non convento domum discessit, & post Cæsaris Legatos Galli introducti sunt, ac deinceps aliæ ordine auditæ legationes. Datis singulis brevibus responsis, paucos post dies Senatusconsultum afferri ad eos iusserunt, quo omnes abire Varsaviâ, atque alibi comitiorum opperiri eventum iubebantur, editisque urbibus in quas cuique decedendum esset, Germani Lovitium, Galli Plotiam profecti sunt. Tum iterum hæretici à Senatu postularunt, cum Commendono ageretur, ut extra Varsaviam aliquò & ipse secederet, eosque pateretur rem suam publicam sine externis arbitris agere; nam neque comitiorum libertati cuiusquam debere auctoritatem officere, & alios Legatos inde summotos se minùs ægrè esse laturos, si ipse quoque discessisset; contradicentibus Catholicis. Cùm quotidie de ea re altercaretur, nec aliud æquè Senatum distineret, Commendonus ne quid causæ publicis dissensionibus ex se oriretur, Varsaviæ me relicto, ipse Schernovitiam bidui inde itinere se recepit. Post discessum eius cupientibus omnibus, ut omissis aliis habendi comitia initium fieret; hæretici, ut priùs leges communi libertati firmandæ, ac minuendo regio imperio novæ ferrentur, veteres
inspi-

inſpicerentur, & ad Reipublicæ uſum, tempuſque corrigerentur, ſummâ ope nixi ſunt. Hac ſpecie publici juris ordinandi, abrogare, aut infirmare antiquas de hæreticis leges cupientes,& acceſſurum eorum licentiæ rebantur, quicquid detractum Regiæ poteſtati foret: Atque altiùs etiam cogitationem intendentes, ſi Regem ſuo jure diſpoliaſſent, exteros Principes putabant petitione abſtituros, ita ipſis ſpes ſuas proceſſuras. Huic conatui Catholici repugnabant: atque hæc plures dies contentio tenuit, hæreticis id quoque ſtudio agentibus, ut tempus fruſtrà tereretur, ſic aut diſſoluturos, quod præoptabant, ſine ullo effectu comitia ſperantes, aut Catbolicorum frequentiam tædio diuturnæ moræ diminutam iri. Sed Maſovii, quorum numerus ingens ad comitia venerat, cœtu ſuorum coacto negotium dederunt uni è popularibus ſuis, nomine Coſſobutio, homini diſerto, atque induſtrio, hæreticos refutandi, & palam in concione, quæ fraus in eorum ficto libertatis ſtudio lateret, aperiendi. Quod ab eo copiosè, atque accuratè pro ſua fide, cùm eſſet factum: denunciavit inde Senatui, ni cæteris omiſſis rebus de Rege creando, cuius unius rei gratiâ id coactum concilium eſſet, ageretur, Equites ſibi, ac Reipublicæ, quæ

diutiùs carere rectore non posset, sine Senatûs auctoritate consulturos. Catholici Senatores, plerique Masoviorum orationi favebant. Hæretici questi omnia sui arbitrii facere Masovios, & Senatui etiam audere, quæ agenda, omittendave essent præscribere, ferè locum comitiorum pro se non esse senserunt. Extractis tamen hac contentione aliquot diebus, tandem clamoribus, minisque multitudinis Regem poscentis victus Senatus ad IV. Nonas Maii iri in suffragia iussit. Id hoc maximè modo, atque ordine est factum. Concessere diversi in suam quisque tribum; (ipsi Palatinatus vocant) his singulis ferè Episcopi præsident; iidem de unaquaque re, cujus deliberatio fit, ad concilium referunt; iidem primi sententiam dicunt, & suffragia non tabellis, aut fabis, sed palam voce feruntur, & cuique facultas est suam sententiam oratione exequi. Episcopi in sua quisque tribu, antequam de Rege referrent, humi procubuere, & genibus nixi, quod & circumfusa concio fecit, Deum adorarunt, & solemne illud carmen, quo divini numinis præsentia imploratur, cecinere: *Veni, creator Spiritus, reple tuorum corda fidelium.* Cœptæ inde sententiæ dici, atque in omnibus ferè tribubus ab singulis Principibus, Ernesti cum magno verborum honore fa-

cta mentio est: quidam Sueciæ Regem: multi unum è Poloniæ Principibus, quem Piastum appellabant: pars longè maxima Henricum Regem dixere. Ne singulorum Palatinatuum sententias percenseamus, quod longum, molestumque legentibus esset, sat fuerit apud Masovios, quomodo acta res sit, retulisse. Hîc comitia habebat Petrus Miscovius Episcopus Plocensis, vir gravis, & prudens, & dicendi imprimis peritus, qui cùm Ernesto maximè studeret, eumque nullo suo merito, sed præjudicato quodam in Henricum studio, à multitudine respui intelligeret, sententiam ita dixit, ut Ernestum describeret, nomen reticeret. Ac primùm familiâ ortum ostendit longè totius Europæ nobilissimâ, quæ cùm latissimè propagatum Imperium haberet, tum à omnes propè Reges, ac Principes Christianos affinitatibus, & clientelis complecteretur. Deinde, quæ ex ipso commoda, utilitatesque, quas ex propinquis, & maximis suis, & familiæ opibus, res Polona captura esset, memoravit. Postremò ipsum juvenem omnibus regiis laudibus cumulavit. Exigentibus inde clamore omnibus, ut nomen ederet, *Faciam, inquit, si hæc à vobis probari, & vos rebus, non nominibus addictos esse intellexero.* Hinc de Gallis exorsus magniloquentiam

Legatorum, & vanitatem promissorum irrisit, quæ tanta, atque eius generis esse dixit, quæ ne si velint quidem Galli præstare possint. Efflagitantibus inde omnibus, ut promeret tandem, quem tantopere oratione extulisset, Ernestum, adeò aversis omnium auribus nominavit, ut vulgus Henricum nudum, & nihil eorum, quæ Legati polliciti essent, præstantem, quàm quemvis alium aureos montes afferentem, malle se fremeret. Tum Volscius unus Senatorum, quæ dicta ab Episcopo erant, vehementer refutavit, & multis invidiosè in Austriam familiam coniectis, illam ipsam propinquitatem, opportunitatemque paternorum Regnorum, illas ipsas opes, & affinitates, quas Miscovius in præsidio, atque ornamento Poloniæ ponebat, opprimendæ eorum libertati fore, si Ernestum sibi Regem imponi paterentur, disseruit. Henricum deinde laudibus ferens, non Regium solùm genus, sed Regiam indolem, humanitatem, liberalitatem, bellicæ rei scientiam, victorias, decoraque bello parta magnificè percensuit. Atque in huius sententiam adeò discessum ab omnibus est, ut perseverantem Episcopum in sua, ad extremum etiam familiares, & domestici ministri desererent. Tantùm præjudicata opinio ad multitudinis animos impellen-

pellendos valet, ut in Ernesto, quæ amplificando ornandoque Polonię Regno haud dubiè erant, patris, & familiæ opes, eas ad invidiam, suspicionemque tyrannidis verterent; de Henrico etiam, quæ ab ipsis Galliæ Legatis jactata, quæque vanus distulerat rumor, credita pro veris omnia, penitusque accepta sint. Sic quæ allicere, ac pertrahere ad Ernestum rem debuerant propinquitas, & mutua finitimorum Regnorum opportunitas, & ipse adolescens visus, cognitusque multis, ea maximè avertere; Henrico ipsum intervallum tot interjectarum provinciarum, quod maximè nociturum petitioni suæ ipsi crediderunt Galli, solum propè rem juvit. Regem enim longè ab domo petitum, nec ullis propriis, quas in promptu habiturus esset, opibus, & quæ de ipsius laudibus fautores disperserant, iis vim, fidemque longinquitas addidit, natura famæ, quæ fluminum instar quo longiùs à fontibus labuntur, & majores eundo vires colligunt, cuncta in majus ex longinquo affert. Etsi ex omnibus tribubus pars longè maxima Henricum Regem dixerat; tamen quia & Ernestum quosdam, quosdam Sueciæ Regem, haud negligendum numerum Piastum postulasse constabat, quo in unum ab omnibus consentiretur, placuit de singulis iis ad Senatum referri.

Cum

Cùm opinione plures Piasto studere compertum esset, neque is facilè refutari oratione videretur posse, hæc ad eum explodendum ratio à Catholicis est inita. Primò postulatum, ut nomen profiteretur, palamque peteret, quicumque idoneum se Regno putaret, quo de eo jus suffragii ferendi tribubus fieret. Audente profitèri nemine, etenim impudens videbatur eximium se, dignumque judicare, cui dominatus in cæteros mandaretur: & hæreticis pudore impediri homines, nec ausurum id de se facere judicium quemquam, & ab ipsis deligendum, consensuque cogendum accipere Regnum è Principibus unum dicentibus, responsum est, ut quando nemo de se profiteri auderet, ederent ipsi eorum nomina, quos maximè aptos Regno censerent. Cùm diu, ne quem nominarent, pugnassent, coacti tandem flagitantium consensu, primùm quidem quos minimè fieri volebant, Catholicorum aliquot nomina ediderunt: quibus abnuentibus omnibus, eorum vnus; *Ego verò, inquit, vestra isthæc in me studia vobis remitto, qui me haudquaquam ullâ re ita excellere alios puto, ut præponi omnibus debeam, aut adeò velim, neque me quisquam ei oneri subjiciat, quod ferre cuiusquam privati humeri non valent.* Idem dum de se quisque prædicaret, etiam quorum

rum non ignota cupiditas, atque ambitio erat, pudore deterriti, abstitere. Nam & in ludibrium adducta res est, aliis alios, & humillimi, & indignissimi cuiusq; nomen per jocum, ac risum subjicientibus. Ita Piastus Regno, hæretici suâ spe dejecti. Creati inde novemviri, qui de Henrico, & Ernesto, & Rege Sueciæ in Senatu disceptarent, ternique mandatam cuiusque causam agerent; Henrico Cujaviensis Episcopus, Sandomiriensis Palatinus, & Castellanus, Gedanensis; Ernesto Episcopus Plocensis, Palatinus Mariemburgensis, & Castellanus Lublinensis; Sueco, Cracoviensis, Ravensis, & Podoliæ Palatini sunt dati. Ab his repetita eadem, quæ in sua quisque dixerat tribu, & Episcopus Plocensis gravissimâ oratione, cùm lenire, ac trahere animos ad Ernestum, cujus etiam depictam imaginem Senatui ostendit, tum deterrere ab aliis est conatus. Sed potiùs ipse laudem constantiæ, atque eloquentiæ tulit, quàm moverit quicquam, aut Senatum, aut Equitum multitudinem, quæ Senatum coronâ circumdederat; quin sæpè fremitu aspernantium orationem eius est interpellatus. Hæreticos, & maximè Palatinum Cracoviensem Regem Sueciæ commendare conantes, interfatus Cochevicius adeò acribus verbis futilem spem il-

lius est insectatus, ut mentionem de eo amplius facere nemini opus fuerit: at Cujaviensis Episcopi pro Henrico dicentis oratio secundissimis auribus à multitudine accipiebatur; quæ identidem obstrepens aliis huic mirificum silentium præstabat, dictaque ejus non assensu solum, & approbatione, sed clamoribus lætis, plausuque prosequebatur. Atque adeò illi animis, studiisque favit, ut quoties reclamandum, plaudendumve orantibus esset, signum ab eo acciperent, sudariolumque nunc fronti, nunc ori admoventi obsequerentur. Satis igitur perspectâ multitudinis voluntate, conclamatum undique est, ut redirent in suam quisque tribum, unamque inde sententiam ad Senatum referrent; sic principibus Nobilitatis pro Henrico adnitentibus, cùm in Senatum reditum esset ad IV. Id. Maii, Henricum omnes Regem dixerunt, præter Cracoviensem Palatinum, & aliquot hæreticorum Principes, qui ne assentiri cogerentur, Senatu egressi in sua se tabernacula receperunt, accepturos eum Regem, quem Senatus consensu declarasset, denunciantes. Ius Regis renunciandi, more antiquitus tradito, est penes Archiepiscopum Gnesnensem, qui idem præses est publici consilii. Is quia nox discedentes oppresserat, non videri sibi dixit

Re-

Regem noctu renunciari debere, & rem in sequentem diem distulit, qui dies, quia festus Pentecostes fuit, haberi Senatus non potuit. Atque hunc Archiepiscopi errorem pænè magno malo Respublica luit. hæretici enim hoc nacti spatium coiverant, & consilia disturbandi comitia agitaverunt. Ac posterâ die vocati in Senatum venire recusarunt, privatumque cœtum suorum apud Firleium, Palatinum Cracoviensem habuerunt. Hæc secessio in exitiosam seditionem, bellumque erupisset, si hæreticis pares turbidis, infensisque animis vires fuissent. Nam Catholici adeò illâ defectione sunt irritati, ut non jam verbis certandum, sed vi domandam contumaciam, subigendosq; omnes, Senatus auctoritati parere clamantes, Senatu se ad expedienda arma proripuerint: & Cotchevicius ænea tormenta produci, quorum haud negligendam copiam adduxerat, & suos capere arma, & conscendere equos jusserat. Idem Laschius, idem alii Catholicorum Principes fecere, quibus alacer, & cupida pugnæ Masoviorum egregia manus se conjunxit. Hi omnes medio in campo, instructis turmis, ac directâ acie paratam vim separantibus à Senatu consilia, & Regem consensu creatū abnuentibus, ostentavere. Hæretici quoque armati campum tene-

tenebant; sed neque numero, neque animis pares haud temerè arma, atque vim experturi videbantur. Seniores Principum, & Episcopi hinc Catholicos rogando, ut vi abstinerent, hinc monendo hæreticos, ne consilia ab aliis dissociarent, rem præcipitem sustinuerunt. Ad Catholicos, & maximè Laschium, & Corchevicium exorandos, apud quos summa Commendoni erat auctoritas, ego quoque ab Episcopis sum adhibitus; uterque quietum expectare me exitum rei jussit, non enim ad cædem illa esse sumpta arma, sed ad metum adversariis iniiciendum, quo incusso non dubitabant eos in potestate Senatus futuros, neque eos spes fefellit. Hoc enim subacti metu hæretici, depositisque utrimque armis in concordiam reditum, & Senatu coacto, Henricus Rex ab Archiepiscopo est renunciatus. Acciti post hoc Galliæ Regis Legati, atque in Senatum introducti, in leges Poloniæ conceptis verbis designati Regis nomine jurarunt, quod factum circumfusa multitudo plausu prosecuta lætis clamoribus fausta novo Regi precatur, Palatinus Cracoviensis inter tumultum, strepitumque confusæ turbæ, quæ mixta Senatoribus tentorium impleverat, à Monluco Legatorum principe in id quoque iusiurandum exegit, nemini priscæ religionis

gionis cultum deseruisse fraudi, pœnæque futurum. Id cùm Archiepiscopo renunciatum esset, rediens properè, eò ubi hæc agebantur edixit, Regem nullâ nisi quæ communi consensu lata esset, lege teneri. Designati inde viginti Legati, qui ad Regem è Gallia in Poloniam deducendum mitterentur; cujus legationis principes fuere Adamus Conarchius Episcopus Pasnaviensis, & Albertus Laschius Palatinus Siradiensis, & Nicolaus Radgivillus Dux Eliciensis, qui diversi omnes, quà cuique commodum fuit, Metim nobile oppidum Lotharingiæ convenere, atque inde uno agmine Lutetiam Parisiorum petiere.

De discessu Commendoni è Polonia, & de mora adventus Regis.

CAPUT X.

COMMENDONUS creato Rege non Catholico solùm, sed propè in castris, atque armis, quæ ab ineunte ætate adversus Catholicæ pietatis hostes induerat educato, hæreticorum conatibus egregiè semper retusis, rectè omnibus, & è Republica administratis legationis suæ munere summa cum fidei, religionis, prudentiæ gloria expleto, per litteras à Pontifice

tifice Maximo postulavit, vt sibi decedere Poloniâ, atque redire in Italiam, Romamque liceret, quando adventum novi Regis expectare longum videretur futurum, qui neque itineri se per tot feroces, & infestas Germaniæ gentes committere, nisi conciliatis priùs, exploratisque Regulorum animis, per quorum fines transiturus esset, neque è Gallia movere sine magno molimine apparatuque rerum posset. Et Pontifex quamquam cupivisset, vt Commendonus Regi novum ineunti Regnum, operâ, consilioque, cuius ille indigens videbatur, futurus adesset, & Galli ipsi id eum magnopere rogarent; tamen post diuturnam bienni ipsius in ea legatione moram, negare tam bene de Republica merito, tantis laboribus, ac tam insigni opere perfuncto reditum, non est visum. Datis igitur ad eum litteris, & amplissimis verbis fide, virtuteque eius collaudatâ, quâ effectum esse aiebat, vt in tantis opibus, audaciaque hæreticorum Catholicum sibi Regem gens imprimis nobilis delegisset, ei permisit, vt suo arbitrio vteretur, sive Romam redire, sive expectare in Polonia adventum Regis, eumque bonis, atque vtilibus consiliis ad novum Regnum salubriter habendum imbuere mallet. Si decedendum sibi statuisset, tum me Pontifex in Galliam ad Re-

gem

gem proficiſci, tum de omnibus rebus edocere,& cum ipſo in Poloniam redire, & initiis eius præſtò adeſſe iubebat. Sed Commendono ſatius viſum morari me in Polonia, donec profectum è Gallia Regem allatum eſſet, vt turbidis adhuc rebus, nec hæreticis ſi occaſio daretur ſatis quieturis, eſſet interea in Regno, qui ex Pontificis Maximi auctoritate monere, ſi vſus poſceret, & excitare Epiſcopos, Catholicoſque poſſet, ne quid per negligentiam aliorum de iure ſacrorum, ac religione ſecùs conſuleretur. Decedentem è Polonia Commendonum, gentis Principes primùm retinere conati; deinde certatim omnibus officiis humanitatis, atque obſervantiæ abeuntem ſunt proſecuti,tantumque eius remanſit in ea gente nomen; tanta veneratio, vt nunc quoque memorià dictorum, factorumque eius colatur,vſurpeturque ab iis. Et nuper poſt Stephani Regis mortem in edicto publicè propoſito rem auctoritate firmantes, ſolitum id à Commendono dici præfati ſunt. Eodem tempore Legati Polonorum Lutetiam venere, tantis ab univerſa Gallia, Regibuſque accepti honoribus, quantum ad ſe redire gloriæ ex tam clara legatione, & legationis cauſa haud vanâ æſtimatione rebantur. Et præbuere Legati ſpectaculum non numero ſolùm ſuo, comitumque,

que, sed ipso etiam cultu, atque ornatu novo, insuetoque Gallorum oculis; cùm enim ferarum pellibus, quas magno parant pretio, caput, corpusque amicti erant, tum auro, purpuraque, & gemmis ipsi, equique fulgebant. Reddunt inde Henrico Senatusconsultum, quo ipse ad accipiendum Poloniæ Regnum vocabatur, & iusjurandum suo more in patrias leges exigunt. Quo accepto fœdum inter Legatos certamen est ortum, in quibus erant hæretici aliquot primarii, homines à sociis ad id ipsum missi, cùm hipermitti sibi de Deo, ac de religionibus liberum sentiendi arbitrium, atque in id iusjurandum iurari, quod Legati eius in Polonia iurassent, postularent; Catholici negarent aliis, quàm quæ publicè offeruntur legibus, Regem obligari debere, aut privatorum postulata eximere de publico iure quicquam posse. Cùm hæretici solito clamore, ac tumultu rem agerent, Rex ita iis morem gessit, vt se cùm in Regnum venisset staturum consensui, ac voluntati Senatus de ea re diceret. Secundum hæc Poloni epulis, festisque ludis armorum, equorumque, & nobilium fœminarum choreis, aliisque Regiæ Galliæ voluptatibus culti, & ipsi lætabantur illo Regum, Reginarumque more sese liberali, ac benigno alloquio vsque in omnia familiari-

tatis iura cum suis pariter, & cum hospitibus miscentium. Dona quoque Legatis regali munificentiâ singulis data, nec ullum in eos comitatis, & liberalitatis officium prætermissum. Agi inde de discessu Regis cœptum, Catholicis Legatis monentibus præsenti Rege indigere Poloniam, resque ibi ex recenti comitiorum, atque interregni iactatione adhuc in motu esse, nec nisi Rege viso quieturas. Et Galli dum advenas tantum viæ emensos ad petendum è sua gente Regem, advenarumque cultum, ac morem mirantur, & ad Galliæ gloriam vertentes rem sermonibus tollunt, læti & ipsi Legatos, ludosque concelebrarant. At ubi discedendum, Henrico, appararique profectionem videre, tum animum ad cogitationem rerum suarum contrahunt. Et Catholici eo duce vsque à puero, omnibus cum infesta Vgonotorum factione bellis feliciter vsi, omni vi illum in Gallia retinebant. *Quid enim ei amplissima fortuna, opulentissimo in Regno nato, quæsito in vltimis terris, ac propè alio in orbe Regno opus esse? Et cui dubium videri possit, solutusne ipse in suos imperium habeat, an à suis promptiùs, obedientiusque illi pareatur, eò se abduci ab domo, à patria, ab tot fidelissimis amicis, carissimisque rebus sinat, ubi arctissimis legum vinculis obstrictus, non Rex, sed no-*

men inane, ac ludibrium Regis sit futurus, vbi à barbarico Senatu obsessus, ac veluti captus, non publicæ pecuniæ, non pacis, non belli, non denique sui ipsius ius, atque arbitrium sit habiturus. Et quod gravius sit, vnde reditus ei liber in Galliam, si patriæ necessitates revocent, non sit futurus. Quid si fratrem carentem liberis, nec firma valetudine, defungi fato contingat? an dum ipse longè gentium agit, neminem in Gallia fore novæ spei, novæ potentiæ inhiantem credat, qui minorem natu fratrem, ad Regni cupiditatem sollicitet? Cùm eum iam nunc haud obscuris discordiæ, atque æmulationis seminibus ab Vgonottis imbutum constet? Moverunt his sermonibus animum iuvenis, & iam segnius iter instruebatur, morandique ac differendi causæ quærebantur, iam Poloni ipsi senserant refrixisse in Henrico studium profectionis, ac propè sordere ei Regnum, quod sibi tantis viarum, rerumque incommodis esset habendum. Sed cùm Regi fratri, matrique indignum, & indelebilem notam levitatis habiturum videretur, magno studio petitum maiori pænè delatum fastidire Regnum, ac per mollitiem, atque desidiam abiicere, & gentis nobilissimæ spem, expectationemque frustrari, auctoritate suà evicerunt, vt porrò itineri instaretur; quam quidem in rem immanis est pecu-
nia

nia insumpta, gravisque Galliæ Polonica hæc actio fuit. Cùm igitur stetisset profectionis consilium, non tamen priùs è Parisiis movit Henricus, quàm eum frater in suorum Consilio Legatis Poloniæ, & matre, & proceribus coram, hæredem, ac successorem Regni Galliæ, si prior ipse sine liberis decessisset, declaravit. Tum præmissis qui à Cæsare, ac Germaniæ Regulis fidem acciperent, tutum per eorum fines transitum fore, iter est ingressus. At in Polonia id modò nunciatum erat, venisse in Galliam Legatos, magnificentissimeque acceptos à Regibus esse. Expectatio inde adventus eius tenebat hominum animos; & res poscebat, & ex re spes erat, Regem nihil sibi ad iter moræ facturum, nec quicquam discessui suo præversurum. Sic affectis, & iam intrasse Germaniam eum, & multum viæ progressum credentibus, (nam quintus post eum renunciatum Regem mensis excesserat) missus è Lutetia nuncius litteras ab eo attulit, quibus Senatui de Regno ad se delato gratias agebat, erantque litteræ cæteræ quidem ad tempus aptè scriptæ, sed nulla cum mentione discessus sui. Id verò tantum toto Regno animorum motum fecit, vt incertiorem tum Regem, quam antequam crearetur, haberemus. Nam hæretici arreptâ occasione ad quam semper in-

tentissimi excubant, effictis etiam, atque ementitis litteris rumores incommodissimos dispersérant. Nunc impediri Regem novis Galliæ motibus, nunc aspernari Regnum, ad quod nisi immensis sumptibus, infestisque itineribus pervenire non posset, nunc inopiâ pecuniç laborare, eaque à populis Galliæ corrogandâ occupari, nec nisi insequenti æstate venturum. Et adhæc ipsum, moresque eius carpentes, nunc mollem, atque amoribus deditum, nunc sævum, auctoremque omnium Galliæ seditionum distrahebant, idque adeò licenter, vt in sacris, cœtibusque suis, palam hortarentur concionem, Deum precari, vt talem Poloniâ Regem averteret. Coitiones quoque ab iis cœptæ fieri, & haud dubiè novis rebus studeri: languebant ex his bonorum spes, & cùm rumoribus mora Regis fidem adstrueret, nec hæreticos crederent ausuros ei tam apertè maledicere, ac malê precari, ni non venturum exploratum haberent, multi etiam Catholicorum, vt impetu animi potiùs, quàm certâ ratione patrata ponè pœnitentia sequitur, nova consilia respiciebant: ut nobis magnum negotium fuerit penitus diffidentes quosdam erigere, & continere, ne ex fama vanissimè orta, aut arte adversariorum dispersa, de summa Republica statuerent: nec sisti

po-

potuisset res, nisi præmissi à Rege Ioannes Sborovius unus Legatorum Poloniæ, & Rambouilletus Gallus offusas credulis animis suspicionum nubes, adventu suo dispulissent. Et Sborovio in Senatu non profectum modò Lutetiâ Regem, sed de præstantibus eius animi, atque ingenii ornamentis multa prædicanti, eo plus fidei fuit, quòd erat ipse inter capita hæreticorum longè acerrimus Christianæ religionis hostis, etsi Andreæ fratris, de quo suprà à nobis mentio facta est, auctoritatem secutus, suffragatus Henrici Regno fuerat. Hi labantes spes Catholicorum in præsentia sustinuerunt, hæreticorum cohibuerunt. Sed penitus hos repressit, & reliquos confirmavit adventus Cracoviam Ioannis Cotchievicii, qui iisdem primò rumoribus, nam in Lithuaniam quoque pervaserant, deinde meis, atque Andreæ Sborovii, qui vnus omnium constantissimè pro Henrico stetit, communibus litteris excitus, quibus quàm sustulissent adversarii animos, quàm nostri dimisissent, certior fiebat, in Poloniam contenderat, & ex publica Lithuanorum auctoritate, suaque quæ haud minor quàm publica erat, auditum in Lituania dixit esse novis rebus studentes quosdam infirmare, atque adeò, si possint, infringere creationem Regis conari, & non venturum eum

T 2 in

in Poloniam multitudini persuadere. Id neque a b se, neque à Lithuanis facilè creditum, quippe tam improbum civem esse quemquam existimari non debere, sed si qui essent, qui patriæ fideique obliti talia moliri, atque ea semina discordiarum ac seditionum iacere auderent, quæ haud dubiè perdendæ Reipublicæ essent futura, hos, sibi, ac Lithuanis omnibus pro communis salutis proditoribus hostibusque futuros. Regem illos ea gente, stirpeque sibi delegisse, ea ipsum specimina sui dedisse, vt sperare optimum iure possent, & hoc de illo consentientem famam polliceri, sed qualemcumque Deus dedisset, habendum, ferendumque iis esse, neque imitandi barbarorum morem pari levitate deferentium Regna, atque auferentium. Hæc periculum, ex dilato Regis adventu Poloniæ imminens, avertêre, & vt quietè Rex expectaretur effecêre, quamquam Februarius mensis sequentis anni, qui fuit M. D. L X X I V. antè panè effluxit, quàm ille Poloniæ fines attigerit.



De

De quibusdam quæ adventantem Regem auctor edocuit.

CAPVT XI.

EGo cùm egressum Galliâ transisse Rhenum certis nunciis allatum esset profectus Cracoviâ, conventisque ex itinere Archiepiscopo Gnesnensi, atque aliquot Catholicorum Principibus, & à singulis acceptis ad Regem mandatis, ad sexcenta millia passuum obviam progressus, in Saxonia illi occurri. Cum eo præter Poloniæ Legatos, quorum suæ quisque privatim rei intendebat, nemo erat, qui Polonię rerum, sed minimè qui hominum gnarus esset; nam è tribus Legatis, qui ad petendum Regnum venerant, Lillius per Russiam, ac Valachiam perrexerat in Thraciam, vt Constantinopoli apud Regem Turcarum moraretur: Lansachius cùm navim apud Gedanum conscendisset, sperans maturiùs per Balticum mare, si venti aspirassent, in Galliam se perventurum, à Rege Daniæ retentus Copinagii fuerat: Monlucus (is princeps legationis fuit) tam multis in Polonia se ingentibus promissis obstrinxerat, vt cùm omnes non elusisset solùm reversus in Galliam; sed quò suâ vnius opera, industriaque cariùs

æstimaretur à Regibus, omnium reliquorum studia, meritaque malignè verbis elevasset, adeò in se Polonorum accenderat iras, ut Rex tutius, consultiusque esse statuerit eum in Gallia relinquere: gratior ob id adventus meus Regi, hisque, qui Regi in consilio erant, fuit; quippe ab experti odii, amorisque, nec privatim ulli, aut parti, aut homini addicto, certa omnia, atque ex vero hausta audituri aliquando videbantur, apud quos præsente, ac iubente Rege plenissimè, quantùm tenuitas nostra tulit, de tota illius Reipublicæ forma, statusque disserui; &, quod iuvenis ipsius auribus iucundum imprimis accidit, haudquaquam Regis vim, potestatemque tam mutilam, comminutamque esse ostendi, quàm iactaretur à quibusdam, neque idem in cohibendo, moderandoque Rege ius, ditionemque, quod in creando Polonorum esse; quin permissa Regi rerum omnium arbitria, omniumque vitæ, ac necis potestatem. Ab omnibus enim tam civitatum, quàm provinciarum Magistratibus, Iudicibusque provocationem ad Regem esse, legumque eumdem, & publici iuris unicum interpretem, & Senatum consulere, non præscribere Regi, neque ipsum stare, sed uti Senatorum sententiis, quò certius quid optimum factu sit, statuat. Decreta, consulta-

ſultaque deliberari à Senatu, à Rege fieri. Hunc rectorem, moderatoremque Reipublicæ, illum monitorem eſſe. Denique Senatum teſtem vitæ, actorumque Regis, non arbitrum eſſe, & ei non iuſto imperio in ſuos, ſed iniquâ dominatione, ac violentâ interdictum. Ad hæc neminem in Polonia honoris ullum titulum, quo à privato diſtingui poſſit, niſi beneficio Regis habere; ac ne copias quidem honoribus pares, neque enim illos, aut aliam, quàm Senatoris dignitatem noſſe, aut Senatorium munus facilè, niſi ex præfecturis, & Regiorum bonorum procuratione tueri, neque hæreditario iure hæc à patribus tranſmitti filiis, ſed unico Regis munere dari. Igitur & legum arbitrium, & cum eo rem, famam, vitam omnium in Regis ſitam manu eſſe, & honorum, & commodorum nullam cuiquam, niſi in eo ſpem. Atque his frenis facilè Regem, quò velit, totam agere, continere, flectere, ac moderari Rempublicam. Publicam item pecuniam poteſtati eius traditam, neque ad Senatum rationes, ſed ad Regem à Quæſtoribus referri: & Quæſtores, & Senatores ipſum legere. Ergo ſummam in magiſtratibus mandandis, Senatoribuſque legendis curam, cautionemque Regi adhibendam: ſuorum, id eſt, Catholicorum, qui maximè

ximè sui essent, optimos quosque provehendos, ornandosque magno studio, atque delectu, quo cæteri ad promerendam paribus artibus eius gratiam excitarentur. Illud respuendum callidorum hominum consilium, qui hæreticos suaderent leniendos; præmiisque adiungendos sibi: id enim in nullam partem fidele, aut tutum consilium esse. Nam quod iis Rex tribuisset, dupliciter nociturum: primò adversarios suos potentiores facturum, & in seipsum confirmaturum; deinde persuasurum eis, idque illos iactanter præselaturos, ipsum in eos non sponte, sed metu liberalem, ac munificum esse; qui enim conscii sibi sint animi alieni, infensique, ne ipsum quidem aliter in se animatum existimaturos. Atque hanc esse populorum de Rege opinionem, longè importunissimam, si beneficia metu, ac necessitate extorquenda, non fide, atque obsequio promerenda crediderint. Ad id illud quoque incommodum accessurum, quòd dum communes adversarios indulgentiâ, ac honoribus pellicere studebit, alienabit suos, qui debita sibi navatæ operæ, atque fidei præmia deferri ad alios æquo animo laturi non essent. Contemnenda illi, deridendaque hæc terricula monentium, si Catholicos unos complectatur, unis maximè utatur, periculum ab hære-

hæreticis ei fore: quod periculum? aut à quibus, aut quo duce? aut quibus viribus? quin si omnes intelligent, eum Rempublicam non nisi Catholicis commissurum, ipsi quoque hæretici Catholici fient, ac si se ipse indicarit, & honores, præmiaque bonorum, & dicto audientium, non seditiosorum, & contumacium fore declaraverit, brevi hos spiritus, quos Augusti negligentia priùs, deinde corrupta mens aluit, fractos, submittentesque se visurum. Hic unus Gallorum: *At tu, inquit, hostili esse animo Regem in omnes hæreticos vis? eosque tuâ sententiâ exigis Regia, ac tota Republica expellis, quod nisi bello, & armis fieri non videtur posse? Ego verò, inquam, nihil hostiliter censeo in eos consulendum; neque enim vi, atque armis est opus, ubi idem lege, atque disciplina assequi possis: ac ne abigi quidem Regia quemquam volo: hoc sentio, hæreticos comiter à Rege esse habendos, atque explorata spe non solùm gratiæ, sed quæ gratiam sequuntur, si perniciosos errores, & sectas, quibus Respublica scinditur, & infirmatur, abiecerint; sin pertinaces esse, & in suscepta pravitate perstare voluerint, tum iaceant, & hanc saltem pœnam ferant, ut desertæ Catholicæ pietatis culpam honori sibi fore non sperent: atque hoc lenissimum, & maximè præsens huius mali remedium*

ximè sui essent, optimos quosque provehendos, ornandosque magno studio, atque delectu, quo cæteri ad promerendam paribus artibus eius gratiam excitarentur. Illud respuendum callidorum hominum consilium, qui hæreticos suaderent leniendos; præmiisque adiungendos sibi: id enim in nullam partem fidele, aut tutum consilium esse. Nam quod iis Rex tribuisset, dupliciter nociturum: primò adversarios suos potentiores facturum, & in seipsum confirmaturum; deinde persuasurum eis, idque illos iactanter præselaturos, ipsum in eos non sponte, sed metu liberalem, ac munificum esse; qui enim conscii sibi sint animi alieni, infensique, ne ipsum quidem aliter in se animatum existimaturos. Atque hanc esse populorum de Rege opinionem, longè importunissimam, si beneficia metu, ac necessitate extorquenda, non fide, atque obsequio promerenda crediderint. Ad id illud quoque incommodum accessurum, quòd dum communes adversarios indulgentiâ, ac honoribus pellicere studebit, alienabit suos, qui debita sibi navatæ operæ, atque fidei præmia deferri ad alios æquo animo laturi non essent. Contemnenda illi, deridendaque hæc terricula monentium, si Catholicos unos complectatur, unis maximè utatur, periculum ab

hære-

hæreticis ei fore: quod periculum? aut à quibus, aut quo duce? aut quibus viribus? quin si omnes intelligent, eum Rempublicam non nisi Catholicis commissurum, ipsi quoque hæretici Catholici fient, ac si se ipse indicarit, & honores, præmiaque bonorum, & dicto audientium, non seditiosorum, & contumacium fore declaraverit, brevi hos spiritus, quos Augusti negligentia priùs, deinde corrupta mens aluit, fractos, submittentesque se visurum. Hic unus Gallorum: *At tu, inquit, hostili esse animo Regem in omnes hæreticos vis? eosque tuâ sententiâ exigis Regia, ac tota Republica expellis, quod nisi bello, & armis fieri non videtur posse? Ego verò, inquam, nihil hostiliter censeo in eos consulendum; neque enim vi, atque armis est opus, ubi idem lege, atque disciplina assequi possis; ac ne abigi quidem Regia quemquam volo: hoc sentio, hæreticos comiter à Rege esse habendos, atque explorata spe non solùm gratiæ, sed quæ gratiam sequuntur, si perniciosos errores, & sectas, quibus Respublica scinditur, & infirmatur, abiecerint; sin pertinaces esse, & in suscepta pravitate perstare voluerint, tum iaceant, & hanc saltem pœnam ferant, ut desertæ Catholicæ pietatis culpam honori sibi fore non sperent: atque hoc lenissimum, & maximè præsens huius mali remedium*

 esse,

tùm ad sanandas, & ad Ecclesiæ auctoritatem revocandas hæreticorum mentes profecturum se speret, quantùm multi simul Doctores, & sacrarum litterarum scientiâ, & dicendi facultate excellentes effecturi non essent: deinde bellicarum rerum studiis deditum animum præferat: de his differentes & libenter audiat, & ultro sermones provocet, juventutem in militaribus exercitationibus assiduè habeat, decurrentes in equis, aliaque militiæ simulacra edentes, quibus gens suâpte naturâ dedita, vel sub negligente talium rerum Rege exerceri est solita, & spectet libenter, & edoceat, in moremque patrium aliquid instituat, & ipse talibus ludis, quod eius & ferre, & postulare ætas videretur, sæpè & intersit, & præsit. Mirum quantum hæ parvæ res, & gratiæ illi, & auctoritatis apud universam gentem factura sint; mirum quantum & in restituenda religione, & in revocanda militiæ disciplina valituræ. Adieci inde ex consilio Commendoni, ut primo quoque tempore belli adversum Moscos æternos Polonorum hostes, & exercendæ, continendæque in militari disciplina genti natos, gerendi cogitationem susciperet: ad multa id aptum consilium videri; primùm enim Imperia, & Regna nullam rem æquè tueri, ac Regum ipsorum nomen, atque

famam,

famam, maximè si bello parta fuerit. Deinde Regi novo longinquo, alienigenæ, genere, ætate, expectatione florenti, quæ res alia Regnum confirmet, nisi quæ peperit? Quam commendationem sui præsentis appetat aliam, nisi per quam absenti Regnum conciliatum sit? Bellum initio Regni susceptum non ad opinionem modò hominum gloriosum, sed muniendis domi rebus propè necessarium à peritis præsentis rerum Status Poloniæ duci, ut si quies, & pax teneat, nulla satis efficacia remedia sint, quibus sanari, ac stabiliri Regnum posse videatur. si enim illæ gentes diutiùs in eo otio, luxuque, quo marcescerent, relinquerentur, alterutrum sequi necesse fore, ut aut intestino morbo contabescerent, aut externâ aliquâ vi conciderent. Bellum omnia hæc turbulenta consilia, quibus crescere ex commota, atque inquieta Republica, quidam volunt, concocturum, discussurumque, idem erudita illa pocula, inter quæ de divinis rebus quærunt, disserunt, statuunt, exhausturum, ipsasque hæresum radices, quas otio natas, licentia, intemperantia, luxus, convivia aluere, disciplinâ, atque bello excisas, funditusque extirpatas iri. Id suam Reipublicæ formam, id pristinam legum, Magistratuum, Regis reverentiam prava consuetudine delapsam
reddi-

redditurum, id propagando imperio viam aperiturum; id verendam maiestatem nominis sui Polonis simul, ac finitimis Regibus populisque facturum; id denique expeti vulgò poscique ab omnibus, præter eosdem illos quibus seditiosæ domi conciones, conciliaque honori, atque emolumento sint. Huic communi studio lætantium nactos se aliquando Regem, quo duce superiorum annorum incommoda Augusti ignavia accepta ulciscantur; *nisi respondisset Rex, verendum esse, ut satis gloriæ partum in Gallia foret; si enim se ijs conciliorum fluctibus, quæ alia ex alijs nascuntur, committat, si illis laqueis irretiri, ac circumveniri se patiatur; hæsurum implicatiorem, quàm ut facilè inde se umquam expedire, atque extricare possit. Materiam autem belli, causamque nec defuturam, & de eventu, nisi res oscitanter administrarentur, dubitandum non esse, quippe rem cum hoste viris, armis, arte militiæ longè impari fore.* Hoc postea consilio usus Stephanus Rex, qui Henrico successit tota Livonia expulsis Moscis, pacataque pernobili provincia, magnum nomen suum per omnem Europam fecit, atque homò novus, nec privata solùm, sed etiam tenui fortuna ortus, Polonos severiori imperio, quàm si natus Rex eorum esset, plures inde annos rexit. Lætus hæc

disse-

differentem audivit Henricus, sed nihil libentiùs, quàm & Commendonum aggrediendi belli auctorem esse sibi, & Regiam vim non usque adeò constrictam hebetemque esse, ut inculcatum ei à quibusdam fuisset. Percunctatio inde Regis, amicorumque de singulis panè Principibus fuit, in qua juvenis sensus enituit sanè egregius, qualis quisque esset, haud aliâ re magis, quàm religionis fide distinguentis, ac nihil priùs quàm Catholicus, an hæreticus quisque esset, quærentis: & nos quidem cùm ingenium uniuscuiusque moresque, tum quæ inter ipsos coniunctiones, atque unde unitæ, quæ item simultates, quæ inimicitiæ, quibus ex caussis; qui verum studium Regi in comitiis præstitissent, qui adversati palàm fuissent, quorum probata fides, quorum suspecta fraus esset, qui statim admovendi rebus, qui spe alendi, qui denique cavendi, quique amplectendi viderentur, abunde disseruimus. Atque hæc nosse Regi adeò jucundum fuit, ut scripto comprehensa tradi utique sibi voluerit; nec destitit inde, ut quidquid in deliberationem venisset, à nobis quid sententiæ haberemus, exquirere.

De

De adventu Regis, ac de diademate illi imposito, ac de fuga eiusdem.

CAPVT XII.

TRIGESIMO inde die Cracoviam est ventum; ad primos Regni fines Francofordium inter, & Mieseriziam Cuiaviensis Episcopus, & decem cum eo Principes à Senatu legati, advenientem accepere Regem frequenti, ac splendido comitatum agmine: multi enim Nobiles Poloni, alii privatim officium in Regem occupantes, alii Legatos secuti, cum delectis quisque equitum turmis aderant. Conspecto Rege equitatus flexit ad dexteram, omnesque collium clivos, quantùm patebat conspectus, & erant ad quindecim millia equitum, extensis longo ordine alis occupavere. In sinistra Germani constitere, tria millia equitum erant, Regem honoris, ac præsidii causâ prosecuti, ac redituri domum perrexere, & ipsi intra suos fines aciem struxere, ostentavereque Regi. Vtrosque spectantibus nihil simile videbatur: Germanis graues equi, & in sua terra nati, ac fere nigri, nigræ ocreæ, nigra vestis, breuisque, & uniusmodi: ipsi item vultus nigri, & incultâ, ac promissâ barbâ truces: unde eorum linguâ *Suarz-*

reitri

reitri dicuntur: arma quoque eadem omnibus, oblongus gladius, ac bini equorum ephippio pendentes sclopi, & quidem preter hec ferreum malleum eodem ephippio suspenderant. Apud Polonos cuncta variabant, non equi, non cultus, non armatus idem; equis ipsis nec color, nec genus vnum, & quamquam equorum nulla feracior terra, tamen tanto eorum studio gens tenetur, vt è Thracia, ex Italia adducti, ac magno comparati pretio multi viserentur, quibus nobiliores Equites insidebant, aut sine sessore in pompam loris ab agasonibus ducebantur. Ornatus quoque multiplex, aliis patrius, aliis Vngaricus, aliis Scythicus, per multis Italicus, quibusdam & Gallicus: tanta genti inest libido exteros imitandi: eadem in armis dissimilitudo, his Scytharum pharetra, & arcus, & acinaces; illis Epirotica hasta, & longum, & in alæ modum scutum; alteri lorica, & galea; paucis graviora arma; vt enim variâ, ita levi omnes, & expedita ad cursum, agitationemque equorum armatura lætantur. Ne in corporis quidem cultu similes erant; quidam capite tonso, quidam raso; capillati alii, brevis aliis coma; promissa his barba, illis præter superius labrum penitus abrasa: cunctis ad eum ferè habitum sese affingentibus, quem in suos quisque fines attingen-
gen-

gentibus populis conspexissent. Sed hæc ipsa varietas hanc in cærulea veste turmam, illam in viridi, aliam in rubra, omnes variarum ferarum pellibus, & serico, & auro splendentes, totamque versicolorem aciem procul spectantium oculos quadam admiratione tenebat. Et Henricus illo aspectu militarium virorum, atque illo omni in honorem sui apparatu, & mixto tubarum cantu, ingentibus, lætisque clamoribus, quibus latè cuncta personabant, venerantium, ac veluti amplectentium advenientem Regem suum, adeò est delectatus, ut tum demum Regem se sibi visum esse fateretur. Cuiaviensis Episcopus, cæterique Legati corona nobilium iuvenum circumdati viso Rege, omnes equis descenderunt, & ipse conspectis iis propiùs accedens exilivit equo, summittentesque se ad genua, patre Episcopo appellato, perhumaniter singulos est amplexus. Hic habitis mutuæ gratulationis orationibus, dataque iis, qui adire voluerunt, dextera, repetitis equis, ac Germanis cum donis domum dimissis, ire perrectum est, adeò lætis aspectu, oratione, comitate novi Regis omnibus, vt secunda illi, faustaque non sonu vocis, plausuque magis, quàm animis, & votis precarentur. Incessit inde per confertas multitudine vias, offusis undique ex vrbibus

bus, agrisque virorum, mulierumque agminibus, passimque Nobilibus cum instructis equitum turmis occurrentibus, & Cracoviam sub finem Februarii pervenit. Atque hic biduo pòst, nequicquam varia arte rem impedientibus hæreticis, qui per speciem muniendæ libertatis, novas ei imponere leges, & Regiam vim novis arctare, constringereq; vinculis cupiebant, diadema Regi solemni ritu ab Archiepiscopo Gnesnensi est traditum; neque enim verè Rex quisquam, nisi illo accepto insigni, legibus eorum habetur. Tum de prȩmiis pro cuiusque merito dandis, & quæ tum præfecturæ, aut loca in Senatu vacua morte Senatorum essent, supplendis, aliisque publicis muneribus distribuendis agi est cœptum. Etenim eo biénio, quod propè ab excessu Augusti ad adventum eius intercesserat, multi suo functi fato facultatis aliquantùm remunerandi, quibus maximè delati Regni gratiam habebat, reliquerunt. Et ille quidem largè, ac munificè omnia est dilargitus. Sed cùm hominum cupiditati, ac spei Respublica nihil sufficeret, & quæ dari poterant longè petentium, & pro debitis poscentium numerus superaret, præter præsentis pecuniæ magnam vim, etiam de privatis suis vectigalibus Gallicis annua stipendia constituere permultis

est

est coactus, vt hæreticorum quoque, & eorum, qui dignitati, ac Regno illius adversati fuerant, plerique ab facili, & neminem liberalitatis suę expertem dimittere cupiente multa abstulerint. Nec tamen assequi vt cuiusquam expleret spem potuit, etiam qui magna acceperunt, maiora deberi sibi, vt de se quisque amplè, ac prolixè iudicat, prædicantibus. Audire tum fuit graves, acerbasque voces querentium gratiam sibi pro merito non redditam, & suis præmiis adversarios suos inflatos cerni indignantium. Et qui modò manus ad cælum tendentes gratias Deo agebant, quòd creandi eum Regem mentem Polonis dedisset, ipsumque haud secus, quàm divinitus datum sibi, studiis, laudibusque ferentes colebant, & gloriabantur nullâ privatim spe, sed vnicâ Reipublicæ charitate iuvenem florentem annis, vetustâ Regum stirpe, Regiis ipsum animis, ex longè gentium dissita terra ad Regnum accersivisse; tum veluti alii repentè homines facti, seque, suumque infelix studium, & data suffragia execrabantur: adeò rem publicam verbis iactamus, re fructui esse eam nobis omnes volumus. Sed vbi nihil amplius, quod donaret, superfuit Regi, & eum provectum studio bonitatis, ac beneficentiæ sua quoque dilargitum, magnumque alienum æs con-

contractum constitit, damnatis querelis suis ad novam gratiam per obsequia, & cultum Regis promerendam, & priores spes novis officiis tuendas pro se quisque animum convertit. Iam Rex dimisso concilio, quod ad diadema ei imponendum frequentissimum Cracoviam convenerat, cum iis Senatoribus, qui huic consilio maximè visi sunt idonei, de bello inferendo Moscoviæ deliberabat, videbaturque Regni sui fundamenta bene, ac firmiter posuisse, cùm repentè properi è Gallia nuncii alii super alios attulere, Carolum Regem tabe consumptum diem suũ obiisse, & Alansonium minorem fratrem, Rege Navarræ, hæreticisque impulsoribus, res novas moliri, ægreque à matre coerceri, quæ custodibus cum firmo præsidio militum appositis vtrumque apud se veluti captos asservaret: sed rem maturum reditum eius exposcere, neque si cunctetur, aut impediatur, credi motum Galliæ sustineri diu posse; matrisque omnes litteræ filium obtestabantur, vt posthabitis omnibus rebus, quâcumque ratione posset, celeriter se Poloniâ explicaret; ipsa enim suspicione non futurum in potestate sua discessum, magnopere spem, cupiditatemque incitari Vgonotorum, & vehementer ab iis fratrem ad capessendam fortunam, quæ offerretur, vacuum invadendi Re-

gnum

gnum sollicitari. Confusus re subitâ Rex noctu cum paucis Gallis, quos fidelissimos habebat, summotis aliis, quid facto opus sit consultat; & cùm pro nihilo iam Poloniæ Regnum duceret, nec discessui, ac celeritati quid prævertendum censeret, ex eorum sententia nocturnæ fugæ consilium cepit. Postera die avertendæ suspicioni adeuntes, solantesque luctum suum Polonos benignè affatur: *rediisse ad se iure hereditario Regnum Galliæ, eoque statu res ibi esse, vt præsentem se magnopere desiderent; ad eas constituendas currendum sibi necessariò in Galliam esse: sed ita meritos de se, ac de nomine suo Polonos esse, ut eos charitate æquare patriæ suæ deberet, nec minorem sibi eius, ad quod accitus, quàm in quo natus Rex esset, curam Regni habendam; eos ergo se, quæ ratio regendæ Reipublicæ, dum ipse abfuerit, statuenda sit, consulere*. Qui eum creandi Regem auctores fuerant, summasque de eo spes ceperant, mœrentes, attonitisque similes stabant; cæteri pro cuiusque habitu animi sententias variabant. Omnes respondere, *statui de re tanta, nisi in concilio gentis nihil posse; dimittendos extemplò per Provincias, qui conventum Cracoviam indicerent*. Et Rex quidem ita fieri iussit. Nocte insequenti claudi Regia cubicula, ac manè admitti neminem; siqui adire vellent,

lint, ægritudine, ac luctu fessum Regem quietem capere respondere ianitores Galli iubentur. Ipse cum decem admodùm comitibus, quo noctis tempore altior omnes somnus habet, posticâ Regiæ parte egressus præparatos equos conscendit; & ubi excessere urbe, quantùm ire equi poterant calcaribus subditis, rapiunt iter. Pernox luna erat, & fortè puer in area Regiæ transeuntem agnoverat Regem, dominoque narraverat. Is primò dicta pueri est aspernatus; sed ubi iterare iusso signa, quibus agnitum sibi aiebat Regem, fides affirmāti fuit, metuens ne ipse contra Rempublicam fecisse argui posset, si rem tantam Senatores celasset, vel vanæ rei auctorem esse, quàm veram non indicasse tutius ratus, sub lucem Tencinii comitem Principum unum adiit. Ille domo egressus rem cum aliquot Senatoribus communicat: nulli quicquam credi, aut agi temere placuit; Tencinium ipsum pergere in Regiam, & rem explorare iubent. (& erat fortè ille cubiculo Regis præpositus, quamquam ei muneri exercendo nondum adhibitus) Orto iam sole & ipse Regiam intravit, & totam peruasit urbem rumor conscisse fugam Regem, & concursus in Regiam cœptus est fieri. Ianitores excitati à Tencinio, quæ præcepta erant sibi de claudendis foribus, ne

quis

quis quiescentem turbaret Regem, edixere. Tum haud dubia res visa, & Tencinius Regis cubiculum irrupit, nec aliud in eo, quàm binas super mensa litteras, ad Senatum alteram, alteram ad Cuiaviensem Episcopum scriptas invenit, quibus causam consilii sui Rex reddebat, negans aliter utriusque Regni rationibus consuli potuisse. Tum re vulgatâ discursus per urbem, ac trepidatio ingens fuit, & pro se quisque arreptis equis, fugientem persequi Regem Poloni, ut retinerent, Galli, ut sequerentur. Sed ille spatium nactus multùm antecesserat viæ, nec eum antè adeptus est quisquam, quàm extra Poloniæ fines in Silesiam evasisset; nam Cracovia paulò plus unius diei itinere ab iis finibus abest. Polonos suppliciter ut maneret deprecantes redire Cracoviam, ac renunciare Senatui iussit, se nisi summis patriæ necessitatibus ad id consilium non descendisse, sed brevì constitutis Galliæ rebus in Poloniam rediturũ, ac benignè omnes appellatos, flentes plerosque, ac suam fortunam incusantes dimisit. Poloni in priores revoluti difficultates, cùm stare diu Rempublicam eorum non posse sine Rege sentirent, legatione ad eum in Galliam missâ, renunciatâque, ubi reditum eius desperarunt, habitis iterum comitiis, sed nequaquam concordiâ pari peractis,

deri potuerit;atq; hinc profectus Henricus in Galliam est reversus.

De eodem Commendono.

CAPVT XIII.

SED ut & ipsi aliquando revertamur, unde nos Poloniæ res abstulerunt, de Commendoni fide, ac sapientia tanta apud hunc Regem opinio fuit, & fama, quæ de illo in Galliam pervaserat, accepta, & Polonorum prædicatione confirmata, ut neque nomen eius, nisi magno cum honore usurparet unquam, & omnia sibi Regnum intranti, accipientique è sententia evenisse memorans, unum exciperet Commendoni è Polonia discessum; cuius studio eò provectus est, ut Pontificem Maximum per litteras rogare,ac summis contendere precibus non dubitarit, ut nomine legationis eum ad se in Poloniam remitteret, cuius operam, & consilium universo regimini rerum adhiberet. Et mecum de eadem re sæpè agens,nomine Legatum, re participem, & moderatorem rerum omnium futurum apud se, & parentis maiestatem, sanctitatemque obtenturum aiebat, nec se in Republica quicquam, nisi ex consilio, & auctoritate eius acturum, nec alium, si proficiscen-

dum

dum sibi ad Moscicum bellum, quod meditaretur, foret, regendo pro se Regno in Polonia relicturum. Atque hæc postulatio, & cogitatio de se Regis Commendono quidem, ut erat, honesta, ac decora nomini suo est visa: sed sicuti ab tam remoto Rege Regni, ac rerum moderatorem expeti amplum, ac magnificum videbatur; ita ad experiendum ancipitem, ac minimè optabilem rem esse ipse aiebat, haud ignarus quantis se invidiæ æstibus esset commissurus, si homo externus in alieno Regno tantum simul gratiæ, ac potentiæ onus subiisset. Itaque & ipse apud Gregorium Pontificem rem variè distulit, & mors inde Caroli Regis, & reditus in Galliam Henrici penitus discussit. Atque hic finis Commendono per claras actiones, legationesque splendendi fuit. Reliquum vitæ obscurius otium, & dempta ingenio materia fecit. Et Gregorius Pontifex etsi advenientem palàm benignè, & honorâ oratione suscepit; tamen & inferri ei ab Alexandro Farnesio Cardinali, homine potentissimo, litem est passus, cùm prohibere & posset, & videretur debere: & Maximiliano Cæsare querente eum in petitione Regni Poloniæ Henrico proniorem, quàm filio suo fuisse, & in magnam ob id apud plerosque factionis eiusdem invidiam coniectum destituit; seu

deri potuerit;atq; hinc profectus Henricus in Galliam est reversus.

De eodem Commendono.

CAPVT XIII.

SED ut & ipsi aliquando revertamur, unde nos Poloniæ res abstulerunt, de Commendoni fide, ac sapientia tanta apud hunc Regem opinio fuit, & fama, quæ de illo in Galliam pervaserat, accepta, & Polonorum prædicatione confirmata, ut neque nomen eius, nisi magno cum honore usurparet unquam, & omnia sibi Regnum intranti, accipientique è sententia evenisse memorans, unum exciperet Commendoni è Polonia discessum; cuius studio eò provectus est, ut Pontificem Maximum per litteras rogare, ac summis contendere precibus non dubitarit, ut nomine legationis eum ad se in Poloniam remitteret, cuius operam, & consilium universo regimini rerum adhiberet. Et mecum de eadem re sępè agens, nomine Legatum, re participem, & moderatorem rerum omnium futurum apud se, & parentis maiestatem, sanctitatemque obtenturum aiebat, nec se in Republica quicquam, nisi ex consilio, & auctoritate eius acturum, nec alium, si proficiscendum

dum sibi ad Moscicum bellum, quod meditaretur, foret, regendo pro se Regno in Polonia relicturum. Atque hæc postulatio, & cogitatio de se Regis Commendono quidem, ut erat, honesta, ac decora nomini suo est visa: sed sicuti ab tam remoto Rege Regni, ac rerum moderatorem expeti amplum, ac magnificum videbatur; ita ad experiendum ancipitem, ac minimè optabilem rem esse ipse aiebat, haud ignarus quantis se invidiæ æstibus esset commissurus, si homo externus in alieno Regno tantum simul gratiæ, ac potentiæ onus subiisset. Itaque & ipse apud Gregorium Pontificem rem variè distulit, & mors inde Caroli Regis, & reditus in Galliam Henrici penitus discussit. Atque hic finis Commendono per claras actiones, legationesque splendendi fuit. Reliquum vitæ obscurius otium, & dempta ingenio materia fecit. Et Gregorius Pontifex etsi advenientem palàm benignè, & honorâ oratione suscepit; tamen & inferri ei ab Alexandro Farnesio Cardinali, homine potentissimo, litem est passus, cùm prohibere & posset, & videretur debere:& Maximiliano Cæsare querente eum in petitione Regni Poloniæ Henrico proniorem, quàm filio suo fuisse, & in magnam ob id apud plerosque factionis eiusdem invidiam coniectum destituit; seu

subire ipse malam cum Maximiliano gratiam noluit; seu labefactato eius animo ab iis, qui Commendoni dignitati invidentes, apud Gregorium artium regendæ Reipublicæ ut in novo principatu non peritissimum, illum quasi correctorem, obtrectatoremque actorum eius criminabantur. Sed utramque ipse iniuriam magno animo tulit, & adversarium, à quo petitus lite fuerat, constantissime sustinuit: & quod unum de Republica ei restabat Senatorium munus gravitate morum, prudentiæ laude, atque usu maximarum rerum, & exterarum nationum notitiâ ita implebat, ut nemo eum in civitate aut opinione virtutis, aut famâ vitæ perhonestâ, ac decorâ actâ anteiret; nullius sententia, sive in privatis Cardinalium cœtibus, cùm de mandatis à Pontifice rebus consultaretur, sive in Senatu gravior, liberiorque haberetur. Et quibus rebus diminuturos se quidam dignitatem eius, validum ei adversarium excitando, sperarunt, iisdem, quod sæpè fit, auxerunt, clarisque, ac fidelibus amicitiis munierunt. Nam duo nobilissimi, & in Senatu longè cæteros claritudine, atque opibus suis, suorumque eminentes viri, Aloysius Estius Ferrariensis, & Ferdinandus Medices Florentinus Cardinales, quorum fratres in sua quisque civitate Regnum obtinebant, æmu-

æmulatione potentiæ à Farnesio dissidentes, ita se iunxerunt Commendono, ut de eo Pontifice Maximo creando consenserint, adstipulatoresque consilii sui Alexandrum Sfortiam, & Flavium Ursinum, & Marcum Altempsium Cardinales, quorum magnæ erant in Senatu opes, haberent. Et Estius quidem, qui Regia liberalitate, ac Regio vitæ cultu, & blandis, & ad insinuandum se in hominum animos compositis moribus maximè & civitatem omnem, & Patrum partem maximam devinctam sibi officiis, beneficiisque habebat, cùm sponte suâ, & præcipuo erga Commendonum studio, tum Henrici Galliæ Regis iussu (erat enim Estius Gallicæ factionis Romæ princeps) in id consilium penitus incubuerat. Et cùm ægrotare aliquando Gregorium, & inde periculosè laborare emanasset, ita eodem circumeunte, & summa ope adnitente Estio rem composuerant, ut si concessisset tum fato Gregorius, non dubitaretur, quin eum Pontificem Maximum renunciaturi fuerint. Sed & Gregorius convaluit, & Commendonum paucos post annos morbus oppressit, de quo antequam dicamus, pauca de quibusdam moribus eius disserere operæpretium fuerit.

De quibusdam moribus eius.

CAPVT XIV.

VItæ, ac morum gravitatem à puero susceptam, atque adeo insitam ingenio eius perpetuò retinuit: imbecilla adhuc ætate neque cum æqualibus ludere, neque puerilia facere unquam sustinuit. Adultior non conviviis, non spectaculis, aut ullis juvenilibus studiis deditus, majoribus natu, atque his probatioribus applicare sese in more habuit. Vir & risus, & ioci parcus, salibus, & aculeis promptior, maximè ironiis, quibus jucundè exagitare familiares, & interdum figere irritantes solebat; in quo vel intemperans interdum est visus, dum parato, ac celeri ad respondendum ingenio parum moderatur, ut sæpè multos acumine dictorum perstrictos acriùs ostenderit, ab seque alienaverit. Humanitatis, & mansuetudinis laudem magis meruit, quàm tulit: nam sicuti inexpertis æquo plus gravis, ac severus videbatur, ita tractantibus commodus, affabilisque fuit, & in eo, ne quod humanitatis officium, quod ulli deberi videretur, prætermitteret, diligens, ac propè nimius. In sacrorum disciplina, atque institutis Christianæ religionis pie-

tatem

tatem diligenter, ac ſtudiosè, non purè ſolùm, & caſtè coluit. Rem divinam & frequenter, & ſumma cum religione, ac ceremonia faciebat, & à ſuis pro domeſtica diſciplina inviolatè exigebat, ut ſæpiùs per annum confeſſione delictorum, pœnitentiaque expiati divinam ſumerent hoſtiam, quam ipſe ſingulis ſuis manibus peracto ſacro porrigebat: iiſdem ægrotantibus ipſe afferebat; omneſque ſumptus, omniaque Chriſtianæ charitatis officia præſtabat. Sed qui innocentiam morum, & totius vitæ ſanctitatem propè ſingularem per omnem ætatem præſtitit; quique divinarum rerum ſtudiis deditos, piiſque, & religioſis juvenes inſtitutis peramanter amplecteretur, uſu, benevolentia, obſequio tueretur; nec ullam in hominum vita laudem honeſtati, ac pudori anteferret: idem reſpuebat oſtentatores quoſdam pietatis, qui ſpecie rei, quàm ipſa re magis delectati, opinionem modò hominum, exiſtimationemque venantur, & videri, quàm eſſe pii, probique malunt; & hoc artificio, ac ſimulatione religionis, ac modeſtiæ, cuius imaginem ore tantùm, atque habitu exprimere conantur, ad opes ſeſe, atque honores callidè ſæpè inſinuant, quibus in ipſis ita ſe gerunt, ut rei maximè augendæ intendant, ſumptibuſque, ac ſplendidiori cultui,

iniqua pepulisses potiùs, quàm per vim ab invito, ac repugnante ne jus quidem extorqueres, inque eo non ratio, non utilitas, non auctoritas, non respectus cuiusquam valuisset; unde paruas ob res, & quas ipse alioquin floccifecisset, gravia certamina, & in quibus de summis rebus periclitaretur, aliquando subivit. Idem cedentibus adeo facilis, placabilisque, ut vel ultro plurimùm de suo jure, si prece aggredereris, remitteret.

De constantia eius adversus potentiores.

CAPVT XV.

QVo tempore Germaniam Episcopus obiit, vt eam gentem ad Concilium exciret, diversante eo apud Ioachimum Brandeburgium, vnum è Germaniæ septēviris, qui Cæsarem eligunt, magistri sacrorum ex Lutheri disciplina, in quam ipse traductus ab iis Regulus erat, cœnantibus ex consuetudine adstabant, seu jussi vt sermones de divinis rebus sererent, seu sponte, ne quid Ioachimi animum Commendoni oratio permoveret. Horum vnus, nomine Abdias, ex vsu aliquot jam dierum audacior factus (& est omne illud genus mirè confidens) effutierat temere quædam de Romana Ecclesia, eamque adver-

versam semper, infensamque Germaniæ fuisse, gravibusque incommodis gentem affecisse memorabat. Tum enimverò Commendonus, quamquam in hæretici Principis domo, in hæreticorumque potestate esset, tamen hominem severè increpuit; nec petulantiam modò ejus castigando retudit; sed multis repetitis ex annalium memoria beneficiis, quibus auctam, ornatamque Germaniam à Pontificibus Maximis ostendit, postremò versus ad Regulum ipsum, *Quid multa, inquit, quòd familia tua, ac tu ipse septemvirali isto honore inter cæteros Principes Germaniæ emineas, an alteri, quàm Romanæ Ecclesiæ referre acceptum debes?* Commotus eâ oratione Ioachimus, vt erat vir perhumanus, ac mitis, consurgens, ac detracto pileo caput aperiens, qui maximè venerãtium mos est, *Id quidem, inquit, ego & fateor, & præ me fero, manereque apud me, filios, posterosque meos memoriam huius beneficii, honorisque familiæ nostræ habiti sempiternam cupio*: & conversus ad Lutheranum illum Germanicè, *Hic te, inquit, egregiè, & sanè iure, vt mihi quidem videtur, corripuit; nam hospites ne inclementiori quidem verbo violare decet. Sed an vides animi vim nihil pro sua ratione, ac pro dignitate Romanæ Ecclesiæ formidantis? quid putas facturum, si dicere ista Romæ ausus esses, qui*

iniqua pepulisses potiùs, quàm per vim ab invito, ac repugnante ne jus quidem extorqueres, inque eo non ratio, non utilitas, non auctoritas, non respectus cuiusquam valuisset; unde paruas ob res, & quas ipse alioquin floccifecisset, gravia certamina, & in quibus de summis rebus periclitaretur, aliquando subivit. Idem cedentibus adeo facilis, placabilisque, ut vel ultro plurimùm de suo jure, si prece aggredereris, remitteret.

De constantia eius adversus potentiores.

CAPVT XV.

QVo tempore Germaniam Episcopus obiit, vt eam gentem ad Concilium exciret, diversante eo apud Ioachimum Brandeburgium, vnum è Germaniæ septēviris, qui Cæsarem eligunt, magistri sacrorum ex Lutheri disciplina, in quam ipse traductus ab iis Regulus erat, cœnantibus ex consuetudine adstabant, seu jussi vt sermones de divinis rebus sererent, seu sponte, ne quid Ioachimi animum Commendoni oratio permoveret. Horum vnus, nomine Abdias, ex vsu aliquot jam dierum audacior factus (& est omne illud genus mirè confidens) effutierat temere quædam de Romana Ecclesia, eamque ad-

versam semper, infensamque Germaniæ fuisse, gravibusque incommodis gentem affecisse memorabat. Tum enimverò Commendonus, quamquam in hæretici Principis domo, in hæreticorumque potestate esset, tamen hominem severè increpuit; nec petulantiam modò ejus castigando retudit; sed multis repetitis ex annalium memoria beneficiis, quibus auctam, ornatamque Germaniam à Pontificibus Maximis ostendit, postremò versus ad Regulum ipsum, *Quid multa, inquit, quòd familia tua, ac tu ipse septemvirali isto honore inter cęteros Principes Germanię emineas, an alteri, quàm Romanæ Ecclesiæ referre acceptum debes?* Commotus eâ oratione Ioachimus, vt erat vir perhumanus, ac mitis, consurgens, ac detracto pileo caput aperiens, qui maximè venerãtium mos est, *Id quidem, inquit, ego & fateor, & præ me fero, manereque apud me, filios, posterosque meos memoriam huius beneficii, honorisque familiæ nostræ habiti sempiternam cupio*: & conversus ad Lutheranum illum Germanicè, *Hic te, inquit, egregiè, & sanè iure, vt mihi quidem videtur, corripuit; nam hospites ne inclementiori quidem verbo violare decet. Sed an vides animi vim nihil pro sua ratione, ac pro dignitate Romanæ Ecclesiæ formidantis? quid putas facturum, si dicere ista Romæ ausus esses, qui*
ne

iniqua pepulisses potiùs, quàm per vim ab invito, ac repugnante ne jus quidem extorqueres, inque eo non ratio, non utilitas, non auctoritas, non respectus cuiusquam valuisset; unde paruas ob res, & quas ipse alioquin floccifecisset, gravia certamina, & in quibus de summis rebus periclitaretur, aliquando subivit. Idem cedentibus adeo facilis, placabilisque, ut vel ultro plurimùm de suo jure, si preces aggredereris, remitteret.

De constantia eius adversus potentiores.

CAPVT XV.

QVo tempore Germaniam Episcopus obiit, vt eam gentem ad Concilium exciret, diversante eo apud Ioachimum Brandeburgium, vnum è Germaniæ septēviris, qui Cæsarem eligunt, magistri sacrorum ex Lutheri disciplina, in quam ipse traductus ab iis Regulus erat, cœnantibus ex consuetudine adstabant, seu jussi vt sermones de divinis rebus sererent, seu sponte, ne quid Ioachimi animum Commendoni oratio permoveret. Horum vnus, nomine Abdias, ex vsu aliquot jam dierum audacior factus (& est omne illud genus mirè confidens) effutierat temere quædam de Romana Ecclesia, eamque ad-

versam semper, infensamque Germaniæ fuisse, gravibusque incommodis gentem affecisse memorabat. Tum enimverò Commendonus, quamquam in hæretici Principis domo, in hæreticorumque potestate esset, tamen hominem severè increpuit, nec petulantiam modò ejus castigando retudit; sed multis repetitis ex annalium memoria beneficiis, quibus auctam, ornatamque Germaniam à Pontificibus Maximis ostendit, postremò versus ad Regulum ipsum, *Quid multa, inquit, quòd familia tua, ac tu ipse septemvirali isto honore inter cæteros Principes Germaniæ emineas, an alteri, quàm Romanæ Ecclesiæ referre acceptum debes?* Commotus eâ oratione Ioachimus, vt erat vir perhumanus, ac mitis, consurgens, ac detracto pileo caput aperiens, qui maximè venerātium mos est, *Id quidem, inquit, ego & fateor, & præ me fero, manereque apud me, filios, posterosque meos memoriam huius beneficii, honorisque familiæ nostræ habiti sempiternam cupio*: & conversus ad Lutheranum illum Germanicè, *Hic te, inquit, egregiè, & sanè iure, vt mihi quidem videtur, corripuit; nam hospites ne inclementiori quidem verbo violare decet. Sed an vides animi vim nihil pro sua ratione, ac pro dignitate Romanæ Ecclesiæ formidantis? quid putas facturum, si dicere ista Romæ ausus esses, qui*
ne

iniqua pepulisses potiùs, quàm per vim ab invito, ac repugnante ne jus quidem extorqueres, inque eo non ratio, non utilitas, non auctoritas, non respectus cuiusquam valuisset; unde paruas ob res, & quas ipse alioquin floccifecisset, gravia certamina, & in quibus de summis rebus periclitaretur, aliquando subivit. Idem cedentibus adeo facilis, placabilisque, ut vel ultro plurimùm de suo jure, si prece aggredereris, remitteret.

De constantia eius adversus potentiores.

CAPVT XV.

QVo tempore Germaniam Episcopus obiit, vt eam gentem ad Concilium exciret, diversante eo apud Ioachimum Brandeburgium, vnum è Germaniæ septēviris, qui Cæsarem eligunt, magistri sacrorum ex Lutheri disciplina, in quam ipse traductus ab iis Regulus erat, cœnantibus ex consuetudine adstabant, seu jussi vt sermones de divinis rebus sererent, seu sponte, ne quid Ioachimi animum Commendoni oratio permoveret. Horum vnus, nomine Abdias, ex vsu aliquot jam dierum audacior factus (& est omne illud genus mirè confidens) effutierat temere quædam de Romana Ecclesia, eamque ad-

versam semper, infensamque Germaniæ fuisse, gravibusque incommodis gentem affecisse memorabat. Tum enimverò Commendonus, quamquam in hæretici Principis domo, in hæreticorumque potestate esset, tamen hominem severè increpuit; nec petulantiam modò ejus castigando retudit; sed multis repetitis ex annalium memoria beneficiis, quibus auctam, ornatamque Germaniam à Pontificibus Maximis ostendit, postremò versus ad Regulum ipsum, *Quid multa, inquit, quòd familia tua, ac tu ipse septemvirali isto honore inter cæteros Principes Germaniæ emineas, an alteri, quàm Romanæ Ecclesiæ referre acceptum debes?* Commotus eâ oratione Ioachimus, vt erat vir perhumanus, ac mitis, consurgens, ac detracto pileo caput aperiens, qui maximè venerãtium mos est, *Id quidem, inquit, ego & fateor, & præ me fero, manereque apud me, filios, posterosque meos memoriam huius beneficii, honorisque familiæ nostræ habiti sempiternam cupio*: & conversus ad Lutheranum illum Germanicè, *Hic te, inquit, egregiè, & sanè iure, vt mihi quidem videtur, corripuit; nam hospites ne inclementiori quidem verbo violare decet. Sed an vides animi vim nihil pro sua ratione, ac pro dignitate Romanæ Ecclesiæ formidantis? quid putas facturum, si dicere ista Romæ ausus esses, qui*

ne

De quibusdam moribus eius.

CAPVT XIV.

Vitæ, ac morum gravitatem à puero susceptam, atque adeo insitam ingenio eius perpetuò retinuit: imbecilla adhuc ætate neque cum æqualibus ludere, neque puerilia facere unquam sustinuit. Adultior non conviviis, non spectaculis, aut ullis juvenilibus studiis deditus, majoribus natu, atque his probatioribus applicare sese in more habuit. Vir & risus, & ioci parcus, salibus, & aculeis promptior, maximè ironiis, quibus jucundè exagitare familiares, & interdum figere irritantes solebat; in quo vel intemperans interdum est visus, dum parato, ac celeri ad respondendum ingenio parum moderatur, ut sæpè multos acumine dictorum perstrictos acriùs offenderit, ab seque alienaverit. Humanitatis, & mansuetudinis laudem magis meruit, quàm tulit: nam sicuti inexpertis æquo plus gravis, ac severus videbatur, ita tractantibus commodus, affabilisque fuit, & in eo, ne quod humanitatis officium, quod ulli deberi videretur, prætermitteret, diligens, ac propè nimius. In sacrorum disciplina, atque institutis Christianæ religionis pietatem

tatem diligenter, ac ſtudiosè, non purè ſolùm, & caſtè coluit. Rem divinam & frequenter, & ſumma cum religione, ac ceremonia faciebat, & à ſuis pro domeſtica diſciplina inviolatè exigebat, ut ſæpiùs per annum confeſſione delictorum, pœnitentiaque expiati divinam ſumerent hoſtiam, quam ipſe ſingulis ſuis manibus peracto ſacro porrigebat: iiſdem ægrotantibus ipſe afferebat; omneſque ſumptus, omniaque Chriſtianæ charitatis officia præſtabat. Sed qui innocentiam morum, & totius vitæ ſanctitatem propè ſingularem per omnem ætatem præſtitit; quique divinarum rerum ſtudiis deditos, piiſque, & religioſis juvenes inſtitutis peramanter amplecteretur, uſu, benevolentia, obſequio tueretur; nec ullam in hominum vita laudem honeſtati, ac pudori anteferret: idem reſpuebat oſtentatores quoſdam pietatis, qui ſpecie rei, quàm ipſa re magis delectati, opinionem modò hominum, exiſtimationemque venantur, & videri, quàm eſſe pii, probique malunt; & hoc artificio, ac ſimulatione religionis, ac modeſtiæ, cuius imaginem ore tantùm, atque habitu exprimere conantur, ad opes ſeſe, atque honores callidè ſæpè inſinuant, quibus in ipſis ita ſe gerunt, ut rei maximè augendæ intendant, ſumptibuſque, ac ſplendidiori cultui,

non modestia, sed cupiditate parcant, & sordes animi, atque avaritiam falsis frugalitatis, & parsimoniæ vocabulis tegant; & plerumque tenaces, ac restricti moderatos se, ac paucis contentos ferri volunt. Hos ille & aspernabatur, & arguebat, religionis laudem non fictis pietatis studiis, nec inani ostentatione sanctitatis, sed mentem Deo puram, castam, piam præbendo, & externæ ceremoniæ, externo cultui, externis actibus habitum animi æquando haberi ferens. Voluptatum omnium ultra fidem abstinentissimum ne malevoli quidem, & obtrectatores eius negabant: ut id ipsum ei vitio verterent quidam, quòd ne concessis quidem oblectamentis, veluti sensibus alienatus, reficeret animum, continentiam, & meliorum studia rerum stuporem, tristitiamque appellantes. Nos quod diuturno, & domestico usu perspectum habemus, verè possumus de illo affirmare, sive hoc naturæ fuerit paulò austerioris, sive pertinax studium suscepti instituti perpetuò retinendi: remittentem quidem animum, hilareque, & iucundè cum amicis, & familiaribus suis iocantem, agentemque persæpè; ad ullum genus voluptatis, quod non modò turpitudinis, sed vel mollitiæ, vel levitatis suspicionem haberet, descendentem vidimus sanè numquam; ne ad ea

qui-

quidem, quæ concessu eius capere suis liceret. Verùm qui non aucupio, non venatu ullo umquam tempore fuerit delectatus, obequitare sylvas, saltusque, altissimos conscendere montes, nulla viarum asperitate retardante, atque omnes ubique captare prospectus ad fastidium usque comitantium solebat, à quibus laboris tædio sæpè relictus, neque ferebat ægrè, & porrò pergebat nihilominus, quò lustrandi cuncta studium rapuisset. Gaudebat etiam, si quando agasones ipsos, ac servos à pedibus ipse anteiens fatigasset; atque huic generi voluptatis per omnem ætatem intemperanter indulsit. Natura ad iram pronus, ac si frænum laxasset, præceps fuit; sed eius laudum haud postrema hæc fuerit, quòd impetum animi effervescentis ita comprimere, ac domare assueverat, ut, quod paucis contigit, iram in potestate haberet. Inimicitias, ac simultates, quamvis lacessitus, ac læsus, sustinuit magis, quàm exercuit: collegas in publicis muneribus, legationibusque clam invidentes, atque obtrectantes sibi ultro laudibus apud Pontifices Maximos, ac testimoniis prosequebatur, eâque moderatione sæpè communis industriæ gratiam solus tulit. Asperior adversantibus, pervicaciorque est habitus: nam contra voluntatem eius acriùs tendendo vel ad

iniqua pepulisses potiùs, quàm per vim ab invito, ac repugnante ne jus quidem extorqueres, inque eo non ratio, non utilitas, non auctoritas, non respectus cuiusquam valuisset; unde paruas ob res, & quas ipse alioquin floccifecisset, gravia certamina, & in quibus de summis rebus periclitaretur, aliquando subivit. Idem cedentibus adeo facilis, placabilisque, ut vel ultro plurimùm de suo jure, si prece aggredereris, remitteret.

De constantia eius adversus potentiores.

CAPVT XV.

QVo tempore Germaniam Episcopus obiit, vt eam gentem ad Concilium exciret, diversante eo apud Ioachimum Brandeburgium, vnum è Germaniæ septēviris, qui Cæsarem eligunt, magistri sacrorum ex Lutheri disciplina, in quam ipse traductus ab iis Regulus erat, cœnantibus ex consuetudine adstabant, seu jussi vt sermones de divinis rebus sererent, seu sponte, ne quid Ioachimi animum Commendoni oratio permoveret. Horum vnus, nomine Abdias, ex vsu aliquot jam dierum audacior factus (& est omne illud genus mirè confidens) effutierat temere quædam de Romana Ecclesia, eamque ad-

versam semper, infensamque Germaniæ fuisse, gravibusque incommodis gentem affecisse memorabat. Tum enimverò Commendonus, quamquam in hæretici Principis domo, in hæreticorumque potestate esset, tamen hominem severè increpuit, nec petulantiam modò ejus castigando retudit; sed multis repetitis ex annalium memoria beneficiis, quibus auctam, ornatamque Germaniam à Pontificibus Maximis ostendit, postremò versus ad Regulum ipsum, *Quid multa, inquit, quòd familia tua, ac tu ipse septemvirali isto honore inter cæteros Principes Germaniæ emineas, an alteri, quàm Romanæ Ecclesiæ referre acceptum debes?* Commotus eâ oratione Ioachimus, vt erat vir perhumanus, ac mitis, consurgens, ac detracto pileo caput aperiens, qui maximè venerãtium mos est, *Id quidem, inquit, ego & fateor, & præ me fero, manereque apud me, filios, posterosque meos memoriam huius beneficii, honorisque familiæ nostræ habiti sempiternam cupio:* & conversus ad Lutheranum illum Germanicè, *Hic te, inquit, egregiè, & sanè iure, vt mihi quidem videtur, corripuit; nam hospites ne inclementiori quidem verbo violare decet. Sed an vides animi vim nihil pro sua ratione, ac pro dignitate Romanæ Ecclesiæ formidantis? quid putas facturum, si dicere ista Romæ ausus esses, qui*

ne in nostro quidem Regno, domoque dici impunè patiatur? Iter ad Maximilianum Cæsarem Pii V. missu habens, Oenipontem cùm advenisset, Ferdinandus Cæsaris frater, cuius imperio qui Rhetias Alpes incolunt, populi parent, sive occupatus hospitum aliorum adventu; nam aliqui tum fortè apud eum Reguli Germanorum erant, læta pro more gentis convivia celebrantes, sive per incuriam, non obviàm itione, non hospitii, non denique vllius officii honore, quod & mos, & dignitas ejus postulabat, aut advenientem affecit, aut abeuntem est prosecutus. Post paucos inde menses actâ, vt docuimus, legatione rediens Viennâ in Italiam, cùm flectere aliò, aut declinare Oenipontem nequiret, quanquam Ferdinandum intellexerat correcturum, quæ prius prætermiserat; tamen ad oppidum manè summo, antequam lucesceret, cùm sequenti die venturus putaretur, accessit, transgressusque milliare vnum ad monasterium quoddam divertit. Presto fuere à Regulo missi, qui hospitaliter in Regiam invitarent, excusarentque inopinato adventu eius factum, vt honor illi, qui deberetur, advenienti habitus non fuerit. Commendonus suo se vsurum hospitio respondit, & pransum iter porrò persecuturum, & gratias Ferdinando, & salutem abse referre eos jussit. Veritus

Fer-

Ferdinandus, ne & inofficiosus in Pontificem Maximum, & alienior à viro commendatione virtutum imprimis claro haberetur, & qui se ab elato animo cuivis Regum honore, atque amplitudine æquari vellet, ne agrestis atque illiberalis notam subiret, si nullo cultum officio, ac ne visum quidem virum talem abire pateretur, ipse conscensis equis magno comitatu in monasterium ad Commendonum venit, fuitque plures cum illo horas, atque humanitate animum permulcere est conatus. Tum demum certavit officiis cum eo Commendonus, ita vt & Ferdinandum prioris negligentiæ pœniteret, & vterque renovatâ gratiâ lætari videretur. Sed cùm dignitatis suæ retinens, tum verò vt eâ decederet, nullius aut gratiâ, aut metu adigi se patiebatur. Henrico Polonorum Rege creato, vt ostendimus, & Ernesto præterito Maximiliani Cęsaris filio, Commendoni adversarii, & Maximiliani ipsius Legati, quo à se averterent, culpam omnem eius repulsæ in Commendonum contulerunt, propensiorem eum in Galliam fuisse, atque illi omnibus suis studiis favisse criminantes, dictis eorum facilè exitu rei fidem astruente. Hæc Cæsar seu credidit, seu causam hanc ertatis suis, suorumque obtenderet, graviter, atque acerbè de Commendono, tamquam ab eâ

filius

filius honore deiectus esset, querebatur: eoque iræ processit, vt redituro è Polonia per Ioannem Delphinum Episcopum Torcellanum, Pontificis apud se Nuncium denunciari iusserit, non modò vt Viennam ex itinere non attingeret, vbi Regiam ipse habebat, sed Austriæ quoque finibus abstineret. Et erant Commendono alia æquè commoda, nec longiora itinera, quibus in Italiam rediret, & qui cum illo erant, precibus eum hortabantur, vt per Bohemiam in Bavariam ad amicissimum sui Regulum, & perhumaniter invitantem diverteret; Austriam omitteret vel benevolo Cæsare, Pontificum Legatis defectione à Christianis sacris satis infensam. Sed ille neque dignitatis suæ esse Cæsari in eo parere, & culpæ, aut certè timoris confessionem habiturum aliò deflexum iter ferens, non Viennam modò recto itinere perrexit; sed etiam triduum in suburbano monasterio sacrificii causa, quod Kal. Novembris solemne incidit omnibus Divis, est immoratus, quò ad eum visendum multi præstantes viri, & omnes, qui Viennæ erant, Regum Legati convenere. Et ipse, ne quid ab se de pristino instituto, aut animo commutatum videri posset, per eundem Delphinum interrogari Cæsarem jussit, an ab se adiri, ac salutari vellet. Quo congressum declinante, ipse

inco-

incolumis inde, nullo aut dicto, aut facto violatus, nihil dignitate suâ indignum unquam passus in Italiam transiit. Ab eadem legatione redeuntem Romam gravis cum potentissimo homine controversia excepit, quam ipse animo haud quaquam ab se discrepante & subiit, & gessit. Abbatiam Veronæ uberrimi vectigalis vacuam fortè Andreæ Cornelii morte Commendono Pius V. tradiderat. Eam Alexander Farnesius Cardinalis ad se rediisse certo iure contendebat: sed sub Pio severitatem iudicii, quod ei de manifesta fraude, quam confidentiam vocant, intendebatur, veritus, iuratus cesserat causæ. Mortuo demum Pio, non tam jus, quod nullum erat, quàm dolorem, atque iram prioris judicii lite prosequebatur, Gregorio novo Pontifice permittente. Et Commendonus iniuriam illam, & imparem cum homine tantis fortunis, copiisq; circumfluente contentionem à Gregorio, quem esse in adversarium proniorem, ac sibi minus æquum senserat, ut deprecaretur adduci non potuit, diligentiâ se, ac bonitate causæ adversarii potentiam æquaturum sperans; quin vehementer pro se litteras Regis Galliæ manu ea de re ad Pontificem scriptas reddi vetuit. Is erat Farnesius nepos Pauli III. Pontificis Maximi, summi viri, & cui summæ laudes

consilii, & sapientiæ deberentur, si eas publico bono habere, quàm in filii, nepotumque augendis opibus pessimo publico omnes impendere maluisset. Quo in studio adeo nimius fuit, ut qui Reipublicæ præclarè gestæ famam ferre potuerit, laceratæ, atque distractæ invidiâ gravissimè laborarit. Nam Petrum Loysium filium inde ante Cardinalatum concubina susceptum, primò Camertibus dominum imposuit invitis, & in pristino jure, quo in fidem, ac ditionem Romanæ Ecclesiæ redierant, manere cupientibus. Eidem castrum, aliquotque præterea oppida haud longè ab urbe sita contribuit: postremò Placentiam quoque, & Parmam, valentissimas urbes summâ virtute à Iulio II. Pontifice Maximo Regibus, à quibus occupabantur, ereptas, & adversus descendentes ab Alpibus barbaras nationes pro muro objectas tradidit: inque ea re adeo Rempublicam ludibrio habuit, ut cùm pro iis Camerinum reddi sibi voluisset, Senatusconsultum fieri cum ea perscriptione jusserit, eam permutationem utilem Reipublicæ videri. Quo in loco nos præterire nolumus Marini Grimani Cardinalis contumax quidem adversus Pontificem, ac defectioni proximum, sed utile pro Republica fortè consilium, si perductum ad effectum fuisset. Is tum iis urbi-

bus

bus Legatus cum imperio præerat, atque adeo rem non probavit, ut jussus eas Petro Loysio tradere, nec statim paruerit, & palàm juraverit, si prompta sibi decem aureorum millia militibus ad oppidorum custodiam scribendis fuissent, audientem se Pontificis dicto non futurum: sed sublato edita in turri cum geminis clavibus insigni Romanæ Ecclesiæ vexillo, urbes in potestate sua, & futuri Pontificis habiturum. At Paulus ad eam denique magnitudinem extulit filium, ut nec Carolus V. nec Henricus II. summi Christiani nominis Reges infra fortunæ suæ fastigium duxerint socerum eum filiarum suarum videre. In Pontificis enim gratiam Octavio Petri Loysii filio Margarita Caroli Cæsaris, Horatio Octavii fratri Diana, Henrici Regis Galliæ filia, sed neutra, justo matrimonio genita, nupsere; in quibus ornandis, Regioque cultu pro sua, parentumque amplitudine habendis Paulus ingentes pecunias effudit, atque eò inde spes, & cupiditates suas extulit, ut Mediolanensium Imperium, de quo internecino bello inter Gallos, Cæsaremque certabatur, transferre in domum suam appetierit, deque eo tentare Cæsaris animum non sit veritus, cum illo apud Cremonam congressus. At statim Pontificatu inito, Alexandrum Petri Loysii item filium,

filium, & Ascanium Sfortiam Constantia eiusdem Petri Loysii sorore ortum, ac paulò pòst Ranutium quoque Alexandri fratrem, pueros omnes, quorum nemo xv. annum attigerat, Cardinales creavit, opulentisque beneficiis, ac sacerdotiis ornatos, amplissimis Romanæ Ecclesiæ muneribus præposuit. Nam Alexandrum, in quem fuisse proclivior est visus, Vicecancellarium, Ascanium Camerarium, Ranutium Pœnitentiarium fecit; & maximè Alexandrum tantis adauxit, & cumulavit divitiis, tantis circumsepsit præsidiis, ut cùm neque honores nisi per eum impetrari ab se pateretur, ac sacerdotiorum ditissimum quodque aut differret ad eum, aut in alios conferens eam adiungeret conditionem, ut iis fato perfunctis, qui ab se accepissent, ad Alexandrum inde ea redirent, unus omnem propè civitatem beneficiis obstrictam, latissimeque propagatas clientelas, amicitiasque haberet, ac in eo ordine potentiorem hominem ætas nostra non viderit. Cum hoc igitur controversia, atque lis Commendono intercessit, tenuitque ultra biennium; irritati enim animi utrinque erant, quòd sub Pio Farnesius cum Commendono congressus, non debere quemquam adeo præsentibus rebus, gratiæque confidere, quin cogitaret mutari cum Pontifi-
cibus

cibus tempora solere dixerat: Commendonus, & ita id quidem esse responderat, & optimè omnium sciri ab his, qui aliquando propinqui Pontificis, & potiti rerum fuissent. Id Farnesii animum elatum, tumidumque altè penetravit, eoque magis urebatur, quòd appeti, ambiri, rogari suetus Commendonus ne ad colloquium quidem ea de re secum unquam se demisisset. Itaque Farnesius amico agenti cum eo, ut ne pergeret indecoro iudicio seque, ac virum magnæ in civitate existimationis conflictare, responderat, Ita tractor ab illo, ut si ipse Farnesius esset. Commendonus quoque cùm familiarium, & amicorum intimis consiliis stimularetur, ut aliquem finem tam impari dimicationi imponeret, quod haud difficile esset futurum, si modò imperare ipse sibi posset, ut Farnesium comiter appellaret, eumque domi conventum prece, & commoda oratione aggrederetur, ille moriturum se priùs, quàm id faceret, affirmavit; quippe nec à Pio illud se petiisse sacerdotium, & ultro traditum nemini alteri acceptum laturum: ipsum Gregorium se Pontificem Maximum, qui eam sibi iniuriam patiendo fieri fecisse dici posset, deprecari noluisse; supplicem Farnesio iturum? Iudices aut per suos quæ in rem essent edocebat, aut per amicos, magnæ

viros

viros auctoritatis, officii admonebat, continebatque, ut causæ, non gratiæ essent. Ipse eos aut blandius appellare, aut prehensandi, & conciliandi causa domi convenire numquam sustinuit: quod Farnesius, tanti vir fastigii, factitare curru circumvectus non est veritus; adeo elatos hominis spiritus sibi ira, & cupiditas submiserant. At Commendonus hunc tenuit semper modum, ut neque dicto, factove ullo adversarium læderet, quòd & vitæ institutis, & persona illa alienum duceret, ullas inimicitias, aut simultates exercere, & ius, atque causam adeo intento studio, constantique decreto defenderet suam, ut quantùm opibus adversarius excelleret, tantùm superari industria videretur. Initium agendi de compositione tandem à Farnesio est ortum Commendoni perseverantia fesso, & diffidente iam etiam causæ, & maximè invidia commoto, quam inde excitatam sibi inter Patres senserat. Igitur interpretibus Alexandro Sfortia, & Nicolao Caetano Cardinalibus, ex auctoritate Gregorii reconciliata inter eos concordia est, magnopere confirmata opinione, quæ de Commendoni animo excelso, & adversus aspera obfirmato antea quoque erat.

De

De more eius numquam se purgandi, de quo conscius sibi non esset.

CAPVT XVI.

SIQVEM alienatum à se suspicione aliqua, aut malevolorum artificio, non ullo suo merito comperiisset, ei ut errorem eximeret, aut se, de quo offensum illum sensisset, purgaret numquam adduxisses. Paulo IV. Pontifici Maximo inter paucos è familiaribus carus, acceptusque fuit prorsus, ut ferri in sinu videretur. Initio scribendis epistolis ascitus, mox ad Cæsarem, ad Italiæ Principes, ad Venetos missus; crebris Pauli testimoniis fides, industria, sanctitas est iuvenis celebrata, ut iam non dubitarent homines cum ad Cardinalatum usque proferre. Itaque bello inter Pontificem, & Hispanos exorto, ad concitandos in societatem armorum Venetos mittitur. At qui eius spei invidebant, facilè Carolo Carafæ persuaserant, ut iuvenem acrem, & si Cardinalis fieret, nequaquam ei obnoxium futurum, & magna Pauli gratia, eiusque itineribus euntem ultrà crescere ne pateretur; & ipsi iam Carolo inquinatissimè, ac perditè viventi suspecti graves, atque integri Commendoni mores erant. Ab eo igi-

igitur insimulatus apud Pontificem est, quasi in Hispanorum causam inclinatione voluntatis propenderet. Reversus Romam, cùm & quo mendacio ostensus, & alienatus ab se Paulus sciret, & criminis ipsius facilis ei inficiatio, ac depulsio esset futura, nec clausus, si niti voluisset, ad se purgandum aditus, & amici hortarentur adire Pontificis ipsius aures, pertinaciter abnuit innocentiæ fiduciâ, & conscientiâ tutus, & Paulum obsessum à suis alienâ jam voluntate regi, agique intelligens. Quo tempore in Polonia Nuncii Apostolici munere fungebatur, apud Augustum Regem magno in honore, ac dignatione fuit. Nam non aditus modò ad eum patuit quoties, & quo tempore voluit: sed ultro sæpè accersebatur, atque de omnibus privatis, ac publicis rebus cum eo Rex communicabat, & frequenti, & perquàm familiari consuetudine ejus delectari, & consilio, prudentiæque ejus tribuere plurimùm videbatur, multique studio, & commendatione illius ad honores, magnamque fortunam sunt provecti. Arrepta hinc malevolis quibusdam obtrectandi ansa, & cùm Augustus repudiare uxorem flagrantissimè cuperet; consiliaque illa agitaret, de quibus à nobis suprà commemoratum est, rumorem distulere, à Commendono Regis conatum adjuvari;

eaque

eaque suspicio ita est apud Reginam, Cæsaremque fratrem illorum obtrectatione, artificioque confirmata, ut Cæsar Andreę Duditio Episcopo Quinque-Ecclesiensi, & Cerzbachio Slesio, claris viris, quos Legatos de sororis rebus ad Augustum misit, mandarit ut nullius rei, quæ ad Reginam pertineret, Commendonum participem haberent. Legati cum eo sæpè congressi de aliis rebus satis pro consuetudine, & more inter se Legatorum, de Regina, cujus de causa venerant, nullum umquam verbum. Sensit Commendonus eâdem opinione imbutos, quam ei confessa de se Regina fuerat: & quamquam unus jam tempestatem non sustinuerat modò, sed etiam excusserat, cùm Regis impetum remorando, cohibendoque, tum deterrendis iis, qui a'tores cupiditatis ejus putabantur; tamen neque Legatis se, neque per eos Cæsari purgare sustinuit, nec omnino mentionem ullam Reginæ apud eos facere: donec Legati ipsi, per se compertâ re, ac perspectâ, ad Commendonum venerunt, litterasque ei Cæsaris manu scriptas reddiderunt, quibus fide, pietate, industriâque ejus collaudatâ, multis & honorificis verbis gratias ei agebat, testabaturque quàm grata sibi ejus in sororem, seque, & Austriam omnem familiam officia fuissent, quamquam sciret ea ma-

gis ex religione, ac fide sua, quàm gratiæ causa cujusque suscepisse. Exinde Legati nihil nisi de sententia, & consilio ejus egerunt. Ab ultima legatione Romam reverso cùm idem Maximilianus Cæsar ei haud minùs gravi ex causa vehementiùs succenseret, quòd in petitione Regni Poloniæ, ut antè memoravimus, favisse Henrico Galliæ Regis fratri, filiumque suum dejecisse insimularetur, Gregorius Pontifex, qui tueri fidem Legati probatam, perspectamque sibi debuerat, destituit, & quantùm in ipso fuit, à se rei invidiam in Commendonum derivavit. Eo non Maximilianus solùm, sed Hispani etiam, & Philippus, cujus Romæ magnæ, ac propè nimiæ sunt opes, offensiores in eum esse videbantur: quod negligendum Commendono nemini amicorum videbatur, auctoresque erant, ut Gregorium, quando tam ingratus in se fuisset, ulcisceretur, & utrique Regi mandata, quæ ab ipso acceperat, proderet. Nullius nec precibus nec auctoritate vinci potuit umquam, ut se ulli eorum, quod ei facile, explicatumque futurum fuit, de Polonicis comitiis purgaret, non Regum se, sed Pontificis Legatum fuisse ferens, ei quidem satis fidem probasse suam, cæteri quid opinarentur non ad se magnopere pertinere. Præterquàm quòd non debere se aiebat malo

publi-

publico perſequi privatam injuriam, & Pontificem Maximum, quamquam ſibi parum æquum, cum Chriſtianis Regibus committere, quin ambitionis, aut cupiditatis opinionem ſubiturum, ſi quos non læſerit, iis ſatisfacere, eorum affectare gratiam videretur: nec ullam excuſationem aliquâ culpæ ſuſpicione vacare, & culpam qui præſtant, excuſari non debere. Nec eum conſtantis, ac rectæ mentis fiducia fefellit; uterque enim Rex, ut veritatem ferè dies aperit, fide ejus perſpectâ, & litteras ad eum reconciliatæ gratiæ pignus poſtea dedit, & Rex Hiſpanię Apoſtoli Philippi in Phrygia pro fide erga Chriſtum Deum interfecti os brachii, ad templum, quod ei Divo ædificabat, ornandum, ſanctiuſque eâ reliquiâ corporis ejus reddendum, dono dari ſibi à Commendono poſtulavit. Eam ipſe è Germania ex æde Matthæi apud Treviros de ſacerdotum, qui fano præerant, voluntate detractam in Italiam cum aliis multis attulerat, & petenti Regi argenteâ incluſam thecâ in Hiſpaniam perlibenter miſit, à quo quidem ritè, atque caſtè ſuſcepta ſuo in templo repoſita eſt.

De abstinentia eius.

CAPVT XVII.

VT sui minimè profusus, ita alieni abstinentissimus fuit. In frequentibus legationibus, quas, uti docuimus, pro Republica obivit, cùm veras innocentiæ, atque integritatis laudes externis nationibus, quas infatigabili cursu peragravit, ostendit, tum maximè abstinentem in omni re non se solùm, sed suos etiam præstitit. Cùm ampla illi, lataque multarum rerum potestas, & major quàm pro more propter spectatam ejus fidem, & diligentiam ferè permitteretur, hujus usus potestatis ita ab omni semper quæstu abfuit, ut nullus à quoquam teruncius cujusvis rei diploma auferente insumptus umquam sit, ne pro scriptura quidem, atque opera. Ac si quando res cogere videbatur, neglectæ legis mulcta remitteretur, eam ipse mulctam aut templis, aut egentibus esse jubebat. Si quem suorum accepisse quicquam ab ullo provincialium quamcumque ob rem comperiisset, statim cum ignominia domo exigebat; nec minùs iis irascebatur, qui dedissent: magnam verò ab eo gratiam inibat, qui delatum ad se donum rejecisset, idque ipse pro suis fa-

culta-

cultatibus remunerabat. Quâ disciplina est consecutus, ut & amarent eum sui, & vererentur, & existimationi ejus perinde, ac suæ studerent. Cujus rei experimentum, fructumque perjucundum aliquando cepit. Provincia decedens usus in itinere hospitio est Archiepiscopi cujusdam, fortunæ viri amplissimæ, & copiis, & opibus magnis præditi, sed qui senserat se Commendono suspectum, quòd parum sincerâ fide Catholicæ religionis partes tueri, conjunctiùs, & amantiùs cum hæreticis vivere, quàm Archiepiscopum deceret, diceretur. Eò impensiùs huic tegendæ, aut abluendæ famæ, hospitem eum magnificè, ac splendidè acceptum omnibus humanitatis, & comitatis officiis percoluit. Abeunti cùm non solùm ipsi argentea vasa magni ponderis obtulisset cum pertinaci obtestatione ut acciperet, sed familiaribus quoque ejus singulis pro cujusque fortuna munera eodem tempore dari jussisset, nemo inventus est qui acciperet, ne coci quidem, aut ultimi ministrorum. Ea res Commendono oppidò perquàm grata accidit læto respondisse institutis suis mores omnium suorum, nec ambitiosi hospitis largitioni cujusquam cupiditatem patuisse. Atque hujus ipse continentiæ permulta, & magna documenta dedit, & qui locupletare

se nec injusto, nec insueto aliis compendio potuit, gloriam, quàm divitias ferre è publico ministerio satius habuit. Ego ne, quod longum esset, singula enumerem, duo tantùm exempla subjiciam. Cùm in Germanica legatione, in quam Episcopus ad Concilium indicendum est missus, ad Ioachimum Brandeburgensium Regulum, unum è septemviris, qui suffragiis suis Cæsarem creant, & ipsum Lutherana doctrina, factioneque imbutum venisset, ut suprà docuimus, summoque apud eum in honore fuisset, discedentem ille regia munificentia prosequi cupivit. Nam equos eximios quatuor, varii usus argentea vasa, atque in his ex argento item, sed auro superinducto pateras binas notabilis magnitudinis, ac ponderis, Germanico factas opere, quibus illi solemnibus potant dapibus, horologium summi artificii, quo magnopere Germanorum ingenia gaudent, excelluntque, adjecit, & aureos nummos quingentos, præfatus haud ignarum se quantis sumptibus qui procul ab domo peregrinantur, hauriri necesse sit. Ex his Commendonus nihil accepit, atque contendenti Regulo, & pudori sibi sua spreta munera fore querenti non cessit, professus rem modò ab se remitti, gratiam rei perlibenter accipi. Cùm item è Polonia no-

vo Cardinalatus honore insignis in Italiam proficisceretur, Augustus Rex indecorum sibi existimans, si virum ea dignitate è Regno suo decedere nulla sua liberalitate usum pateretur, per Petrum Miscovium Episcopum Plocensium, unum è Poloniæ proceribus, ac tum principem apud eum gratiæ locum obtinentem, diploma ad eum Regiis signis, atque chirographo consignatum misit, quo ei annuum vectigal duorum millium Vngaricorum duabus solvendum pensionibus constituebat. Quo quidem diplomatè testabatur Rex id quod res erat, non sibi ante eum diem studium bene, ac largiter merendi de viro tali defuisse, sed ipsum obstitisse voluntati suæ omnia repudiando. Quod tum quoque contigit. Nam Commendonus, quamquam ei pro novæ dignitatis splendore pertenuis, atque angusta res esset, tamen gratias simul, & diploma ad Augustum referre Miscovium jussit, pulchrè quidem mereri, sed pulchrius contemni Regum dona existimans. Sed Rex de eo litteras ad Pontificem Maximum dedit, nec destitit, donec Pontificis adactus imperio Commendonus munus Regium recepit. Ita factum, ut & liberalitas Regis, & Legati abstinentia egregiè constiterit. Hæc, atque alia hujusmodi multa abstinentis, atque integri animi documen-

cumenta eò majori admiratione accepta, celebrataque sunt, quò nos antea graviùs & cupiditatis infamiâ apud exteras nationes premebamur. Nec parva in iis alienatarum gentium culpa residere creditur, qui ad eas in fide, atque in antiquæ sanctitatis officiis continendas missi, ita se turpium quæstuum, atque avaritiæ sordibus contaminarunt, ut Romanum nomen in magna inde acerbitate, atque invidia externis gentibus posuerint. Quæ maximè unius virtute, atque abstinentiâ deleta macula est.

De habitu corporis, & valetudine, & morte eius.

CAPVT XVIII.

STATVRA fuit iustâ, erectâque, & minimè tardo incessu, facie decorâ, magnamque gravitatem, ac dignitatem præferente, colore subfusco, sed florido, & ferè rubentibus genis, barbâ, capilloque denso, & admodùm nigro; nigris item oculis, vegetisque, & acutâ, ac celeri acie; naso paulò eminentiore, & qui subridenti spontè, ut notari posset, moveretur: aures item mobiles habuit, & parvas, dentes raros, & minutos, adeo ut ultimâ ætate ab inferiori gingiva vix extarent: reliquis

liquis membris teretibus, & validis fuit, & toto corpore optimè constituto, ac firmo. Vini, cibique iuxtà modici, sed quem avidè, ac properè sumeret, neque in eo ulla lenocinia quærebat, vulgari, ac parabili contentus; somni adeò potens, ut & statim caperet cùm vellet, & quâcumque destinasset hora abrumperet. Valetudine per omnem vitam est usus prosperrima: quippe cùm omnes Europæ provincias durissimis sæpè anni temporibus peragrasset, omnes itinerum labores, omnia peregrinantium incommoda pertulisset, languentem de via, aut ullo labore fatigatum nemo unquam vidit; sed nec febrim unquam sensit, nec ullo decubuit, aut omnino magnopere laboravit morbo, nisi quòd interdum animo linqui ad breve spatium soleret: quod tum ferè fiebat, cùm aut missum sanguinem, aut recens aspexisset vulnus, aut etiam cùm acrior cura animum eius versaret; sed si vel paulùm modò quateretur sopitus, vel frigida aspergeretur, statim excitabatur, nihilo pristini vigoris deperdito: unde neglectum ab ipso, ac ne indicatum quidem medicis est malum; adeò in nulla suspicione comitialis, aut omnino ullius gravioris morbi habuit. Ingravescente ætate vires sumpsit, & cùm antè vix quinto aut sexto quoque anno semel sentiretur, iam frequentiùs, graviusque

que infestabat, nec tamen lædere ulla ex parte, aut infirmare pristinum robur valetudinis videbatur. Sed insidiosum virus in occulto gliscens, animo quàm corpori infestiùs grassari, atque ipsam sensim corrumpere, ac labefactare mentem, magis mirantibus ingenii, morum, naturæ, vitæque mutationem, quàm satis intelligentibus causam, qui ei in domestico usu, ac familiaritate eramus. Quotidie molestior, iracundior, & sui impotentior fieri: quocumque cupido impulisset, non ipse se inhibere, non alii moderari poterant; ipsa excellentissimarum virtutum ornamenta, quarum gloria floruerat, elanguescere, atque adeò in contrarium verti, & ingenii vis omnis hebetari in dies videbantur, & ex diligenti medicorum consultatione adhibita remedia morbi vim, contumaciamque irritarunt; tanto enim impetu mox erupit, ut voce, spirituque abrepto, diu pro mortuo iacuerit, nec igne, nec ferro adhibito excitari, revocarique malo obruti sensus potuerint, donec ipsa per se desæviente, ac remittente peste, revixere tandem, ac suus corpori vigor rediit. Mens exinde illi numquam satis constitit, maximè ea pars dilapsa est animi, quæ reliquarum custos ingenii partium dicitur, ut vitiata, penitusque extincta memoria, qua antea summa, & admi-
rabili

rabili fuerat, & sui, & aliorum oblivisceretur. Quia solitudine maximè conturbari, afficique videbatur, adhibiti assidui custodes, qui cogitationibus defixum serendo sermones variè detinerent. Et ipse sicuti sua sponte haud facilè silentium abrupisset, ita illatum ab alio sermonem arripiebat, protrahebatque spatiando, ac loquendo longissimè, eadem assiduè repetens; nec rem cœptam unquam omisisset, nisi novo injecto sermone aliò de industria traductus fuisset, in eo semper insistens quod novissimè subiectum esset, priorum penitus immemor: nec tamen seu narraret aliquid, seu dissereret, ordinem non tenebat, ac ne solito quidem acumine oratio eius carebat, sententiis quoque, verbisque apta, & cohærens, & si res postulasset, etiam salibus, iocisque distincta, sed iisdem se semper revolvens. Atque in hac miseria annum ferè transegit, miserantibus, & lacrymas ægrè comprimentibus qui in colloquium eius admittebantur, recordantibus gravitatis, ingenii, eloquentiæ, & variarum, & pulcherrimarum rerum notitiæ, quâ tenere hominum aures, & sui admirationem facere erat solitus. Ne Romæ infelicitas eius spectaculo esset, & quia curandi spem aliquam tamen fovebamus, & occulendæ rei studebamus, lecticæ impositus Pata-

vium est adductus. Ibi omnibus frustra adhibitis remediis, quintum post mensem nova erumpente vi morbi extinctus est. Ad VIII. Kalendas Ianuarii, Natali die Christi, anno M. D. LXXXIV. ætatis suæ sexagesimo, sacris religiosè, ac piè, ut videbatur, cùm interfuisset, peractis iis capturus cibum consedit, & repentè collapsis omnibus membris supinus cecidit. Strato illatus eum diem, & noctem insequentem iuxtà mentis, ac sensuum expers, atrocibus motibus, & colluctationibus volutatus, postridie eius diei, eadem fermè hora, qua corripuerat eum morbus, fœdè, miserabiliterque oculis, atque ore distorto, ad vitæ finem pervenit, genere mortis, quale ipse minimè optaverat. Mentione enim aliquando Iulii Cæsaris orta lentum exitum damnantis, subitumque, & inopinatum præferentis obitum, ipse longè præstare aiebat sensibus, ac mente integra decedere; magni scilicet æstimans, animum priùs morti componere, & Deum sibi per Christianæ disciplinæ sacra, piaculaque propitiare: Augustini dictum sæpè usurpans, Neminem, quamvis nullius criminis, delictique conscium sibi, committere debere, ut sine dolore offensi, aut certè non perinde, ac de humano genere mereretur, culti divini numinis è vita discederet. Elatus est nullo funeris honore,

nore,& in Capucinorum æde (nam utrumque antè teſtamento ipſe ita mandaverat) vulgari ſepulcro eſt conditus.

Finis Libri quarti, & vltimi.





LE



LECTORI.

ORationis habitæ à Commendono in comitiis de Rege Poloniæ eligendo, cuius auctor noster meminit pag. 369. exemplar integrum nancisci non potuimus: maiorem tamen ac potiorem eius partem ecce tibi producimus ex Andreæ Maximiliani Fredro historia gestorum populi Poloni, sub Henrico Valesio pag. 43. 44. & seq. editionis Dantiscanæ 1659. Sic autem habet.

INtromissus *in plenum vtriusque ordinis consessum Legatus Pontificis, Joannes Franciscus Commendonus Cardinalis. Hic salutatis ordinibus litteras secretas à Pontifice reddidit: tum ipse eum in modum Latino sermone locutus; cuius formalia suggero.*

QVæ Pontifex Maximus in vestra Regis eligendi deliberatione gravissima atque maxima à Deo precatur, vt vestræ mentes atque sententiæ diuino instinctæ Spiritu, salutem vobis, & huic Regno incolumitatem & dignitatem præstent,

ſtent, eandem mandatorum meorum & legationis ſummam eſſe voluit. Nam quemadmodum ſua Sanctitas indictis Romæ ad omnia templa publicis ſupplicationibus, & ſuis, & populi precibus Deum placare non deſtitit, vt Regem vobis concedat, qualem & veſtræ, & vniuerſæ reipublicæ Chriſtianæ tempora poſtulant; ita vos hortatur, vt in re tanta, quantâ major vobis nulla eſſe poteſt, non tam quid in præſentia ipſi poſſitis, quàm quantùm momenti in eo ſit, quocumque iudicia veſtra inclinarint, animo reputetis, atque hac poteſtate ſapienter vtamini. Eſt enim res huiuſmodi, vt in vnius decreti vi ſummum aut ſalutis aut exitii diſcrimen vertatur. Quæ intelligens Pontifex, ſicut ex litteris (quæ modò recitatæ ſunt) audiviſtis, haud minùs quàm Chriſtianæ reipublicæ parentem decet, ſollicitus de veſtra ſalute, comitiorum, conſiliorumque veſtrorum exitum ſpectat. Verùm ego vellem, vt ex eo templo, vnde pias ad Deum preces pro vobis mittit, quâ pace, qua tranquillitate interregnum hoc, vnà vos patriæ charitate, & legum reverentiâ coniungente, peregeritis, intueri poſſet: bonam profectò ſpem ex veſtra virtute perciperet. Eſt enim ſingularis exempli res in libero regno Rege diu caruiſſe, & ſilentibus Regis morte propè omnibus legibus,

omnes

omnes tamen ex lege vixisse, & suam cuique voluntatem, suum cuique in patriam studium pro lege fuisse, vt in tot nobilium, & maximè militarium hominum millibus nullus tumultus aut vis, nullæ seditionum turbæ extiterint, nullus omnino armorum sonitus auditus sit. Quod cùm vobis ipsis salutare, & præclaro posteris vestris exemplo fuerit, tum certè apud omnes nationes moderati animi admirationem habebit. Quam ego gloriam & vobis ex animo gratulor, & mihi ipsi meo quodam iure gaudeo, cui in his quæ de vestris laudibus, & republica prædicare consuevi, tam illustre testimonium dedistis. Quòd si, quâ pietate, orbati Rege, pacem patriamque servastis, eandem hoc in loco, in dicendis sententiis ferendisque suffragiis retinueritis, si unam animis Rempublicam complectemini, si nihil nisi ex veteri more & maiorum institutis, quibus hactenus Respublica stetit ac floruit, agi patiemini, equidem non modò spem, sed lætitiam delecti concordissimè optimi Regis, iam animo percipio. Eam verò vestræ Reipublicæ formam considerans, admirari soleo sapientiam maiorum vestrorum, qui regni & libertatis modum ita temperarunt, vt inter supremam vnius potestatem, & dissolutam multitudinis licentiam, tam firmam tuendarum legum &

propagandi imperii rationem excogitarint. Hanc illi innumerabilem Equitum multitudinem amplissimo diffusam regno, paribus viuentem legibus, (& æquo inter se iure ita viuentem, ut una aliqua videatur esse ingens civitas, quæ multas & longè distantes provincias sit complexa) haud alio imperio regi posse, quàm Regio intellexerunt. Cùm verò hoc quemadmodum est præstantissimum, ita sit periculosum libertati, iidem vtrumque viderunt, & Rege Rempublicam indigere, & ne Rex gravis communi libertati foret, providendum duxerunt. Cùm magistratus in Republica institui nullus posset, qui Regem potestate anteiret. Spiritualem ordinem assumpserunt, eumque in specula libertatis, & præsidio Reipublicæ collocarunt, nullumque sine eo publicum consilium esse voluerunt. Cùm enim Episcopi instituti in populis sint, tanquam nuncii & interpretes Dei, ad eorum dignitatem per se maximam adjecere humanas opes honoresque in Republica amplissimos, quibus communiti & Regem in officio haberent, parentumque majestatem apud eum obtinerent, atque inde custodes ac vindices libertatis existerent: quod sæpè factum esse rerum vestrarum scriptores memoriæ prodiderunt, ut efferentem se Regum licentiam, saluberrima Episcoporum admoni-

monitio coercuerit. Quamobrem cùm ita Respublica sit constituta, ut fundamenta libertatis, in religionis & Ecclesiæ ordinis dignitate collocaverit, nemo, ut arbitror, dubitat, quin necessarium sit ad statum Reipublicæ conservandum, ut Regem avitæ, & Catholicæ pietatis cultorem habeatis, ne si spreta fuerit, aut etiam ejecta Ecclesiastica auctoritas, tanquam evulsis iis radicibus, quibus primùm fixa & confirmata est, vestra libertas evertatur ac concidat. Cuius rei exempla utinam nulla haberetis, quæ nimis multa vobis ad cavendum horum temporum pravitas præbuit. Sed profectò videmus in quibus provinciis par tuendæ libertatis ratio instituta erat, in iis, sublatis per eorùm dominatum (qui à Catholica religione desciverant) Episcopis, non solùm libertatem oppressam, sed & nobilitatem extinctam esse, & omnia sub unius arbitrium voluntatemque redacta. Id ne vobis accidat, vestræ imprimis prudentiæ, vestræ in patriam pietatis est providere. Vt Regnum hoc nobilissimum, quod semper propugnaculum habitum est Christianæ Reipublicæ, iisdem rationibus conservetis, quibus initium stabilitum esse intelligitis: Id enim, id, fortissimi Equites, est firmamentum vestræ libertatis, quod qui comminutum & labefacta-

tum

tum cupiunt, eodem tempore concuti totum, & dissolvi Rempublicam volunt. Multa vos quidem & magna à Deo beneficia habetis, qui Regnum vestrum à Baltico mari ad Euxinum, ab Odra flumine per immensa regionum spatia Boristhenem ultra propagatum, tantis rerum opportunitatibus auxit; sed pulcherrimum illud est, quòd eligendi Regis facultatem vobis tribuerit, ut Regem habeatis, non eum quem sors ex certa hæreditatis lege dederit, sed quem vos ipsi dignum (à quo regamini) judicaveritis, quo profectò in rebus humanis nihil videtur esse præstantius. At non hoc solum munus dignitatis & amplitudinis plenum vobis elargitus est Deus, sed munus ipsum novo, & nobiliore munere cumulavit, cùm id non humanis viribus aut opibus, (quanquam ne his quidem, vos non abundè instructos esse voluit) sed bonorum omnium maximo & potentissimo, Catholicâ religione fundavit. In qua utinam omnes consentientes essetis, neque hæc novitas & varietas opinionum, quibus scinditur Christiana Respublica, in Poloniam umquam pervasisset, & in hanc gentem, quæ suis juncta & consentiens legibus, præsidio esse Christiano nomini potest, hoc malum invectum esset. Quo ægrotare vestram Rempublicam & ipsi sensistis, qui pro-

ximo

ximo Vvarſavienſi conventu ei mederi cupiviſtis, &c.

Hic de una religione longùm admodum diſſeruit & facundè, quàm felix Reſpublica futura, ſi vera ei contingat religio; quàm infirma & ad caſum properans, ſi adulterata & varia. Longum foret recitare totam Legati orationem, quam prolixiùs perorabat, ſolum ſubijciam epilogum.

Decernite ergo nunc concordibus vocibus Regem eum qui maximè Reipublicæ utilis ſit futurus, qui veſtro beneficio ad veſtram ſalutem utatur, qui cùm à vobis creatus & tamquam genitus Rex fuerit, evadat ipſe patriæ & veſtrûm omnium pater, amator Reipublicæ, conſervator legum, idem erga Deum pius, fortis adverſus hoſtes, in gubernandis, gerendiſque rebus peritiam, in jure dicundo juſtitiam diligentiamque adhibeat, in domeſtica conſuetudine humanitatem, in omni publica actione dignitatem majeſtatemque retineat, nec ipſe voluptatibus occupetur, nec juventutem langueſcere otio patiatur, ſed exemplo & præmiis, bellicæ diſciplinæ laudem excitet. Sit regia domus tamquam templum pudoris, modeſtiæ, religionis, ut liberi veſtri quos in regis miniſterium traditis, ex ea velut ſcholâ virtutum, digni parentum honoribus evadant. Haud ego ſum neſcius, Re-

gem

gem his præditum ornamentis, oratione effingi faciliùs quàm inveniri; verùm neque nobis defuturus est quærentibus, & ut talem habeatis, multum in vobis ipsis positum est, non solùm deligendo illum, sed etiam instituendo. Quem enim non optimum Regem efficiatis, si quot estis Senatores, tot monitores Regum esse volueritis? Si Regis salutem quàm gratiam malueritis? Si publica commoda privatis utilitatibus antetuleritis? Si denique hoc propositum habebitis, diligentissimeque operam dabitis, ut & vos ex legis præscripto Regis imperio obedientes sitis, & Rex ita obsequio utatur vestro, ut se liberis & volentibus imperare intelligat? hoc enim modo & res Polona augebitur, & libertas vestra conservabitur, nec dominatu offensa, nec corrupta licentiâ, quæ plerumque falso libertatis nomine exitiosam servitutem concipit, ac parit. Ad hunc statum rerum vestrarum tuendum communiendumque, vos Pontifex hortatur, atque ad eam rem mihi mandavit, ut & in præsentia vobis, & paulò pòst, simul vobis, simul Regi vestro summum paterni animi studium pollicear, ac deferam, ut omnia vos quæ non solùm conservando, sed etiam augendo aut ornando huic regno sint, haud aliter ab se quàm ab optimo Patre postulare atque expectare velitis:

Tum

Tum ficuti vobifcum egit de Rege (reque veftra) eligendo, vobifque auctor fuit, nihil à majorum confuetudine & rationibus difcedendi; ita Regem quem elegeritis verbis fuis admonere me voluit, ut memor à vobis accepti regni, parem vobis gratiam referre ftudeat, nihilque fibi aut ad fidem præclarius, aut ad charitatem optatius, aut ad ftabilitatem firmius, aut ad nominis fui commendationem amplius ducat, quàm ut hanc Rempublicam, hoc libertatis jus, fartum tectumque retineat, ac defendat. Me verò ipfum commodis atque utilitatibus veftris, quantum operâ atque ftudio meo effici poffit, diligenter fua Sanctitas infervire juffit, in quo quidem fi quantum voluntatis atque animi, tantundem facultatis effet de vobis merendi, etfi pietati & amori erga vos meo numquam fatisfacturus effem, vobis certè ipfis fatisfacerem. Hæc funt de regno, de vobis, de novo Rege fanctiffimi Domini noftri mandata, hæc vota Parentis Reipublicæ, hæc ut confequi poffitis fuis ille vos precibus Deo commendat, id maximè orans, ut actionem hanc, in qua veftrum omnium falus vertitur, fuo Sancto Spiritu regat, ut his comitiis, eum Regem confentientibus ftudiis renuncietis, fub quo florentiffimi beatiffimique vivatis.

PE-

PETRI BEMBI

ET

GASPARIS CONTARENI

CARDINALIVM

VITÆ



AB

IOANNE CASA

CONSCRIPTÆ.



PETRI BEMBI VITA.



ETRVS BEMBVS VENETIIS natus eſt, annis poſt Chriſtum ortum M CCCC LXX. patrem habuit Bernardum Bembum, hominem, cum vetere nobilitate, tum doctrina, tum etiam dignitate clariſſimum: nam res Venetum publica a certis nominatim familijs adminiſtratur: eæ claræ habentur: reliqui ciues; quamquam ſunt eorum multæ amplæ honeſtæque familiæ, neque genus ſuum magnopere extollunt, & in ſua quique re gerenda occupati, ciuitatis procurationem fere non attingunt. Inter eas familias Bembi antiquiſſima ſtirpe orti, cum omni tempore in rep. floruerint, ampli in primis, illuſtreſque numeran-

merantur, erat præterea Bernardus suo etiam priuatim nomine, propter iuris scientiam, qua plurimum excellebat, apud ciuitatem multum admodum gratiosus; & propter summam prudentiam, multiplicemque rerum usum, propterque vitæ gravitatem, magna in homine erat auctoritas. Hic cum a sua ciuitate ad populum Florentinum legaretur, qua in legatione obeunda biennium domo abesse Venetorum legibus cogeretur, faciendum sibi esse existimauit, ut Petrum filium, quamquam admodum is tum puer erat, secum educeret; propterea quod Florentinorum instituta parum a Venetorum moribus illo tempore abessent: non dum enim sub unius dominatione illorum erat respublica, sed nobilitatis fere arbitrio regebatur; &, quod ea ciuitas præstare ingenijs creditur, a cui puerum, in quo iam tunc præclara indoles elucesceret, volebat: tum Italicam linguam, qua non elegantissime Veneti, illis præsertim temporibus, uterentur, emendari in illo, Florentinorum hominum consuetudine, existimabat posse: nam omnium Italiæ nationum commodissime eam loqui ciuitatem autumant. Nec vero patris consilium filij fefellit industria: sic enim excitatum puerile Bembi ingenium Florentiæ est, sic teneræ pueri aures, animusque puro ac dulci illo Etru-

ſcorum ſermone imbutus, ut iam inde a prima adoleſcentia, multa cum Latine, tum vero Thuſce a ſe ſcripta ediderit, quibus nihil hominum auribus politius, nihil omnino elegantius, aut ſuauius accidere poſſit. Iacebat omnino temporibus illis eloquentia: inquinate enim loquebantur; nullus erat verborum delectus, nullum ſcriptorum diſcrimen. nam & ipſe negligebatur Cicero, vel contemptui potius erat; & Cæſarem propter hiſtoriam modo curſim & negligenter legebant, Terentium, Virgilium, bonos ceteros, in ludo tantum, idque perpauci, ediſcebant: poſt puerilem illam diſciplinam ſumebat eos in manus nemo, duros, obſcuros, aſperos ſcriptores adamabant; conſectabanturque abditas, abſtruſa'que hiſtorias aut fabulas: qui iis ineptiis referti eſſent auctores, ii eruditi numerabantur: itaque unus Ouidius de veteribus in honore erat. ergo, ſi verum quærimus, nihil ante Bembi ætatem Latine ſcriptum octingentis ipſis annis, aut eo amplius eſt, quod Romam illam veterem redoleat; aut magnopere lectione dignum ſit: ſolœciſmum enim vitabant, quantum quidem ex arte grammatica didicerant, idq; ipſum haudquaquam ſemper: id unum præſtare qui poterant, Latine loqui ſeſe putabant: nulli, qui purus ille incorruptuſque veterum

Ro-

Romanorum sermo esset, nouerant, ac ne suspicabantur quidem. Par erat atque idem eorum error, qui Italice scribebant; qui cum duos haberent scriptores, mea quidem sententia, vel cum Latinis, vel cum Græcis conferendos: nam alterius versus & suauitatis plurimum habent & dignitatis: & varijs ingenii, aut etiam artis luminibus referti sunt, & animum sæpe permouent atque impellunt; vt de amore ne Græcus quidem quisquam melius; alterius oratio dulcis, copiosa, polita, ornata, mollis, faceta, rem ante oculos ponens, ut geri ea, quæ legas, non narrari videantur. Hos cum haberent auctores duos, vtrumque in suo maxime genere excellentem, scribebant ipsi inepte, abiectissimis verbis, nullus erat orationis ornatus, nullæ homine erudito dignæ sententiæ, nulla compositionis, aut numerorum ratio. licet in manus sumere, quæ tunc multi scriptitarunt, præter vnum Politianum, illumque ipsum minus dulcem, minus omnino elegantem, quam ut legisse Petrarcæ lectissimos versus videatur; ceteros ad unum indignos dicas, qui in scriptorum numero habeantur. vnum scurrile vigebat genus; in eo sane ridiculi nonnulli; sed ipsi quoque multis in locis inertes ac languidi. Hanc igitur inter erroris atque inscitiæ caliginem Bembus

ad veterum scriptorum tamquam lumen ac lucem respexit primus, primusque ab hominibus, magnis quidem hortationibus, magno suo labore, multis reclamantibus ac repugnantibus, impetravit, ut Ciceronis, ut Virgilij, ut Cæsaris similes sese in dicendo, quam Apuleij, Macrobij, Statijque esse mallent; cum contenderet oportere, qui scriberent, eam dicendi formam, quæ optima esset, habere animo & cogitatione comprehensam; ad eam tamquam ad exemplum aliquod orationem scriptionemque suam dirigere; Demosthene autem, aut Cicerone perfectius in dicendo aliquid promere se posse qui profiterentur, sua quidem sententia nimium subire oneris, nimium suis fidere viribus; quorum etiam iam olim errore ac temeritate factum esse existimabat, ut malos multos scriptores haberemus: nam, cum nonnulli a Cicerone discedere, suique plane esse vellent, cum aliter, atque ille, dicere studerent, quoniam is perfectus, absolutusque esset; deterius dicere cogebantur. Hæc Bembus cum dictitaret, cumque etiam litteris mandaret, ægre ille quidem, sed multis tandem persuasit, spretos ac repudiatos antea scriptores optimos illos, repeterent: propositosque sibi ad imitandum haberent. quo quidem Bembi labore, quibusque præceptis,

ptis,

ptis, quantum eloquentia adaucta sit, cuiuis facile est noscere; si ea, quæ ante hanc illius disciplinam scripta sunt, cum huius ætatis scriptoribus conferantur. Ea obita legatione domum Bembus cum patre rediit, iam bonarum artium studijs incensus, iam eloquentiæ, ac scribendi magno quodam amore flagrans. itaque in Siciliam usque ad Constantinum Lascarem Græcarum litterarum causa profectus, trienniumque ibi commoratus est; tantumque ingenio, labore, assiduitate profecit, ut Græce non modo optime sciret, sed etiam polite, luculenterque scriberet: atque in Sicilia cum esset Latine de Ætnæ incendijs scripsit ad Angelum Gabrielem: qui liber, ab eo editus, in manibus hominum eruditorum non sine aliqua laude versatur. Post eam peregrinationem celeriter Bembus assecutus est, ut maxima apud omnes Italiæ ciuitates, tum apud exteras etiam nationes, eius esset ingenij admiratio: ita enim, uti res est, sic homines statuebant; perdifficile factu esse, unum atque eundem duabus linguis tam scite, tamque ornate copioseque uti posse; quodque pauci uno in sermone umquam præstiterunt, ut praclare scriberent, id ab adolescente Bembo & in Latina & in Italica oratione effici, omnibus, qui de ijs studijs aliquid iudicare possent,

permirum videri necesse erat: præsertim id ipsum in utraque lingua & prosa oratione & versibus, id quod Ciceronem ipsum expertum, sunt, qui negent assequi potuisse. Ac miramur profecto interdum, quid causæ sit, cur, cum oratori poeta maxime finitimus sit, negent fieri posse, ut idem orator bonus, idem egregius poeta euadat; idque non hominum modo existimatione, sed etiam re ipsa, comprobatum esse: nullos enim, aut certe perpaucos utramque facultatem adeptos videmus: sed cum diuturno studio, magnisque lucubrationibus utraque ars egeat, non suppetit ad utramque tempus, atque otium: & quoniam longa exercitatione, assiduoque usu consuescimus aut oratorie dicere, quod vitio maxime datur versus scribentibus, vel poetice, quod contra in prosæ orationis scriptoribus vitiosum in primis habendum est: si quis utrumque studium copularit atq; coniunxerit, magnæ cuiusdam intelligentiæ, acrisque iudicij est, præstare alterum genus, ne incurrat in alterum. Præterea, oratorum, poetarumque ingenia atque naturæ contrariæ propemodum inter se sint, oportet: hi enim ratione atque humanitate reguntur; illos, furoris afflatus ac diuinitas quædam, impellit: atque omnino proximis, coniunctisque in rebus

rebus facilior à recto declinatio, ac lapsus est, reprehensio vero vel insignior: creat enim errorem similitudo: & cum variatum est, celeriter, propter rei similis comparationem ac propinquitatem, inuersio animadversa internoscitur ac reprehenditur. Neque ij tamen nos sumus, qui aut Ciceronis versus valde improbandos existimemus, aut Platonem atque Æschinem (utrumque enim versus in adolescentia scriptitasse memoriæ proditum est) malos, contemptosque fuisse poetas credamus. Post Siciliensem illam peregrinationem, perpaucis interiectis annis, Ferrariam Bembus pater Prodominus missus est: eum magistratum, magnum in primis atque honorificum, illis temporibus Veneti, virtute belli partum, victoriæque tamquam insigne, gerebant in aliena ciuitate. eo quoque cum patre filius exijt: sicque eo in oppido perdiu fuit, vt cum ab omni iuuentute, ab omnique nobilitate plurimum coleretur, tum verò Herculi Estensi, maximo ac fortissimo viro, qui in ea ciuitate imperium obtineret, Lucretiæ Borgiæ, quam in matrimonio Alphonsus habebat, gratus in primis, acceptusque esset. Per idem tempus, cum annos natus esset haud amplius x x v i. eos sermones, qui Asolani ab eo inscripti sunt, confecit, opus omnium pigmentorum

flore atque colore distinctum. feminas omnino cum adolescentibus de amore loquentes amœnissimis quibusdam in hortis facit, ita lectissimis verbis festiue ac venuste, ita sententijs copiose atque ornate, nihil ut eius oratione cum uberius, tum vero suauius modulatiusve esse possit. eos libros tanta hominum, mulierum etiam medius fidius approbatione & tamquam plausu exceptos recentes esse meminimus, ut extemplo cuncta eos Italia cupidissime lectitarit atque didicerit: ut non satis urbani, aut elegantes ij haberentur, quibus Asulanæ illæ disputationes essent incognitæ. erat per id tempus Vrbini Guidusvbaldus Feltrius, vir maxime spectata, maximeque nobilitata virtute: is suæ ciuitatis tenebat imperium; atque cum eo Helisabetha Francisci Gonzagij, qui itidem ciuitati imperabat, soror, nupta erat: cuius de mulieris laudibus mira quædam litterarum monumentis, cum ab alijs multis, tum etiam ab hoc ipso Bembo mandata sunt. Ac datum est profecto Vrbinatum ciuitati, ut non suos domi modo principes omni genere laudis claros atque insignes habeat, sed etiam, ut ex alienis ciuitatibus mulieres, quas illi in matrimonium duxerint, lectissimæ fere, præstantissimæque illi feminarum omnium obtingant: Nam præter eam, que à me appel-

appellata est, Helisabetham Gonzagiam; habuit Franciscusmaria huius Guidiubaldi pater ex eadem familia uxorem Eleonoram, quæ proximis diebus mortua est, omni muliebri laude præter ceteras ornatam atque illustrem. Nec vero de Victoria Farnesia, quando in hunc sermonem venimus, sileri ullo modo potest (quamquam inuitus facio, ut de iis, qui nunc sunt, dicam aliquid) cuius quidem mulieris modestia ac pudor ingenuus illud profecto præstitisset, quod Periclem aiunt dixisse, primã in muliere laudẽ esse, ut ne de virtute quidem illius ulla ad viros fama emanet: sed nulla ratione occultari tanta primariæ feminæ virtus potest, quin ad viros quoque emergat, ac suo ipsa splendore se prodat. Fortunatus igitur Guidusubaldus cum sua illa animi magnitudine atque æquabilitate, suaque illa prudentia; tum vero hac tali coniuge, vitæque socia. Sed cum Vrbini, quemadmodum dicere incœperam, Guidusubaldus atque Helisabetha Gonzagia essent, hominum excellentium peramantes, perque hospitales, conueniebant ad eos ex omni Italia, ut quisque præstanti aliqua in arte præcelleret: eo cum Bembus quoque forte venisset, præcipuó præter ceteros in honore haberi cœptus est: multa enim habuit Bembus, quæ, ad hominum

animos conciliandos, plurimum valere consueuerunt: nam & in forma summa quædam oris species ac dignitas inerat, & in statura ac proceritate decor, mira præterea in moribus suauitas quædam lenitasque amabilis; dulcisque cum sermo, tum tota vitæ, victusque consuetudo mitis ac clemens: ad ea cum præclara ingenii vis ac natura accederet, expetebatur, scilicet unus omnium, maxime ab illustri illo virorum, feminarumque conuentu: quibus rebus efficiebatur, ut multum domo abesset, Vrbinique fere viueret: quam rem multum etiam vicinitas adiuuabat, atque ultro citroque Pisaurum quidem usque perfacilis atque expedita nauigatio: ita factum est, ut minus domi honores assuesceret admirari, minusque ambitionibus implicatum animum haberet. At vero id pater reprehendere, grauiter ferre, ac prope patrio iure, ut uxorem duceret, ut remp. capesseret, atque ex ordine magistratus peteret, imperio cogere: fit enim fere, ut qui in libera ciuitate, præsertim clara atque opulenta, viuant, omnia ad honores referri putent oportere, id unum consectentur & expetant, ut dignitates, ut magistratus adipiscantur: si quæ sint laudes, quæ alio pertineant, eas aut non agnoscunt, aut leues atque inanes iudicant: atque hæc liberorum popu-
lorum

lorum consuetudo, quamquam per se ipsa, vique sua fortasse minus probanda, est: nec enim compendii, honorisve causa, si ad veram illam rationem dirigas, petendi magistratus sunt, ciuibusue aliis ullo studio, aut ulla contentione præripiendi; sed unius Reip. ratio habenda est, eiusque unius utilitati, salutique seruiendum; ut dignioribus concedamus; & sæpe delatus nobis maior aliquis, aut magistratus, aut imperium, aut curatio, si minus ei rei gerendæ nos idoneos sentiamus, accipiendus non sit, aut etiam deponendus: nec enim errare patriam, pati æquum est. Sed, quoniam non viuitur cum perfectis hominibus, percommode popularis hæc ambitio cecidit: honorum enim cupiditate incensi, non ad suum se quisque format atque instituit arbitrium, sed ad populi, ciuitatisque iudicium, consilia, mores, vitam, voluntatemque instituunt; dantque operam, non ut sibi ipsi, aut aliis fortasse quibusdam probati sint; sed, ut populo, ciuitatique, a qua honores scilicet expectant, placeant: ita fit, ut una, eademque perpetuo permaneat ciuitatis forma, atque una, eademque sit omnium ciuium communiter disciplina; neque singulorum priuatim studiis, voluntatibusque variatis, Reip. quoque ratio atque institutio vertatur atque mutetur; quam

quidem cautionem, prudentiamque, vna, præter ceteras omnes, Venetorum ciuitas semper adhibuit; ut domesticos suos mores diligentissime retineret, essetque plane sua, neque quicquam exterum infundi in ciuitatem, aut ulla infici se peregrinitate pateretur. Cum igitur Bembus pater in eum cursum, quem tenuerat ipse, quemque summa cum laude, plausuque confecerat, filium induceret atque compelleret; ille contra, alia spatia, cursusque alios animo agitaret, quamquam patri obsequi suadebat pietas, ciuium consuetudo hortabatur, propinqui, necessarijq; efflagitabant; tamen sic animo cogitabat, cuius ipse gloriæ cupidus esset, eam ad se non à suis modo ciuibus, sed ab omnibus etiam gentibus ultro deferri, prehensandum sibi eius rei causa neminem esse, supplicandum nemini, nullius suscipiendas inimicitias, nemini os lædendum: unam enim esse, ex omni laudum genere, ingenij gloriam, qua, sine ulla cuiusquam querela, perfrui, ad extremum usque, homines soleant: honores imperitæ modo multitudinis testimonium præferre, ingenij laudem ac famam, etiam intelligentium hominum habere comprobationem: nec vero aut voluntatum mutationem, aut fortunæ temeritatem extimescere; sed stabilem, firmamque etiam ad posteros com-

men-

mendationem habere: postremo permultos omnibus ætatibus exoriri, quorum opera, pro sua cuiusque parte, Resp. geri possit, at, cuius ingenij monumentis ciuitas ornetur, ne multis quidem sæculis unum extare, aut alterum: satis vero iam Bembos, magnos honores in Republica, ad illustrandam familiæ dignitatem esse consequutos; satis nobilitatam, maiorum suorum rebus gestis, suæ memoriam stirpis esse; quando & vetustissima templa à suis iam olim gentilibus constructa, ea scilicet, quæ Iuliano dedicata sunt, Bemborum nobilitatem illustrent, & pietatis sint testes; & Francisci Bembi eius, qui, multos annos ante Patriarcham Venetijs institutum, sacrorum antistes ac pontifex fuit, memoria, gentis vetustatem ostentat; tum maritima imperia, clarissimæque Francisci itidem Bembi victoriæ; tum Marci, quia Cyprijs interfectus est; aliorumque multorum ob Remp. susceptæ calamitates, interitusque, Bemborum & virtutis, & in patriam caritatis testimonio sint: nec vero ne in præsentia quidem defuturos, qui stirpis, gentisque gloriam tueantur atque adaugeant; habere sese Carolum fratrem, in quo mirificam ingenij indolem, maximam virtutis spem inesse intelligat; esse præterea cum alios nonnullos, tum Ioannemmattheum Bembum

sum;

summa itidem virtutis & ingenij spe præditum adolescentem. Et vero hic quidem, nec Bembi de se iudicium fefellit, & multis, magnisque in rebus domi, forisque perutilis Reip. ciuis est, semperque fuit: nam Carolus, priusquam patriæ prodesse per ætatem potuisset, extinctus est: unam hanc litterarum atque ingenij laudem minus illos adhuc esse adeptos: eam se in suam gentem inferre cupere, ac propemodum etiam se id perficere, ac prestare posse compertum habere: sin honores sectari velit, certo scire, minus eam sibi rem ex sententia successuram; quam inuitus suscipiat, & iniucundam existimet; & multa præterea à natura impedimenta habere se, sibi ipse sit conscius: nam & blandiri ei qui possit, quem fortasse minus aut probet, aut diligat, pudore sese quodam ingenuo impediri; & existimationem suam vulgi voluntati, comitiorumque casibus, & tamquam undis, quotannis commissam esse, propter animi quandam aut libertatem, aut, si quibus ita videtur, fastidium, pati non posse: nullam autem omnino rem facilem esse, quam inuitus facias. Scire sese illam alteram honorum atque ambitionis incertam, ac periculorum plenam viam, plus fortasse utilitatis, plus apud parui, angustique animi homines splendoris polliceri; sed eam se sequi malle, qua

quæ plus veræ ſolidęque dignitatis habeat: ut enim fructuoſos fundos parare utilius ſit; voluptarios autem, atque animi modo cauſa inſtitutos, honeſtius ac magnificentius; ſic illam ambitionis rationem uberiores in vulgus fructus fortaſſe ferre, hanc certe bonarum artium ac litterarum inſtitutionem, plus apud præclara hominum ingenia magnificentiæ, plus honeſtatis oſtendere: ac, ne multa, nihil ægrius factum eſt, multis filij contentionibus, multa contra patris, matris quoque Helenæ Marcellæ, primariæ fœminæ, caſtigatione, ſæpe etiam obiurgatione, quam, ut ne ſingulare ac prope diuinum Bembi ingenium, ad bonarum artium ſtudia, atque ad has manſuctiores muſas natum, vulgo atque imperitæ multitudini proderetur: ſed peruicit tamen, ut, per parentes ac neceſſarios, perque ciues ſibi ſuos aliquando vitam in litteris agere, idque unum, relictis rebus, curare ſibi liceret. Sed paucis poſt annis dum ſeſe Bembus libris, litteriſque obruit, dum ſolitudines, receſſuſque ſibi pro foro, ſibi pro curia, proque comitijs per ſummum otium, ſummamque tranquillitatem habet; Ioannes Medices Cardinalis, is cui Leo X. nomen poſtea inditum eſt, Pont. Max. Romæ creatur. Mos, conſuetudoque Pontificum eſt, ut ſi quid publicæ priuatæue

rei incidat, quod prolato opus non sit, quodque secreto per litteras agi oporteat, si quando, aut regibus, aut ciuitatibus respondendum, aut si quid postulandum ab iis sit, si quid denique paulo maioris negotii implicitum cum aliquo est, id, quasi per familiares epistolas, transigant: eas litteras cera obsignant; nam publicis decretis in plumbo signum est: earum litterarum scribendarum negotium datur hominibus, ob scribendi prudentiam, atque elegantiam, eruditissimis; ob muneris, locique dignitatem, grauissimis atque honestissimis, ob autem rerum pondus ac magnitudinem, summa fide, summaque probitate præditis: ii magna cura ac diligentia conquiruntur, magnis præmiis euocantur. Eum Leo morem cum vehementer probaret, cumque ad dignitatem pertinere arbitraretur, diligentissimeque eum retinere vellet, sine ulla dubitatione Bembum accersiri, eique muneri, negotioque præponi iubet. Magnam in spem, magnam in dignitatem vocabatur Bembus: munificentissimus enim Leo, liberalissimusque & habebatur & erat: ipsi autem res erat familiaris pertenuis; vix ut necessarios sumptus suppeditaret, idque ipsum magno Caroli fratris, quem sui amantissimum, obseruantissimumque habebat, labore atque industria: conflue-

bant

bant præterea ad Leonis famam ac bonitatem, ut quisque in quaque excellebat arte, aut disciplina; ut propemodum homini erudito, Roma abesse, turpe esset. Huc accedebat reprehensores suos convincendi studium quoddam; cum quanti suæ illæ artes fierent, quas illi nulli rei esse dicerent, quasque, tamquam nugas ac deliramenta, sæpe Bembo obiicerent, ostendendi magna data esset occasio: nec vero a suo vetere instituto, aut a litteris abduci sese propterea arbitrabatur, quippe, qui ad scribendum inuitaretur, qua una in re omnis sibi cura atque opera posita semper fuisset. Proficiscitur Rómam Bembus, cum annos natus esset tres & quadraginta; præponiturque epistolis Pont. Max. nomine scribendis; eoque in munere gerendo datur illi socius, & tamquam collega, Iacobus Sadoletus is, qui postea Cardinalis factus est. Scripsit eorum uterque eas epistolas cum plane Latine, quod ante id tempus neque acciderat ulli, nec adeo fieri posse ullo modo homines existimabant; ac, si verum quærimus, ne cogitabant quidem: nostri enim homines, sæpe etiam transalpinæ nationes, sic Latine scribebant, ut suæ quisque ciuitatis tamen loquendi formam, consuetudinemque retineret; ac Latinis verbis, quamquam ne id quidem usque quaque, Gallice nihilo-

minus,

minus, aut Italice, nescio quo pacto, loquerentur: sed ex epistolæ cum plane Latine a Bembo, Sadoletoque scriptæ sunt; tum vero summa a doctissimis, exercitatissimisque hominibus adhibita est elegantia, summaque dignitas; id quod ex iis libris intelligere licet, qui a Bembo editi, epistolas à se Leonis X. nomine scriptas continent. Cum itaque Pontifici Bembus, homini nec natura hebeti, nec in scribendo rudi, cumulatissime satisfaceret, magno ab eo honore afficiebatur: tantum porro in illum suæ liberalitatis Leo contulit, ut, qui Romam pauper tandem venisset, suis ex fructibus Sest. amplius cxx. caperet, Pontificis plane beneficentia diues factus. Fuit ætas, tempusque illud humanitatis suauitate nimia prope quadam perfusum; ut delectationum multarum studia sæculi illius licentiæ, propemodum omnium permissu, concessa essent: nec enim ne voluptatum quidem quarundam blandimenta nimium seuere aspernabantur, sed multa ad oblectationem, multa ad ludum data erant cuiusque ordinis, cuiusque ætatis hominibus: nec vero religioni habebatur, honestos, grauesque homines in hortis visos esse; aut paulo liberiore in conuiuio, symphonia cum caneret, & mulieres accumberent, interfuisse. quam quidem sæculi illius nimium

mium plane profusam hilaritatem, eorum temporum, quæ sequuta sunt, tristitia, vehementer corripuit, magnoque opere castigauit: quo magis vereor, id quod dicturus sum, ne multis secus, atque est, de Bembo, existimandi aliquid det loci. Sed quoniam nobis susceptum id est, ut de illius vita, non de laude, dicamus, ne hoc quidem reticendum nobis esse arbitrati sumus. Ac fit fere, ut mores, consuetudinesque locorum, aut ætatum, pro ratione sibi, proque disciplina homines habeant: denique, quod fieri vident, licere putant; atque id, quod in præsentia minus reprehenditur, in posterum quoque tolerabile, concessumque fore arbitrantur. atque omnino apud omnes gentes, etiam, quæ natura grauia sunt, fieri consueuerunt moribus leuiora. In ea igitur morum, sæculique licentia eximia forma mulier quædam perpulisse Bembum dicitur. neque, diu resistentem, continere eum se a lapsu potuisse, præsertim qui nullis dum sacris initiatus esset: verum ea, ut temporibus illis lapsio, ut hac ætate fortasse labes, eum habuit euentum, ut magno, si modo naturam audire volumus, fructu compensaretur. Suscepit enim ex ea muliere liberos tres; qui ut nominentur a me, res propemodum postulat, nec ipsi nolunt, Lucilium, Torquatum,

tum, & Helenam Bembam, feminam lectissimam, quæ cum Petro Gradenigo primario adolescente nupta est: cui etiam liberos ex se se peperit, totiusque orbis terrarum præclarissimam ciuitatem ciuibus nobilissimis auxit: ut, si qui sunt, qui in eo Bembum grauius accusandum censeant, meam illi quidem ad suam sententiam adscribant licet: sed ij tamen se meminerint id improbare factum, quod infectum esse, optare certe non audeant. Nec vero in litteris modo scribendis Bembi fidem atque eruditionem Leo periclitatus est; sed etiam in rebus agendis hominis prudentiam, sollertiamque plurimum adamauit. itaque cum conspirare aduersus Galliæ regem cum Cæsare Maximiliano, cumque Hispaniarum Rege Catholico, ita Reip. temporibus postulantibus, cogitaret; misit de ea conspiratione Bembum ad Venetorum senatum, qui eam magnopere ciuitatem hortaretur, uti a Gallorum, quibus cum censenserat, amicitia discederet, ac sese cum Pontifice, reliquisque conspirationis auctoribus, ducibusque fædere & societate coniungeret. Habita est a Bembo in Venetorum senatu ea de re oratio pergrauis sane perque vehemens, quam etiam scriptam reliquit; perlegant eam nostri homines; nihil Italice scriptum, grauius

orna-

ornatiusue ea oratione, dicent esse. Tenebatur præterea impendio magis Bembus studio signorum antiquorum, idque genus rerum reliquarum, credo, quod eam pulchritudinem, ordinem, partium conuenientiam, quam mente atque animo in scribendo unus cerneret prę ceteris, ijs etiam minus liberalibus in artibus cum propemodum agnosceret, paulo magis commouebatur. atque omnino fingendi pingendique artem poeticæ ex altera parte aiunt respondere: illa enim animorum, hæ sensuum mulcendorum magistræ: quam quidem ingenij doctrinæque causam, ii, qui nostra ętate eousque harum rerum cupiditate efferuntur atque insaniunt, magno ut propterea ære in alieno sint, cum afferre homines sine ingenio, sine litteris non possint, quam morbi furorisque sui rationem allaturi sint, ipsi videant: quid enim attinet, cum animum partim per se, vique sua turpem rudemque, partim maleuolentia, inuidia, perfidiaque inquinatum gerent: domum modo atque hortos, villasque, tot versuris faciendis, tot frustrandis, fraudandisque creditoribus, affabre factis signis ex marmore, aut ex ære ornatas habere? cumque in dictis factisque honestatis faciem numquam, ne in somnis quidem, aspexerint, decorem pulchritudinemque tanto in ære ac lapidibus

bus opere adamare? equidem nec domum, nec villam, nec vero oppidum umquam, non modo exornatum, sed ne satis quidem mundum dixero, ubi illi cum ea fœditate, cum iis animi sordibus habitent. Nam si qui sunt, qui talium rerum intelligentiam, tamquam suæ, in reliqua vita, munditiæ atque elegantiæ, aut rectarum artium, in quibus ipsi excellant corollarium quoddam adferant, id quod in Bembo usu euenerat, iis non modo suscensendum non est, sed etiam gratiæ habendæ sunt; at, qui omnium disciplinarum expertes, in omni vita rudes atque agrestes, huius unius studii commendatione nitantur, aut in eo non virtutis quasi appendiculam, sed tamquam vitiorum ac scelerum suorum, ut ipsi sperant, integumentum, ut ego interpretor, additamentum quoddam, quærant; ii non modo acriter vituperandi, sed etiam vehementer illudendi sunt. Sed cum tenui Bembus valetudine atque imbecilla esset, cumque noctu magnis lucubrationibus, magnis vigiliis scribere necesse haberet: nam interdiu, cum à Pontificis latere discedere vestigium vix liceret, cumque multi audiendi, salutandi, deducendi, honestandiq; ut Romanus ferebat mos, essent; relinquebatur otii nihil; grauem diuturnumque in morbum incidit; ex quo cum ægre

ac difficulter conualesceret, nec recreari reficique videretur posse, de medici consilio, ipsius Pont. hortatu, cœli mutandi causa, Patauium petiit: atque eo anno Leo moritur. Incredibile dictu est, quanta animi alacritate, quantaque lætitia Romanis laboribus, curisque liberatus, longa sane, annorum nouem, ipsorum intermissione facta, optatum ad otium studiumque suum vetus sese Bembus receperit; nullum ut urbis urbanarumue rerum, aut deliciarum desiderium in eo resedisse, liquido appareret. Et vero eos, qui a pueris, bonarum artium studiis dediti, ætatem egerunt in litteris, mordere in adolescentia interdum solet, quod à rebus agendis absint: quod si casus eos forte aliquis ab otio ad agendum euocaverit atque traduxerit, næ illi rem totam, quam, incognitam dum haberent, admirabantur, expertam atque perspectam, præ suo vetere studio, contemnunt. quid enim in se continet, quod magnopere aut laude, aut etiam appetitione dignum sit, præclara ista agendi sollertia? si modo rem inspicimus, ac speciosa illa vocabula, communitas, utilitas, salus hominum, paulisper ab hac disputatione facessant, rogamus: qua enim tota in re non ratio, sed, maximam partem, fortuna dominatur, quamque non prudentia, sed plerumque (non

enim

enim libet semper dicere) malitia, regit; quid aut gloriæ, aut iucunditatis inesse possit? quasi enim cum ludas tesseris, neque contra eius ludi formulam ut venias, aduersarioque ut fucum facias, animum inducere velis, si te is, qui cum ludas, contra sine ulla dubitatione circumueniat, atque decipiat, numquam tu tantum scientia atque artificio profeceris, ut cum illius dolo atque fallacia certare possis; sic in hominum vita hac, & tamquam alea, cum viri boni, ut à iustitiæ certa quadam præscriptione, ne latum quidem unguem, discedant, abduci sese nullis aut honorum, aut pecuniæ præmiis patiantur; alii autem vulgo fraude, præstigiis, sæpe periurio, perfidiaque pugnent, vincitur nimirum simplicitas calliditate, ingenuitas impudentia, pudor molestia, fides scelere, veritas mendacio: itaque tardi, parumque efficaces habiti boni inter improbos, ludibrio sæpe sunt. Careant igitur insigni hac rerum gerendarum laude homines litteris dediti, animo non modo æquo, sed etiam hilari; ac sic habeant: nihil fere honestati hominum, in vita hac communi, esse relictum loci; sed scelus pleraque, ac turpitudinem inualisse; quamque operam dare se Reip. maximam plerique prædicent, eam omnem, communis rei simulatione, in sua quemque priuatim

uti-

utilitate augenda positam, occupatamque habere. Vnos omnino excipio Venetos; Nam Christiana quidem res communis Romæ, non hominum consilio, sed dei immortalis mente, regitur. Vnos igitur Venetos excipio, quorum præclarissima in Rep. optabile statuam esse versari: quam quoniam peregrinis nobis non licet capessere; nec vero ea ciuitas, post hominum memoriam, prudentissima ac fortunatissima, nostræ, aut cuiusquam opis eget, illam, ut pote libertatis arcem, prudentiæ gymnasium, iustitiæ domicilium, veneremur: otium autem hoc ignobile litterarum, adolescentes senesque retineamus. Quam quidem Bembus prudentiam studio ac voluntate huius sententiæ auctoribus præclare emensus, re atque exitu ad extremum usque prestare non potuit: nam, cum Patavij multos iam annos esset, in ciuitate quietis ac tranquillitatis plenissima, ab omnique contentione ambitioneque longe ac multum remota; cumque omnem curam, cogitationem, operam, ad ea studia, quæ à puero adamasset, celebranda, contulisset, vel in ijs iam consumpsisset potius, magno quodam casu clementem illam vitam, quietam, tranquillamque prope iam decurso spatio, atque ætate iam fere exacta, recusans atque ingratis coactus est mitteret. Erat Romæ

temporibus illis, vir summus atque clarissimus, singulari prudentia, admirabili animi magnitudine præditus, Alexander Farnesius Cardinalis is, qui Paulus III. appellatus est, qui, simul ac Pont. Max. factus est, extemplo tanto imperio ac potestate accepta, ut initium rerum, actionumque suarum ab illustri aliqua laude duceret, faciendum sibi esse existimauit, ut, qui quaque in ciuitate, quibusque in terris homines essent, illustri quadam aut pietatis, aut prudentiæ, aut doctrinæ laude, celebrati; illos ultro ipse, eam dignitatem haudquaquam petentes, ac ne tale quidem quicquam suspicatos, amplissimum in cardinalium collegium cooptaret. ea re sperabat cum pontificatus, collegijque, tot clarissimorum hominum accessione facta, auctum iri maiestatem, tum, specimen se quoque suæ virtutis maximum cum dedisset, magnam de se famam, opinionemque esse facturum: itaque semel atque iterum magna cura, magna adhibita diligentia, summos viros peruestigauit atque delegit; quibus grauissimam illam dignitatem, nimio à plerisque opere sæpe frustra ac nequicquam expetitam, ultro mandaret: quo facto, opinione maiorem est gloriam consequutus. Sed, ut ut alijs ea res euenit, Bembo quidem perincommode cecidit, quod

suo

ſuo ex otio, ſuaque ſolitudine dulci illa erutus, rurſum in eam turbam, moleſtiamque ſenex raperetur, à qua, vix dum inclinata ætate, ſe ſe tamen cupidiſſime vindicaſſet: etenim, cum præſtantes denuo gloria viros Paulus conquireret, atque indagaret, quos in collegium legeret, occurrit in primis homini Bembus: is forte Veneiijs erat. Gaudeo, gaudeo, optima poſt homines natos, atque ampliſſima ciuitas, cum inueſtigaretur perquirereturque virtus, ad te iterum potiſſimum ventum eſſe. etenim cum bonorum, prudentiumque hominum res Chriſtiana publica egeret, ſumpſerat à te ſcilicet, iam antea, Gaſparem illum Contarenum, Italici nominis lumen; in quo, cum ſumma probitas, caſtimonia, moderatio, prudentia cum ſumma doctrina atq; eruditione contenderet, eius ipſius inſignita pietate ac religione longe eæ laudes omnes vincebantur: ergo de tua magnorum virorum copia bis ſuppeditatum paucis annis rei Chriſtianæ communi eſt: ſemel in Contareno; iterum in Bembo. Ad eum cum Pauli miſſu Carolus Gualterutius Fanenſis, vir apprime bonus, nauuſque & induſtrius, veniſſet cum diplomate, cumque eius dignitati, inſignijs, ille enimvero recuſare ac deprecari, neque abduci, nunc demum ætate confecta, pati ſe poſſe

dicere, à quiete ac solitudine illa, quam unam, rerum omnium iucundissimam, antiquissimamque, iam inde à prima adolescentia habuisset; magnas tamen sese Pontifici, magnas collegio gratias agere atque habere; quod senectutem suam honorificentissimo de se iudicio, clarissimoque decreto tantopere honestatam voluissent. cum in eo, multos iam dies, perseueraret, neque de sententia depelli posse videretur, nihil propius factum est, quam, ut Romam Gualterutius, re infecta, reuerteretur. Non sum nescius multos fore, qui nostræ orationi hac in re parum fidei habeant. plerique enim omnes, quid de aliena voluntate credendum sit, de sua coniecturam faciunt; itaque incredibile multis visum iri intelligo, Bembum id vere atque ex animo aspernatum esse, quod omnes, fere summa cupiditate, expetendum atque optabile esse existiment; tametsi scribimus hæc recenti huius facti memoria, multisque, qui in agendo adfuerunt, superstitibus, quos, mendacij atque impudentiæ nostræ conscios ac testes, habere, cur velimus causa nulla est. Sed quoniam par eorum peccatum esse censemus, qui mentiri in historia audent, atque eorum, qui dicere verum reformidant, mendacij speciem, verum cum dicturi essemus, non horruimus. Erat pe-

rin-

tinuidiosum futurum, respui tantam dignitatem, præsertim quæ non honoris modo splendorem, sed etiam muneris contineret officium: eam enim ob causam collegium dicitur Cardinalium à maioribus institutum, ut ij & adsint Pontifici, & ad omnia Reip. tempora præsto sint; ægerrimeque laturus eam rem Paulus erat; quod minui Christianæ ciuitatis maiestas, cuius ipse princeps constitutus esset, videbatur, atque eius priuatim & consilium condemnari, & auctoritas contemni, qui non beneficium modo Bembo à se datum existimaret, sed etiam onus quoddam officij pro sua potestate impositum; ut si de suo ille honore putaret sibi liberum esse recusare, dicto certe Pontificis audientem non esse; in eo vero & collegium, quod sanctum esset, & Pontificem violari. itaque adcurrunt ad eum undique amici ac necessarij; agunt, hortantur, obsecrant, si sua ipse gloria minus moueatur, gentis ac posteritatis tamen memoriam nomenque respiciat; ac tantam dignitatem in domum suam illatam ne ipse à sese abiudicet. Parum primo Bembus eorum moueri oratione; ut pote qui eadem sæpenumero audisset iam olim prope omnia, ac refutasset: ubi vero ad eum Petrus Landus adijt, qui ciuitatis, haud multo post, princeps fuit; qui unus apud Venetos ma-

gistratus amplissimus est, idemque perpetuus; isque longa atque accurrata oratione cum eo agere cœpit, cum ostenderet quantum ea re subiturus esset offensionis atque inuidiæ; quam indigne Pont. Max. quam grauiter omnem sacerdotum amplissimum ordinem eam ignominiam ferre necesse esset; cumque adderet numquam hæc, sine nutu atque consilio dei immortalis, accidere solere; diligenter videret, ne diuino numini refragaretur; tum vero, animo sane suspenso ac perturbato, hominem Bembus in præsentia dimittit, rem in diem posterum differt; &, quoniam religionem sibi iniecisset, diligentius deliberaturum sese pollicetur. Postridie eius diei, cum res homini in religionem plane venisset; fuit enim non versuta hac, atque ad hominum opiniones captandas simulata, quam in multis videmus, rugis superciliоque horridam, tristitia; sed, vere, atque ex animo, pietatis colentissimus; proximum in fanum mane ingressus est. Erat tum forte sacerdos ad aram, atque historiam de iis, quæ à Christo dicta, aut gesta in terris sunt, quod euangelium appellamus, clara voce, ut mos sacrificium facientibus est, effari incœperat: vix dum pedem in templum intulerat Bembus; ac sacerdos Petre, ait, sequere me. ea vero illi vox, dei prope ipsius ore
nit:

mitti, visa est. Itaque, cum omnem ex animo dubitationem sustulisset, quasi dei accitu, Romam proficisci statuit. magnus fit domum eius omnium hominum atque ordinum concursus, frequens gratulatio, maximus totius ciuitatis plausus. ille vero, paucis post diebus, siluas, recessusque suos, in quibus placatam, tranquillamque vitam prope omnem traduxisset atque exegisset, crebro appellans, atque identidem respectans, Romam ire perrexit. Vere hoc dicere possum; sic homini hoc discessu hilaritatem prorsus excussam, ut eius pristinam iucunditatem, suauitatemque amici, familiaresque ex illa die desiderauerimus, atque, in omne tempus amissam esse, doluerimus. Cultus est Romæ Bembus cum à bonis plerisque omnibus Contareno, Sadoleto, Cortesio, Morono cardinalibus amplissimis, hominibusque eruditissimis; tum vero præcipue à Reginaldo Polo, homine, dei immortalis, dubio procul, beneficio, ex ultima vsque Britannia ad nos vecto, vel de cælo potius, si modo dictu fas est, lapso; cuius de laudibus, quamquam de tam præclara ac plane diuina virtute nemo satis digne vmquam loquetur, aliùs mihi profecto dicendi locus dabitur. hoc certe haud facile in præsentia diiudicare audeam; plus ne eam insulam, multis vulneribus Chri-

ſtianæ reip. per ſummam impietatem in-
fligendis, nocuiſſe dicam; an, quod in
illo ſolo talis, tantuſque vir ortus & pro-
creatus ſit, unde veræ, planeque Chriſtia-
næ pietatis, vitæque exemplum peteremus;
profuiſſe. Is igitur cum Bembo familia-
riſſime vixit; cumque ſenis optimi mul-
tas, magnaſque animi dotes maximi fecit;
tum vero apertum, ſimplexque hominis
ingenium, ſuæ ipſius voluntati atque na-
turæ conſimile ac par, plurimum ſemper
adamauit. Sed, cum diligentiſſime Bem-
bus coleretur à multis, ſummo etiam à
Paulo honore afficiebatur; tantaque apud
eum fuiſſe gratia dicitur, ut nullam um-
quam rem ab eo poſtularit, quin perfece-
rit atque abſtulerit: ſedenim hoc non ſo-
lum auctoritatis, gratiæque fuit, ſed
etiam moderationis & pudoris. Tum ea
erat Bembi, in dicenda ſententia, liber-
tas, ea ſimplicitas, eaque in omni vita
clementia atque ingenuitas inerat; ut, ſi
ante eum Paulus mortem obijſſet, quod
natura poſtulare videbatur, aliquot enim
annos illum Paulus anteceſſit ætate, crea-
tum iri eum Pont. Max. plerique compér-
tum haberent. Sed, cum equo Bembus
forte veheretur, paulum in oſtio ad pa-
rietem latus offendit, qua ex plaga, ho-
mo ſenex ac debilis, in febriculam inci-
dit; atque ex ea, cum ſenſim extenuari,
con-

conficique se intelligeret, cumque mortem multos dies quasi præstolatus esset; animo non modo forti, sed etiam æquo; ut de sua illa migratione cum amicis interdum etiam iocaretur; diem suum pie, sancteque obijt. Cultus erat iampridem omni officio Bẽbus ab Hieronymo Quirino Isnerij filio; homine partim genere ac nobilitate, partim fide, munificentia, humanitate, morum suauitate ac dulcedine, clarissimo. Is illi statuam mortuo posuit nobili artificio factam ex marmore, atque eam celeberrima Antonij in æde Patauii locauit; inscripsitque in basi in hanc fere sententiam: propterea à se illam statuam Bembo statutam, atque in publico positam esse, ut cuius animi simulacra orbis terrarum cerneret, eius ne corporis quidem desideraret imaginem. Fuit omnino perpolitum Bembi ingeniũ, perque acre; maximeque perspicax, acutumque iudicium; plurima in alios, in se nimium pæne multa inquirens; in seligendis, collocandisque verbis, multum ponebat operæ; atque in ea re magnam cum prudentiam, tum vero etiam diligentiam adhibebat: hoc enim unum sibi persuaserat esse, quod in oratione nouitatem, & quasi, patrijs moribus conseruatis, peregrinitatem tamen quandam effingeret; quæ, cum multum omnibus in rebus ad-

mirationis habeat, ob id ipsum plurimum etiam non modo dignitatis, sed etiam iucunditatis adferre soles. Ac profecto, quantum intelligere nos possumus, præclare hoc, quod difficillimum semper habitum est, Bembus præstitit, ut, cum minus fere usitate loqueretur, hospitis speciem tamen effugeret. quod si qui sunt, qui vulgi opinione ducti, quotidianam hanc tritam, communemque dictionem in hominum eruditorum, aut versibus, aut prosa oratione vel postulent, vel expectent, atque ob eam causam Bembi oratione, quæ à plebeio ac peruagato hoc tabernariorum atque opificum sermone, longe dissonat, minus delectentur; ij erunt ex eorum numero, qui de ijs studijs existimare aut leuiter, aut nihil possint. C. quidem Cæsar, ut litteris proditum video, & ipse bene loquendi laudem, non populi consuetudine, sed multo studio, multisque litteris, & ijs quidem reconditis & exquisitis, assequutus est; & cum de ratione Latine loquendi ad Ciceronem ipsum accuratissime, pluribus quidem libris, scriberet, verborum delectum originem dixit esse eloquentiæ. Iure igitur Bembus, maiore quadam cura, in verbis eligendis torquebatur, præsertim cum Etrusce scriberet: itaque noua, splendida, decoraque eius in primis oratio est:
parum

parum enim fidei consuetudini semper habuit; quod ea partim varia atque inconstans, partim etiam vitiosa atque corrupta esset; &, quoniam ne Romam quidem, nec adeo Athenas illas ipsas Atticas, quibus temporibus eloquentia maxime floruit, diutius tenere illud potuisse scriptum legerat, ut ne barbarie earum infuscaretur atque inquinaretur oratio; repudiandum sibi hunc sermonem, qui nunc est, statuebat esse; atque eum, qui fuerat in Etruscis olim hominibus purus atque emendatus, cum minus dum exterarum nationum in Italiam confluxerat, adsciscendum: qui cum illi non de populo, futili inaninique doctore, discendus esset; sed è veterum libris, grauissimis auctoribus, percipiendus; illud etiam eadem opera adsequebatur, ut eius, dignitatem, grauitatemque haberet oratio: nam quotidianus quidem, vulgarisque hic hominum sermo, e sordidis artibus maximam partem ductus, multum ex officina, multum è taberna, è sellaque redoleat, necesse est. Sunt igitur Bembi de ratione Etrusce loquendi libri tres in dialogo mirabiliter scripti; quibus profecto effectum est, vt quod homines Etrusce loquantur, non bonæ modo iam consuetudinis sit, quam tamen fluxam atque instabilem videmus esse, sed iam etiam scientiæ ac ra-

tionis, quæ mutari nullo modo possunt! quamquam video non deesse, qui, cum cogitandi laborem ferre ipsi aut nolint, aut etiam nequeant, Bembi scripta non tam expurgata, quam religione nimia pro peque vadam attenuata esse contendant: Sed sit sane suus cuique modus: difficile est enim, in omni re statuere quatenus: & tamen, si cum aliorum libris Bembi scripta conferantur, facile iudicium erit: mihi quidem eius oratio vehementer probatur: non modo, quia elegans, noua, splendidaque est, & , ut ita dicam, nobilis; sed, quia est etiam, Isocrateo prope more, uber atque ornata. Sunt etiam eius versus Etrusce scripti, & quidem permulti, graues atque pleni; ut hanc quidem laudem, si modo nos de ijs rebus existimare aliquid possumus, Bembo à ceteris omnibus concedi, necesse sit: in ijs est carmen de Caroli fratris morte: videor mihi hoc vere affirmare posse, neminem umquam tam plane, tam ornate, tam dolenter quemquam luxisse, atque illis Bembus versibus fratris obitum lamentatus est. Scripsit preterea volumina epistolarum aliquot: quarum paulo magis decoram video à nonnullis locutionem existimari. suum cuique omnino iudicium; eamque ob caussam difficillimum est, omnibus æque placere; nam, ut Theognis ait, laudatus à

Pla-

Platone poeta,

οὐ δὲ γὰρ ὁ Ζεὺς

Οὔθ' ὕων πάντας ἁνδάνει, οὔτ' ἀνέχων.

mihi quidem, cum has epistolas cum ijs, quæ à Græcis, Latinisue scripta olim sunt, contuli; valde hæ cum illis congruere videntur. Sed pollutas plerique lue quadam etiam nunc aures habemus; nec plane dum è vulgi fæce enatauimus atque emersimus: paucos enim adhuc bonos auctores Etrusca habuit lingua, quibus lectitandis nostrorum hominum expoliretur, expurgareturque iudicium. Itaque homines ornatæ, factæque orationis insueti, nec pulchritudinem intelligunt, aut cernunt, & splendore ipso præstricti læduntur, præsertim qui in veterum Græcorum ac Latinorum libris usque adeo versati, volutatique non sint, ut illorum virtutes aut transferre ipsi in sua scripta, aut in alienis agnoscere non possint: atque Etrusce quidem à Bembo scripta hæc sunt. Latine vero de Ætna ad Angelum Gabrielem scripsit adolescens; quem video libellum illi postea seni non valde probatum fuisse: de Virgilii Culice, & Terentii fabulis librum unum: de Guidoubaldo Feretrio, atque Elisabetha Gonzagia ad Nicolaum Teupolum librum itidem unum, qui valde doctis omnibus probatus est; à Gabriele quidem Faerno, homine eruditissimo

atque

atque huius generis acerrimo exiſtimatore, in cælum fertur. Sunt etiam Bembi, præter eas epiſtolas, quæ Leonis nomine ab eo ſcriptæ ſunt, ſuarum quoque priuatim epiſtolarum volumina; ac ſeorſum epiſtola de imitatione ad Ioannem Picum libri prope inſtar, ſane perlegenda. ſunt præterea eius verſus Latini multi, dulces, elegantesque; ut me quidem æque propemodum, ac veterum illorum poetarum ſcripta, delectent. ſcripſit etiam magna cura, magnaque aſſiduitate ciuitatis ſuæ hiſtoriam, nudiuſculam illam quidem: eſt enim unum Cæſarem imitatus; ſed purgam in primis atque illuſtrem.





GASPARIS CONTARENI,

VITA.



CVM permultum inter laudationem atque historiam interesse oportere facile intelligerem, propterea quod illa virtutis modo præconium quærit: hæc veritatis in vtramque partem testimonium continet; sæpe mihi de GASPARIS CONTARENI vita cogitanti veniebat in mentem, vereri, ne, si eam litteris mandassem, laudare me hominem magis quam, qui eius vitæ cursus fuisset, narrare voluisse, multi arbitrarentur. qui cum commemoratum a me de illo nihil viderent, quod esset a laude seiunctum, quæ reprehensionem habitura fuissent, dedita opera a me prætermissa esse existimarent. Sed cum laudatoris sit, de cuius laude dicit, eius bona verbis

ampli-

amplificare, aliquid etiam alieni adfingere; vitia oratione attenuare, aut etiam silentio præterire; in altero facie præstare possum, vt hic meus commentarius plurimum a laudatione dissentiat: nec enim sermone nostro Contareni virtutem augere conandum nobis est: in altero, vt de eius vituperatione indicem nihil, non nos, sed res ipsa laudationi per similem narrationem nostram efficiet. Quod si qui erunt, qui cum plus de aliena virtute prædicari sentiant, quam quantum de sua ipsi sibi polliceri soleant; aut ægre id ferant, aut orationi meę fidem non habeant, ii sic cogitare debebunt; dici hæc a nobis de eo, qui iam non sit: quique cum suæ ciuitatis probis viris omnibus, tum aliarum gentium, exterarumque nationum clarissimis quibusque hominibus notus, beneque cognitus fuerit. quorum cum magna pars sit superstes, nulla nobis causa est, cur de mortuo mentientes, tot viuorum, illustrium præsertim hominum, vanitatis impudentięque nostrę testimonia colligere velimus: clarorum autem virorum laudibus, fauere potius quam obtrectare omnes debebunt. mihi certe aut de Contareno tacendum fuit: aut de eo, ni mentiri forte maluissem, cum laude dicendum.

VENETORVM Ciuitas optime morata,

tà, optimeque conſtituta eſt: id ex eo intelligere licet, quod vna temperatione, vnis legibus, ſine vlla ſeditione, ſine ullo inteſtino malo, annos eorum reſpublica amplius mille manet: quodque a paruis initijs profecta ad eam opulentiam atque id id imperium, quod videmus peruenit: complures vrbes, eaſque magnas atque florentes, ſocias vectigaleſque habet: Corcyræ, Cretæ Cypro, multis magniſque inſulis, transmariniſque prouincijs dominatur. Claſſem inſtructam paratamque habet, quantam nullus rex, nullæ nationes valeant comparare. Ea ciuitas una omnium, de quibus memoriæ proditum ſit, libertatis æquabilitatiſque maxime amans, maximeque retinens eſt: quippe quæ duriſſimis quondam Italiæ temporibus, ſeruitutem fugiens, & continenti ſeſe in undas æſtuſque coniecerit; fortuniſque omnibus relictis, unam modo ſecum extulerit libertatem, atque in ea tuenda tot ſæculorum ſpatium verſata, ſtudium voluntatemque, uſu etiam atque exercitatione corroborauit. Itaquè libertatis fortaſſe nomen alibi quoque gentium inuenias; libertatem ipſam puram atque incorruptam, ab omnique metu vacuam, utinam aſpicere in aliis ciuitatibus, uti quondam fuerat, deorum nobis beneficio aliquando liceat. Illud ſalutare inſti-

tutum

tutum mordicus à Venetis retentum est, ut reipublicæ attingendæ, præter quam ijs, qui initio in ciuitatem convenerunt, quique germani Veneti & tamquam aborigines sunt, potestatem præterea facerent nemini; nisi siquando deliberata re, bene de republica meritis, eius urbis inquilinis, aliisue quibusdam, id ius nominatim ad hodiernum diem concessum est. Ex eo igitur priscorum genere ciuium Aloisius Contarenus fuit, cum prudens paterfamilias & locuplex, tum præstans senator & nobilis: atque is Polyxenam Malipetriam in matrimonio habuit, feminam primariam; ea, cum aliquot iam peperisset pueros, neque ii diutius viuerent, ad amicas æqualesque dicitur rursum prægnans retulisse; à quibus, ut sunt pleræque mulieres religiosæ, admonita esse dicitur; uti qui natus esset puer, ei nomen imponeretur unum ex ijs nominibus, quibus vocati ij reges sunt, qui ad Christum Deum nostrum paruulum ac lactantem venerunt, fore enim ut vitalis esset. Cum salua igitur paucis post diebus peperisset, puerum nominari GASPAREM iussit, qui primus eius familiæ hoc nomine appellatus est. Is ubi adoleuit magna in eo ingenij indoles erat, magna ad litterarum studia propensio: itaque facile Aloisius pater, consilium, quod de puero ceperat, muta-

mutauit: mercaturis enim illum faciendis, reique augendæ, quippe cui multæ atque amplæ multis in locis res rationesque cum multis essent contractæ, filium scilicet natu maximum Venetiis destinauerat: est enim fere in liberis ciuitatibus, mercaturis rem quærere, nobilitati quoque non modo non turpe, sed, si bono modo fiat, etiam honestum. verum ubi pueri ingenium naturamque, maius quiddam spectare atque polliceri intellectum est, consilium illud de mercatura funditus pater abiecit; neque ulla in re filii voluntati ac studio defuit. Is, ubi quod satis esset operæ Antonio Iustiniano, Laurentioque Bragadeno Venetiis visus est dedisse: nam ii publice à ciuitate constituti erant, qui iuuentutem in dialecticis, atque in philosophia erudirent, Patauium profectus, Petro Pomponatio Mantuano, magno nobilique philosopho, in disciplinam sese tradidit. Erat in adolescente naturæ vis peracris illa quidem, &, ut mihi videbatur, peracuta, sed tamen nescio quomodo magnitudine & firmitate potius præstans; &, quod maxime rem continet, ad sapientiæ studia accommodatum & tamquam philosophum inerat ingenium, memoria omnino valebat plurimum, huc accedebat animi ac victus vitęq; totius constantia quædam, ut, quam semel instituis-

set

set rationem, de ea non defatigatione, non pigritia, non voluptate depelleretur. Opinio est in omni vita re venerea illum omnino usum esse numquam, defixa mens scilicet in eo studio, cui se ab ineunte ætate dediderat: eoque capta atque alta, nihil præterea concupierat: itaque celeriter assecutus est, ut æqualium magister, grandiorum natu magistrorumque tamquam æqualis, & compar haberetur. certum temporis spatium, horarũ sane haud ampliustrium, meditationi & bibliothecæ attributum, & tamquam sepositum habuisse dicitur, cui tempori nec umquam quicquam detraheret nec fere adderet; qui reliquus erat dies in congressionibus amicorum, collocutionibusque consumebatur; eæ de litteris scilicet erant, ut in suo studio, ne cum vacare quidem videretur, cessaret. Idque ipsum, nihil agens, ageret tamen urgeretque propositum, & tamen animum à contentionibus relaxaret. Illud etiam narrari nobis ab eo ipso meminimus, cum diceret numquam se in omni adolescentia commisisse, ut mane aliquid postridie aggrederetur ediscere, quin prius ea quæ pridie percepisset, diligentissime reminiscendo recordatus esset: vitandam enim asotorum consuetudinem aiebat, qui crudi sese tamen ingurgitant, quoque magis cibo replentur,

one-

oneranturque, minus virium, minus valetudinis habent. in eo igitur curfu, cum fedulitate magis quam contentione aut labore admirabiles progreffus efficeret: atque eos, qui in eodem curriculo erant, longo interuallo antecederet, mortem Aloifius pater obijt. Duo de viginti ille annos natus erat eo tempore. liberorum autem magnum fane numerum, filios feptem, quattuor filias, præterea magnam cum multis contracta implicitaque negotia Aloifius reliquerat. Atque odiofum omnino negotium eft homini in cogitationis ac doctrinæ ftudijs occupato, familiaris rei procuratio; ut minus mihi mirum videri foleat, Democritum, nobilem quondam philofophum, ut ea cura, eoque impedimento liberaretur, omnes fortunas fuas, ficuti litteris proditum eft, abieciffe. Verumtamen quamquam inuitus ac mærens difcedebat à litteris, tamen Patauio profectus eft: atque eandem illam animi moderationem æquabilitatemque adhibens, fratribus partim in Apuliam, partim in Alexandriam (ibi enim magnas focietates Aloifius pater habuerat) diftributis, partim Venetijs relictis, bene domi conftitutis rebus Patauium reuerfus eft: ftudiumque haudquaquam longo interuallo à fe intermiffum, cupide renouauit, in ea urbe doctiffimorum hominum plena,

plena, ac liberalibus artibus affluenti, aliquot annos commoratus est: cum in principibus iam philosophis numeraretur, atque eius nomen plurimum in dies increbresceret. Atque hoc loco postulari exigique à nobis arbitrati sumus, ut, qui eius progressus & quale tamquam iter ad percipiendas fuerit disciplinas, demonstraremus. A primis igitur dialecticæ elementis profectus sic omnem philosophiam perlustrauit, ut illius singulas tamquam oras non viseret modo atque inspiceret, quod plerique facimus, sed in vnaquaque etiam illius quasi regione commoraretur & habitaret. itaque illud assecutus est, nihil in ea vtarte, ita copiosa & magna atque varia, tam esset magnum atque arduum, aut tam minutum atque paruum, quod eius aut diligentiam lateret, aut fugeret intelligentiam: nihil autem tam abstrusum aut reconditum, quin promptum illi expositumque, quamuis subito, esset atq; ex tempore. Eius nos rei permagnum quondam specimen cepimus: nam cum Florentiæ forte essemus, qua ille Roma profectus, iter in Germaniam habebat ad Cæsarem; erant in ea vrbe, cum alij complures in ea philosophia, quæ de natura est, docti atque exercitati, tum duo præter ceteros PETRVS Victorius & FRANCISCVS Medices, quorum erat vtriusque

que & natura admirabilis & exquisita do-ctrina; tum studium ardens in vtroque, ac peracre vigebat, flagransque & singularis in vtroque industria; sed alterius breue tempus doctrinæ augendæ & declarandæ fuit. Victorius qualis vir, quantusque iam tum esset, ea quę nunc est eius doctrina, librique ab eo editi declarant: ii per eos dies ad Contarenum sane ventitabant, a quo nos quoque non fere discedebamus: hoc affirmare possum, cum omnis inter eos sermo esset de physicis, nullius rei mentionem esse factam a summis illis viris, ingenio præstantibus, animo vacuo, otio abundantibus, studio incensis, tempore paratis, a bibliotheca & litteris recentibus, quin eam Contarenus, & memoria teneret, & intelligentia comprehensam haberet, & oratione tam facile explicaret, quam quæ facillima sunt. Præstabat id non tam credo memoria, qua tamen valebat, vt antea dictum est (natura enim quoque plurimum ille excellenti fuit) quam ipsa, via ac ratione percepta, doctrina: sic enim eum ipsum dicere solitum esse accepimus: Non modo certam artium multarum inter se quandam naturalem esse dispositionem, vt aliam alia suo quęque loco deinceps tamquam subsequatur, & cum priori posterior quasi coagmentetur: sed vnius quoque eiusdemque

cuius-

cuiusuis scientiæ si quis ordinem & tamquam seriem conturbauerit atque rescideprit, ad exitum perueniri non posse; magnoque in errore versatos superioris ætatis homines aiebat esse, qui multa properantes transilirent; aut vllam artem ediscere se posse dissipatam arbitrarentur, aut mutilam atque hiantem: amputatis enim intercissisque disciplinis progredi perueniique ad scientiam non magis posse, quam interruptis iter pontibus confici. Vnum autem omnino sibi comitem ac monitorem ad Aristotelis iter, multis sæpe obstructum difficultatibus, Thomam Aquinatem asciuerat, hominem non contentionis, sed veritatis amantem. qui & subtilitatem habeat, nec vltra, quam par est, progrediatur acumine, atque idem articulatim partiteque ac distribute doceat; doctus etiam Græcis Latinisq; litteris erat; Poetas Homerum, Virgilium, Lucretium, Horatium lectitauerat atque didicerat. Itaque cum non artis factitandæ, sed eruditionis liberalisque doctrinæ fruendæ caussa, philosophiæ se dedidisset, omnes tamen artifices, magistrosque omnes, non scientia modo, sed fama quoque & celebritate facile superabat. Erat hominis vita atque victus non tam excultus atque expolitus, quam cum grauitate quadam simplex ac lenis placatusque; oratio inculta

culta illa quidem atque inornata, ſed hoc ipſo, quod omni careret fuco elegans ac cum auctoritate. nulla mollities, nullæ, ne in adoleſcentia quidem, animi aut corporis deliciæ; ſermo nulla aſſentatione ſuffuſus, nulla animus maleuolentia infuſcatus. Et cum feſtiuitas lepoſque haud magnopere adeſſet, aberat etiam ruſticitas atque triſtitia. Quin etiam hoc ab eo dici memini; deuorare ſe ſe certorum hominum (qui in aliqua vitæ parte claudicarent) incommoda aut etiam vitia ſolere, ſimulac de bonis quibus illi excellerent, aliquid deguſtaſſet. Ac cum Galeatius Florimontius, qui nunc Sueſſæ epiſcopus eſt; vir cum omnibus honeſtis artibus perpolitus, tum præcipue caſtus atque integer, tum religione ac pietate inprimis incenſus; in notandis autem reprehendendiſq; amicorum vitijs unus omniũ maxime acer ac liber, caſtigator nonnumquam etiam ſubamarior, atque is à Contareno in fratris locum diligebatur. Cum ille igitur nobis audientibus nequire ſe ſatis mirari diceret, illum, qui omnium eſſet mundiſſimus ac ſaniſſimus, cum hominibus quibusdam, quos ipſe appellabat, id quod nobis minime neceſſe eſt, qui turpitudine aliqua, tamquam morbo, adfecti atque inquinati haberentur, tam ſæpe conflictari. Quæ ille cum ſane com-

 motus

conſpirauerant, atque omnis impetus belli ad Mediolanum conſederat, nam eam urbem Gallis Venetiſque defendentibus, Cæſaris ac Leonis copiæ oppugnabant. Ad eum, qui cum bellum ſuæ erat ciuitati, planeque ad hoſtem ire ſe Contarenus intelligebat, apud quem exploratoris, non legati locum obtinere eum neceſſe eſſet, atque ipſa res cogeret. Accedebat etiam quod Cæſarem quibuſcum inimicitias exerceret, ijs ſolere eſſe amariorem audierat: illiſque maxime, qui Gallorum fauerent rebus. Itaque animo ſane commoto ad Cæſarem adijſſe dicitur; nam & ſponte ipſe ſua verecundus, ingenuo quodam, quod tamen ſine ſegnitia eſſet, pudore fuit. Verum eadem illa doctrinæ, caſtitatis, ingenuitatis, innocentiæ opinio, multo ante eius aduentum ad exteras quoque nationes perlata, Cæſaris illi animum voluntatemque conciliauerat; nam amare ille plurimum ingenuos apertoſque hominum animos dicitur. Itaque ut ſemel in primo illo, qui ei cum Cæſare fuit, congreſſu, hilari vultu acceptus & comiter appellatus eſt, faciles ad eum deinde ſemper aditus habuit: & illo, quamquam ciuitati erat iratus, non modo pacato, ſed etiam propicio uſus eſt. Ac paulatim, cum eam, quæ antea de ſe fuerat, opinionem magis ac magis in dies confir-
maret

maret atque augeret, iam ipsi Cæsari non modo gratus, sed etiam familiaris erat. Itaque cum certior factus esset, Gallorum Venetorumque copias in Insubribus fusas superatasque, Gallos ex oppido esse expulsos cæde & fuga suorum, qui eam rem nuntiarent Contareno misisse dicitur, atque ijs præcepisse, ut de incommodo, quod Veneti accepissent, reticerent, neque illorum copias in eo prœlio dicerent interfuisse: eam in illo sese corporis imbecillitatem aspicere, ut excruciari eum illam noctem suæ tanta illa patriæ clade nuntiata nolit. In Hispaniam Cæsar constituerat reuerti, neque per Gallorum fines, qua proximum erat iter, quod exercitum non habebat, ire poterat. itaque per Belgas profectus ad Oceanum perrexit, atque ibi nauibus conscensis in Britanniam appulit, paucisque intermissis diebus rursum naues soluit, atque in Hispaniam contendit. toto hoc itinere eum Contarenus prosequutus est; cumque in Hispaniam peruenissent, biennium apud eum est commoratus, atque in ea legatione omnino quinquennio consumpto Venetias redijt. Cum illud re confirmasset, quod à Græcis quibusdam poetis mandatum versibus video: Magnam gratiosi nuntij esse utilitatem. Nam cum omne id temporis spatium inimico inter se animo Cæ-

ſar & Veneti eſſent, ac fere continenter bello inter ſe contenderent : multa ille tamen ob eam, qua ſuo nomine erat apud Cæſarem, gratiam, obtinuit: multa ſuæ ciuitatis mandata confecit: magno quoque vſui reipublicæ fuit: ſimulque illud eſt aſſequutus, ut multarum magnarumque rerum diuturna tractatione ac conſuetudine, tot nationum naturis, moribus, inſtitutis cognitis atque perceptis, magnum rerum agendarum uſum, magnamque haberet prudentiam. Itaque cum diligentiam, operam, curam, prudentiamque ſuam ciuitati mirifice probaſſet; abſens & in ſenatum lectus eſt: qui honos Venetorum legibus non fere diuturnior anno & menſibus quatuor eſt : & quod olim, exiguis etiam tunc ciuitatis rebus, precibus rogandi erant, qui domeſticis ſuis relictis negotijs, ad conſilium de publicis capiendum conuenirent, Rogatorum concilium appellatur: eiuſque permagna & poteſtas eſt & dignitas; quippe cui omnis reſpublica permiſſa ſit, viciſſimque in hac ciuitatis amplitudine ac dignitate à clariſſimis quibuſque ciuibus ſummis opibus, ſumma contentione expetitur. Magnæ præterea auctoritatis eſt in ea ciuitate magiſtratus, cui ab eo nomen inditum eſt, quod præcipua, magna atque ampla procuratio demandata illi

eſt,

eſt, ærarij ac vectigalium; quæ in continenti, Veneti magna atque ampla habent, nam eum magiſtratum illi Sapientes terræ firmæ appellant. hanc quoque poteſtatem Contarenus ſtatim renuntiata legatione, maxima totius ciuitatis voluntate, omnibus ſuffragijs adeptus eſt. Habuit de ea ipſa legatione, more maiorum, orationem in ſenatu uberem ac plenam, cum de Cæſaris ingenio, voluntate, inſtitutis, opibus, copijſque diſſereret; earumque nationum, ad quas adijſſet, mores, leges, facultates, conſilia, exponeret: quæ cum ab eo diſtinctius ſcilicet atque eruditius dicerentur, quam Venetorum hominum aures audire ad eam diem conſueſſent; tanta diligentia, tantoque ſilentio atque attentione audiebatur, ut vocis bonitas, qua ille ſane exili fuit, non magnopere deſideraretur. Non ſum vulgi opinionis, iudicijque neſcius: arbitrantur enim philoſophiam, hominum, vitæque huius communis quaſi corruptelam eſſe quandam: atque eos, qui in ſtudijs cogitationis ac doctrinæ, paulo ulterius progrediente ætate verſati ſint, homines in ſolitudine atque in angulis educatos, curiæ lucem aſpicere, aut in huius ciuilis turba, ac fori ſtrepitu & concurſatione, & in rerum agendarum tumultu, & tamquam acie, ſine magna ani-

mi titubatione negant ausuros esse consistere, hominum consuetudinis imperitos, legum, morum, sermonum, voluntatumque ignaros, atque à communi vita & hominum sensibus, victuque longe multumque abhorrentes: sic vulgo existimant. Sed falluntur sane, multoque id aliter euenit. Nam, qui, tamquam inermes, ad prœlium & pugnam; sic nullis aut leuibus doctrinæ præceptis, quasi armis, instructi ad rempublicam accedunt, ii artem, quam facere intendunt, unam quidem omnium maximam ac difficillimam, reipublicæ patriæque periculo discere coguntur; atque, vt in vetere Græcorum prouerbio est, dolio faciendo figlinam aggrediuntur percipere: idque ipsum de malis auctoribus, magistrisque sane insciis atque improbis, vulgo & foro. Quamquam nobilitari homines iidem Græci in foro aiunt: qui si hoc sentiunt, virtutem, ut maiore in luce posita locataque sit, ita magis magisque splendescere atque illustrari, ipsi sane videant, ubi nam eam potissimum in bono lumine collocent: sin illud præcipiunt, à populo, bene viuendi rationem, tuendarumque ciuitatum disciplinam peti oportere, aut in foro cum reliquis mercibus expositam virtutem venire, ne ego, mihi locum modo demonstrari, magno emere possum. Sed non est ita. Nam sponte

qui-

quidem sua, aut prudentiam hominum animus atque ingenia non magnopere gignunt; aut huius nobis ætatis, tamquam sterilitas quædam vehementer lamentanda est. quibus autem opinionibus imbutæ eorum mentes, & tamquam consitæ, ad remp. è populi disciplina, & quasi cultura prodire soleant operæ pretium est attendere. Nam ii, qui animum philosophiæ præceptis excoluerunt, regendarumque ciuitatum artem edidicerunt; neque timidi sunt, quod scientia earum rerum, quas quisque tractet, animum addere, non adimere solet; neque audaces ac temerarii, quod stultitia ac temeritas plurimum ab arte ac sapientia diffident. Reipublicæ vero gubernator ille de populo, nec ignauiam à verecundia segregare, neque præcipitem aut pertinacem ciuem seiungere à forti atque constanti magnopere nouit, nisi usu demum atque experientia doctus, cum sæpe lapsus, sæpe deceptus multa in rep. offenderit, & ciuitatis periculo ac detrimento (ut antea à me dictum est) prudentiam didicerit. Philosophia autem, quæ vel maxime in effingendis, atque ad virtutem conformandis, hominum sensibus atque motibus occupata sit, &, ut ut illi morati tandem sint, quemadmodum cum iis conflictari non incommode queamus, vias rationesque tradat, neque ab hominum

ſtian
flige
illo
creat
næ pi
profu
riſſim
tas, n
tum
ingen
turæ
adam
bus c
Paulo
eum fo
quam
rit atq
lum a
etiam
erat Bo
tas, e
clemen
ante e
natura
annos
cum iri
tum h
forte v
rietem
mo ſen
dit; at

peret, ausus non sit; quod pudore quodam & rei insolentia retraheretur: eamq; rem magno sibi dolori esse solitam; itaque in animo habuisse, nisi eum animi timorem ac verecundiam peruinceret, ad rempublicam posthac non accedere, suumque locum alijs concessurum, quibus ad dicendum animus non deesset: nec enim verum esse, fortibus ac strenuis ciuibus ab ignauis timidisque locum præripi. Verum nihil necesse fuit, talis ciuis prudentia ac consilio Remp. priuari. nam paucis mensibus, cum se se animo facile confirmasset, sic sententiam dicebat, ut neminem magis prudenter, magisve composite loquutum unquam fuisse constaret. Docebat ille quidem verbis, quam maxime poterat, proprijs, cum partite ac distincte, tum memoriter ac copiose. animos autem cum oratione minime conaretur impellere, auctoritate ipsa vehementer permouebat & fide, lingua celeri ac volubili leporem atque ornatum illum oratorium neque adhibebat, neque adhiberi æquum esse censebat: animos enim ciuium inflecti atque incitari, quo maxime tempore sedatos rectosque eos esse oporteret, cum consilium capturi de Rep. essent, turpe atque inutile esse existimabat: eosque, qui magno quodam conatu orationis vim ad sensus atque impetus animorum & motus

abhorret moribus, &, qui sit optimus Reipublicæ status, intelligit, & quibus artibus, inclinatæ ruentesquæ ciuitates subleuentur, tenet; & ad eas, quæ non optimis institutis ac legibus temperatæ sint, accommodari se se tamen non recusat: remediaque temporum, locorum, casuumque incommodis adhibet salutaria. eadem multa de hominum vitijs, quæque eorum cautiones sint præcipit. eadem qui, cuique arti, cuique fortunæ, cuique animi aut corporis affectioni, mores sensusque comitari soleant, commonet. Ad eam doctrinam tam fructuosam, tamque opimam ubi usus quoque atque exercitatio accessit, tum vero præclari illi ac singulares ciues existunt: qualis vel in primis Contarenus sua in republica fuit: qui cum ingenuarum artium in gremio educatus & tamquam philosophiæ alumnus quidam, ad agendum descendisset, maximoque sibi usui ea præcepta, quæ olim imbiberat, esse intelligeret; suos ciues hortari non desistebat, ut ea peruestigarent, quæ de naturis humani generis, deque rerum publicarum gubernationibus à philosophis explicantur. Nec vero occultabat hoc ipse de se; nam à principio, cum primum in senatum lectus fuit, sæpe factum esse aiebat, ut in Suggestum ascendere, sententiæ dicendæ causa, cum cu-

peret,

peret, ausus non sit; quod pudore quodam & rei insolentia retraheretur: eamq; rem magno sibi dolori esse solitam; itaque in animo habuisse, nisi eum animi timorem ac verecundiam peruinceret, ad rempublicam posthac non accedere, suumque locum alijs concessurum, quibus ad dicendum animus non deesset: nec enim verum esse, fortibus ac strenuis ciuibus ab ignauis timidisque locum præripi. Verum nihil necesse fuit, talis ciuis prudentia ac consilio Remp. priuari. nam paucis mensibus, cum se se animo facile confirmasset, sic sententiam dicebat, ut neminem magis prudenter, magisve composite loquutum unquam fuisse constaret. Docebat ille quidem verbis, quam maxime poterat, proprijs, cum partite ac distincte, tum memoriter ac copiose. animos autem cum oratione minime conaretur impellere, auctoritate ipsa vehementer permouebat & fide, lingua celeri ac volubili leporem atque ornatum illum oratorium neque adhibebat, neque adhiberi æquum esse censebat: animos enim ciuium inflecti atque incitari, quo maxime tempore sedatos rectosque eos esse oporteret, cum consilium capturi de Rep. essent, turpe atque inutile esse existimabat: eosque, qui magno quodam conatu orationis vim ad sensus atque impetus animorum & motus

abhorret moribus, &, qui sit optimus Reipublicæ status, intelligit, & quibus artibus, inclinatæ ruentesquæ ciuitates subleuentur, tenet; & ad eas, quæ non optimis institutis ac legibus temperatæ sint, accommodari se se tamen non recusat: remediaque temporum, locorum, casuumque incommodis adhibet salutaria. eadem multa de hominum vitijs, quæque eorum cautiones sint præcipit. eadem qui, cuique arti, cuique fortunæ, cuique animi aut corporis affectioni, mores sensusque comitari soleant, commonet. Ad eam doctrinam tam fructuosam, tamque opimam ubi usus quoque atque exercitatio accessit, tum vero præclari illi ac singulares ciues existunt: qualis vel in primis Contarenus sua in republica fuit: qui cum ingenuarum artium in gremio educatus & tamquam philosophiæ alumnus quidam, ad agendum descendisset, maximoque sibi usui ea præcepta, quæ olim imbiberat, esse intelligeret; suos ciues hortari non desistebat, ut ea peruestigarent, quæ de naturis humani generis, deque rerum publicarum gubernationibus à philosophis explicantur. Nec vero occultabat hoc ipse de se; nam à principio, cum primum in senatum lectus fuit, sæpe factum esse aiebat, ut in Suggestum ascendere, sententiæ dicendæ causa, cum cuperet,

peret, ausus non sit; quod pudore quodam & rei insolentia retraheretur: eamq; rem magno sibi dolori esse solitam; itaque in animo habuisse, nisi eum animi timorem ac verecundiam peruinceret, ad rempublicam posthac non accedere, suumque locum alijs concessurum, quibus ad dicendum animus non deesset: nec enim verum esse, fortibus ac strenuis ciuibus ab ignauis timidisque locum praeripi. Verum nihil necesse fuit, talis ciuis prudentia ac consilio Remp. priuari. nam paucis mensibus, cum se se animo facile confirmasset, sic sententiam dicebat, ut neminem magis prudenter, magisve composite loquutum unquam fuisse constaret. Docebat ille quidem verbis, quam maxime poterat, proprijs, cum partite ac distincte, tum memoriter ac copiose. animos autem cum oratione minime conaretur impellere, auctoritate ipsa vehementer permouebat & fide, lingua celeri ac volubili leporem atque ornatum illum oratorium neque adhibebat, neque adhiberi aequum esse censebat: animos enim ciuium inflecti atque incitari, quo maxime tempore sedatos rectosque eos esse oporteret, cum consilium capturi de Rep. essent, turpe atque inutile esse existimabat: eosque, qui magno quodam conatu orationis vim ad sensus atque impetus animorum & motus

abhorret moribus, &, qui sit optimus Reipublicæ status, intelligit; & quibus artibus, inclinatæ ruentesquæ ciuitates subleuentur, tenet; & ad eas, quæ non optimis institutis ac legibus temperatæ sint, accommodari se se tamen non recusat: remediaque temporum, locorum, casuumque incommodis adhibet salutaria. eadem multa de hominum vitijs, quæque eorum cautiones sint præcipit. eadem qui, cuique arti, cuique fortunæ, cuique animi aut corporis affectioni, mores sensusque comitari soleant, commonet. Ad eam doctrinam tam fructuosam, tamque opimam ubi usus quoque atque exercitatio accessit, tum vero præclari illi ac singulares ciues existunt: qualis vel in primis Contarenus sua in republica fuit: qui cum ingenuarum artium in gremio educatus & tamquam philosophiæ alumnus quidam, ad agendum descendisset, maximoque sibi usui ea præcepta, quæ olim imbiberat, esse intelligeret, suos ciues hortari non desistebat, ut ea peruestigarent, quæ de naturis humani generis, deque rerum publicarum gubernationibus à philosophis explicantur. Nec vero occultabat hoc ipse de se; nam à principio, cum primum in senatum lectus fuit, sæpe factum esse aiebat, ut in Suggestum ascendere, sententiæ dicendæ causa, cum cuperet,

peret, ausus non sit; quod pudore quodam & rei insolentia retraheretur: eamq; rem magno sibi dolori esse solitam; itaque in animo habuisse, nisi eum animi timorem ac verecundiam peruinceret, ad rempublicam posthac non accedere, suumque locum alijs concessurum, quibus ad dicendum animus non deesset: nec enim verum esse, fortibus ac strenuis ciuibus ab ignauis timidisque locum præripi. Verum nihil necesse fuit, talis ciuis prudentia ac consilio Remp. priuari. nam paucis mensibus, cum se se animo facile confirmasset, sic sententiam dicebat, ut neminem magis prudenter, magisve composite loquutum unquam fuisse constaret. Docebat ille quidem verbis, quam maxime poterat, proprijs, cum partite ac distincte, tum memoriter ac copiose. animos autem cum oratione minime conaretur impellere, auctoritate ipsa vehementer permouebat & fide, lingua celeri ac volubili leporem atque ornatum illum oratorium neque adhibebat, neque adhiberi æquum esse censebat: animos enim ciuium inflecti atque incitari, quo maxime tempore sedatos rectosque eos esse oporteret, cum consilium capturi de Rep. essent, turpe atque inutile esse existimabat: eosque, qui magno quodam conatu orationis vim ad sensus atque impetus animorum & motus

mi titubatione negant ausuros esse consistere, hominum consuetudinis imperitos, legum, morum, sermonum, voluntatumque ignaros, atque à communi vita & hominum sensibus, victuque longe multumque abhorrentes: sic vulgo existimant. Sed falluntur sane, multoque id aliter euenit. Nam, qui, tamquam inermes, ad prœlium & pugnam; sic nullis aut leuibus doctrinæ præceptis, quasi armis, instructi ad rempublicam accedunt, ii artem, quam facere intendunt, unam quidem omnium maximam ac difficillimam, reipublicæ patriæque periculo discere coguntur; atque, vt in vetere Græcorum prouerbio est, dolio faciendo figlinam aggrediuntur percipere: idque ipsum de malis auctoribus, magistrisque sane insciis atque improbis, vulgo & foro. Quamquam nobilitari homines iidem Græci in foro aiunt: qui si hoc sentiunt, virtutem, ut maiore in luce posita locataque sit, ita magis magisque splendescere atque illustrari, ipsi sane videant, ubi nam eam potissimum in bono lumine collocent: sin illud præcipiunt, à populo, bene viuendi rationem, tuendarumque ciuitatum disciplinam peti oportere, aut in foro cum reliquis mercibus expositam virtutem venire, ne ego, mihi locum modo demonstrari, magno emere possum. Sed non est ita. Nam sponte

qui-

quidem sua, aut prudentiam hominum animus atque ingenia non magnopere gignunt; aut huius nobis ætatis, tamquam sterilitas quædam vehementer lamentanda est. quibus autem opinionibus imbutæ eorum mentes,& tamquam consitæ, ad remp. è populi disciplina, & quasi cultura prodire soleant operæ pretium est attendere. Nam ii, qui animum philosophiæ præceptis excoluerunt, regendarumque ciuitatum artem edidicerunt;neque timidi sunt, quod scientia earum rerum, quas quisque tractet, animum addere, non adimere solet; neque audaces ac temerarii, quod stultitia ac temeritas plurimum ab arte ac sapientia diffident. Reipublicæ vero gubernator ille de populo, nec ignauiam à verecundia segregare, neque præcipitem aut pertinacem ciuem seiungere à forti atque constanti magnopere nouit, nisi usu demum atque experientia doctus, cum sæpe lapsus, sæpe deceptus multa in rep. offenderit, & ciuitatis periculo ac detrimento (ut antea à me dictum est) prudentiam didicerit. Philosophia autem, quæ vel maxime in effingendis, atque ad virtutem conformandis, hominum sensibus atque motibus occupata sit, &, ut ut illi morati tandem sint, quemadmodum cum iis conflictari non incommode queamus, vias rationesque tradat, neque ab hominum

abhorret moribus, &, qui sit optimus Reipublicæ status, intelligit, & quibus artibus, inclinatæ ruentesque ciuitates subleuentur, tenet; & ad eas, quæ non optimis institutis ac legibus temperatæ sint, accommodari se se tamen non recusat: remediaque temporum, locorum, casuumque incommodis adhibet salutaria. eadem multa de hominum vitijs, quæque eorum cautiones sint præcipit. eadem qui, cuique arti, cuique fortunæ, cuique animi aut corporis affectioni, mores sensusque comitari soleant, commonet. Ad eam doctrinam tam fructuosam, tamque opimam ubi usus quoque atque exercitatio accessit, tum vero præclari illi ac singulares ciues existunt: qualis vel in primis Contarenus sua in republica fuit: qui cum ingenuarum artium in gremio educatus & tamquam philosophiæ alumnus quidam, ad agendum descendisset, maximoque sibi usui ea præcepta, quæ olim imbiberat, esse intelligeret; suos ciues hortari non desistebat, ut ea peruestigarent, quæ de naturis humani generis, deque rerum publicarum gubernationibus à philosophis explicantur. Nec vero occultabat hoc ipse de se; nam à principio, cum primum in senatum lectus fuit, sæpe factum esse aiebat, ut in Suggestum ascendere, sententiæ dicendæ causa, cum cuperet,

peret, ausus non sit; quod pudore quodam & rei insolentia retraheretur: eamq; rem magno sibi dolori esse solitam; itaque in animo habuisse, nisi eum animi timorem ac verecundiam peruinceret, ad rempublicam posthac non accedere, suumque locum alijs concessurum, quibus ad dicendum animus non deesset: nec enim verum esse, fortibus ac strenuis ciuibus ab ignauis timidisque locum præripi. Verum nihil necesse fuit, talis ciuis prudentia ac consilio Remp. priuari. nam paucis mensibus, cum se se animo facile confirmasset, sic sententiam dicebat, ut neminem magis prudenter, magisve composite loquutum unquam fuisse constaret. Docebat ille quidem verbis, quam maxime poterat, proprijs, cum partite ac distincte, tum memoriter ac copiose. animos autem cum oratione minime conaretur impellere, auctoritate ipsa vehementer permouebat & fide, lingua celeri ac volubili leporem atque ornatum illum oratorium neque adhibebat, neque adhiberi æquum esse censebat: animos enim ciuium inflecti atque incitari, quo maxime tempore sedatos rectosque eos esse oporteret, cum consilium capturi de Rep. essent, turpe atque inutile esse existimabat: eosque, qui magno quodam conatu orationis vim ad sensus atque impetus animorum & motus

commouendos admouerent; si id suæ priuatæ utilitatis causa susciperent, improbe; si Reip. causa, arroganter sine controuersia facere aiebat; quod tantum sibi sumant, ut non communi Remp. consilio regi velint, sed suo; quamque ipsi probarent sententiam, in eam ceteros ciues non adducere, sed compellere studerent. Eodem tempore Contarenus Brixiæ præfectus renuntiatus est. eum magistratum, Capitaneum Veneti appellant: quo cum proficisci cogitaret: iamque impedimenta imposita in lintrem haberet, repente horribilis nuntius adfertur; Romam à Cæsaris militibus captam, Pontificem, Max. in arcem compulsum, urbem ipsam diripi ac vastari. quibus rebus Venetias nuntiatis, magnus subito cum dolor, tum etiam terror inuasit. Itaque mutato consilio Contarenus, cum vereretur alijs armis Brixiam egere, quam, quibus se se ipse assuefecerat, consilio atque auctoritate, eum magistratum recusauit. atque interim otium à Rep. nactus, studijs scilicet suis illis pristinis obsequebatur. Bellum, cum grauis hæc plaga accepta est, cum Cæsare Veneti, ac Clemens VII. Pont. Max. communiter gerebant; sed totius imperij summa tradita erat Franciscomariæ Vrbinatium principi, quem illi ducem appellant; eum Veneti suarum co-
piarum

piarum ſeorſum ducem habebant, nam ciuem terreſtres copias ducere, per leges non licet: ac cum deditione facta, Clemens iam complures menſes in cuſtodia Cæſaris militibus aſſeruaretur, cumque urbis depopulandæ, vaſtandæ, incendendæ modum homines feri ac barbari ſibi ſtatuerent nullum; cui rei Cæſarem, quod longe abeſſet gentium, cum maxime cuperet, negant potuiſſe occurrere: commoti rei indignitate atq; acerbitate Chriſtianorum principes pleriq; omnes inter ſe de Ponti. Maxi. e cuſtodia educendo conſpirauerunt. eius rei cauſa concilium Ferrariæ indictum eſt, quod Alphonſum Eſtenſem, qui eius urbis imperium, à maioribus acceptum, eo tempore obtinebat, maximi animi hominem, reique militaris peritiſſimum, adiungi ſibi vehementer ſtudebant: à quo cum propter conſilium ac virtutem, tum propter oppidi opportunitatem, opes, bellique inſtrumenta, quibus ille abundaret, earumque rerum omnium facultates, quæ ad bellum uſui erant, multa, magnaque auxilia ſubminiſtrari ſibi ad id bellum intelligebant poſſe. Eo Galliæ Britanniæque reges Legatos miſerunt cum mandatis homines nobiliſſimos; idem & ij, quibus Pontificis Max. ſalus priuatim curæ erat, fecerunt, & Mediolanenſis dux Franciſcus

Sfortia. Eodem Veneti Contarenum mittunt: maxime enim eorum reipublicæ intererat eam confici rem, propterea quod cum Pontifice, quemadmodum dictum à me est, societate & fœdere coniuncti, continentibus bellis, non longe ab suis finibus, cum Cæsare contenderent. Eo concilio peracto, atque haud ita multo post pontifice liberato, ad eum Contarenus, suæ ciuitatis iussu legatus profectus est. Magna erat eo tempore omnium rerum perturbatio, magni Galliæ, Italiæque totius videbantur motus impendere. quod & Clemens ipse iniquissimo animo contumeliam, quam acceperat, ferre existimabatur, quod per pacis simulationem circumuentus in hostium potestatem venisset, quod superbe crudeliterque tractatus, & in deditionem receptus tamdiu in custodia fuisset retentus, atque ad extremum quod non dimissus, sed elapsus e manibus & cathenis esset: quod omnia exempla cruciatusque in suos editi Romæ atque in omnibus vicis, & oppidis essent. Accedebat quod Florentini Hippolytum atque Alexandrum Pontificis fratrum filios, qui ipsius potentia in ea urbe imperium antea obtinuissent, e ciuitate eiecerant. quod ille grauissime atque indignissime ferebat: eius dolor quam in partem erumperet, expectabatur ab omnibus. Eadem Galliæ

regis

regis cauſa erat: atque condicio: nam & bello ſuperatus captuſque, tantum ſe de vetere virtutis opinione, deque bellica gloria deperdidiſſe, maximo erat illi dolori, & ſui liberorumque ſuorum mercatu (ut ipſe exiſtimabat) nundinationeque illa Cæſaris hoſtili ſcilicet in eum odio exarſerat. Tum Veneti multis de cauſis Franciſcum Sfortiam in regnum reſtitui volebant: atque eam rem ad ſuam rempublicam magnopere pertinere arbitrabantur. quibus omnibus rebus efficiebatur, ut, in tanta animorum incitatione & diſcordia renouari in Italia bellum neceſſe eſſe, omnibus videretur. Interim Clemens cum Cæſare in gratiam redierat, amicitiamque conciliauerat: & , quo liberius in patriam iracundiam exercere poſſet, iuſtiſſimas ſuas in Cæſarem minuerat inimicitias; & ſuas illi iniurias aut condonauerat, aut viciſſim pacis ſimulatione, idoneum doloris ſui ulciſcendi tempus expectabat. Atque cum Cæſaris duces & exercitus, illius nomine Florentiam oppugnarent, faciendum ſibi eſſe exiſtimauit, ut propius ipſe accederet: itaque Bononiam ſe ſe contulerat. Eo Cæſar quoque ex Hiſpania venit, ut à Pont. Max. cuius unius ea poteſtas eſt, diadema ceteraque imperii inſignia acciperet, atque ei aduenienti cum obuiam Contarenus extra urbem proceſ-

ſiſſet,

sisset, dicitur eum Cæsar per quam longo sane interuallo à se visum agnouisse, atque iis oculis, eaque vultus hilaritate eum aspexisse, ut id à multitudine, quæ visendi causa prodierat, & omnes vias oppleuerat, animaduerteretur; atque ex ea re coniectura fieret, rem inter Cæsarem & Venetos conuenturam: id quod exitus comprobauit. Nam præter omnium opinionem, in tanta animorum incitatione & discordia, tot ultro citroque illatis acceptisque iniurijs ac detrimentis, cum pacificationi locus vix ullus videretur esse relictus, recessum tamen ab armis est, paxqque inter omnes constituta. Quæ res per Contarenum acta magna ex parte & & confecta, cum suæ ciuitati gratissima atque optatissima accidisset, mirifice eius & gloriam & auctoritatem auxit; ut nullam rem tantam, aut tam difficilem esse censerent, quin eam ille animo & cogitatione suscipere, & consilio tueri, & auctoritate atque industria conficere posset. Memoria teneo me Romam illis temporibus venisse; tantus erat omnium, qui in ea urbe tunc aderant, de Contareni doctrina, prudentia, continentia, pietate, consensus, tantaque admiratio, ut non amarent modo eum, qui tunc erant ciuitatis principes, sed etiam vererentur & colerent. Atque omnino multa præclare legibus

gibus sancita sunt apud Venetos, in his, quod vetantur legati ab his, ad quos missi sunt, ulla aut munera, aut beneficia accipere; quod utinam aliæ quædam ciuitates aut reperissent, aut repertum à Venetis, imitari saltem vellent; ne suos ciues (id quod usu fere euenit) plerosque foris venales, domi hostes haberent. quamdiu enim absunt neglecta, quam susceperunt, reipublicæ cura, à quibus locupletari se sperant, eorum gratiam aucupantur, atque iis se se venditant iidem: domum reuersi, beneficiis ac muneribus alligati, atque deuincti, quam patriæ caritatem debent, eam alienis, sæpe etiam hostibus, præstare ac persoluere coguntur. ita dum alii aliorum aut regum aut nationum rem gerunt, deserta nimirum à ciuibus publica res eorum iampridem labat & corruit. At Contarenum eæ ciuitates, apud quas magna cura, summaque fide ac diligentia rem suam publicam gessit, præclarissimis muneribus donauerunt: tot enim tamque variarum gentium constantissimo consensu mirifice probatum, summoque laudatum opere, maxima dignitate, existimatione, gloria muneratum, ditatumque domum dimiserunt. Seuerissimis legibus Venetiis ambitus constrictus est; suffragium ne per se, neve per alium quemquam rogent interdictum est.

ita

itaque cum à ciuitate ipsa uniuersa, non à singularibus ciuibus nominatim, petendi magistratus sint: idque sæpe (iidem enim eosdem magistratus, certis intermissis temporibus, crebro gerunt) una uirtute nixam omnium ciuium ambitionem esse oportet: ut qui sæpissime amplissimas dignitates adepti sint, ii non amicorum aut propinquorum diligentiæ, aut tenuiorum hominum officii, aut etiam fortasse auaritiæ, sed ipsius Reip. certissimum de se testimonium habeant: nam multis locis reprehendendi erroris sui ciuitati facultas datur: itaque sæpe usu venit, ut, qui semel primo aliquem honorem cunctis suffragiis assecuti sint; iidem, iterum petentes, repulsam ferant. Quo maior eorum ciuium splendor est, qui omnium dignitatum cursum & tamquam spatia & circuitum iterum & sæpius sine ulla offensione confecerint; ii clarissimi apud ciuitatem sunt: iis honos ab omnibus ætatibus, omnibusque ordinibus habetur, ii cum opibus & potentia ne infimos quidem ciues antecedant, dignitate, existimatione, auctoritate, gloria anteferuntur omnibus: eadem est enim ciuium omnium parque species, una toga, eaque simplex; nullus omnino non modo comitatus, sed ne comes quidem; ut primi ciuitatis (si quis illorum consuetudinis ignarus interuene-

uene-

uenerit)uni de multis facile uideri possint.
Sed ii, quoquo venerint, salutantur, appetuntur: iis in viis deciditur, obuiam itur: in curia, in foro assurgitur: ut mihi virtus nudata phaleris omnibus, aduenticiis ornamentis exuta, in una ea ciuitate sua ipsa pulchritudine & lumine nitere ac splendescere semper sit visa. Prorsus visendæ Venetiæ sunt, non propter urbis modo eximiam pulchritudinem, nouitatemque antea inauditam. etenim maximam formosissimamque urbem, in mediis excitatam æstibus se se è fluctibus erigere, quis non miretur? naues onerarias maximas, passim ad priuatorum ianuam religatas, triremes in plateis nauigantes, quis sine magna admiratione ac voluptate aspexerit? Mihi quidem sic videtur, hanc profecto urbem si conspicata modo esset antiquitas, Neptunum nimirum aliquem ex profundo ac latebris excitasset, atque eum celsissima illa tecta struentem ac fabricantem fecisset: qui, tametsi nullus scilicet umquam fuit: tamen si sit, aut esse si possit aliquis, nullum illi attribui munus aut opus illa urbe præclarius posset: aut quod magis diuinæ conueniret naturæ. Sed hæc oculorum, illa animi ex eius urbis cognitione voluptas capitur, ut equidem sentio, vel maxima, quod unæ dominantur apud eos leges: iis & magistra-
tus

tus obtemperant, & ciues æque ad unum omnes: atque eo usque mihi potentiam execrata prudentissima ciuitas videtur, ut neminem unum ulli magistratui præesse passa sit. terni, quini, seni, deni imperia, potestates, singulos magistratus gerunt. ut non solum domini os, quo nulla tetrior, nulla oculis detestabilior obijci species potest, aspiciendum ciuibus non sit, sed ne domini quidem imago & similitudo, aut effigies. Quamobrem spectatum exteræ nationes alacri animo Venetias eant; nec urbis modo causa, quod dicere institueram, sed vel maxime ciuitatis; pulcherrimo totius orbis terrarum spectaculo se se ad eam diem caruisse profecto intelligent. Postquam Roma Contarenus rediit, confestim ad summos honorum gradus sine ulla dubitatione vel controuersia elatus est. nam & maturius, quam ciuitatis consuetudo antea tulisset, Sapiens magnus factus est, & Consiliarius. qui duo magistratus summi apud Venetos sunt. neque dubium erat quin, si quis ex diui Marci Procuratorum collegio demortuus esset, eius Contarenus in locum substitueretur. ea una procuratio perpetua Venetorum legibus est; id unum ad honorũ persunctionem Contareno afuit. Itaque sic in republica versabatur, ut etiam si litteras omnino non didicisset, il-

lustris

lustrissimum tamen ciuitatis locum obtinere eum necesse esset. sic autem doctrinæ gloria celebrabatur, ut, tametsi rempublicam attigisset nunquam, ciuium omnium, qui fama ac nomine excellunt, clarissimus suo tamen nomine fuisset futurus. Accedebat Christianæ theologiæ singularis quædam atque exquisita cognitio: eaque non scientiæ modo aut ostentationis disceptationisue, sed vitæ ac disciplinæ causa comparata: ad eius enim præcepta animum mentemque referens, omnes suas cogitationes, consilia, actiones, vitam denique omnem conformauerat atque direxerat: ut non modo ad philosophorum regulas bene beateque, sed etiam ad Christianorum diuinum hoc præscriptum pie sancteque viueret. Est Venetijs quidam, quasi Romanorum, qui quondam fuit, campus ille atque comitium, quod magnum ab illis concilium nominatur. ad id concilium omnes, quibus ferre suffragium per ætatem licet, statutis diebus conueniunt. ibi cum Contarenus forte esset consiliarius, custosque positus sortibus, quibus Veneti in petendis magistratibus utuntur; nam quorum sors exijt, ij pronunciant quem potissimum sua sententia ei magistratui, cuius comitia habentur, gerendo idoneum esse existiment: itaque mirifico casu accidit, ut ibi cum

esset,

esset, in vniuersæ ciuitatis conspectu atque oculis, publice Roma allatæ litteræ sint, in quibus res omnibus noua, omnibus inopinata; illi quidem certe ipsi prorsus incredibilis, scripta esset, cooptatum Contarenum à Paulo Pont. Max. in Cardinalium collegium esse. Legerunt eas inter se litteras primum eius collegæ; à quibus satis magno interposito ille interuallo, ad sortium urnas, ut dixi, assidebat. Itaque excepta inter legendum vox ab ijs, qui proximi consederant, Susurro primum & rumore dubio, bonam euenire, felicem, faustamque eam illi dignitatem precante, ad aures Contareni profluit. ille vero respuere, nec adduci posse ut eam, sibi rem narrari saltem pateretur: atque omnino ne aures quidem ad audiendum præbere. Verum recitatis palam litteris magna uniuersæ frequentiæ approbatione ac lætitia, inter se collocuti consurrexerunt collegæ, atque ad eum cum magna, cum lætitiæ, tum etiam obseruantiæ significatione adierunt. quod ille cum vehementer commotus recusaret, ac se se id ætatis ad aliud vitæ genus negaret posse traduci, ad curiæ vestibulum ab ijs, uniuerso eo concilio comitatus, deductus est. Cumque collegæ, hominis honestandi studio, domum reducere eum, summa contentione pergerent, prorsus

non

non tulit. Erat eo tempore inter collegas Aloisius Mozanigus, grandior natu vir, qui apud ciuitatem gratissimus cum esset, princepsque consilij publici haberetur, sæpe à Contareno de republica dissenserat: is ad eum gratulatum cum alijs non adijt, credo quod pedibus erat admodum infirmis. hic clara voce, ut à cuncto exaudiretur senatu, rei nouitate percitus, adiurans, cum frontem feriret ac Paulo malediceret, adfirmasse dicitur maximam ab eo ciuitati iniuriam fieri, quod eam ciue priuaret, quem illa unum omnium habuisset optimum. Consilio demisso, id enim is conuentus nomen habet, uniuersa ciuitas domum ad Contarenum lęta atque alacris confluere cœpit. ille vero suspenso animo incertusque etiam nunc quid ageret, minus multo erat, quam ceteri, hilaris; nec mehercule iniuria. quid enim honos ille homini in re sua familiari ampla atque illustri, in republica principi, in toto orbe terrarum claro atque nobili, afferebat, præter molestias ac labores? mutanda, vitæ victusque quinquagesimo demum anno ratio tota & consuetudo; suæ ciuitatis dediscendi mores, a ienæ ediscendi, haud parum quidem ab ea, ad quam ille se se exercuerat, disciplina abhorrentes; viuendum ad unius hominis non semper prudentissimi, pæne arbitrium

a qu:

atque nutum; comitatus magni alendi, sæpe diu eodem censu; aliæ cogitationes, consilia, instituta, officia, actiones, persona suscipienda prorsus alia. Sunt hæc homini, æquabilitatis ac dignitatis potius, quam potentiæ atque opum cupido incommoda vehementer odiosa, grauia ac molesta, præsertim si quis antepartis honoribus tamquam ex saturatus, & parta iam gloria contentus est. Sæpe mihi narrauit vir omnium clarissimus atque grauissimus, quem Romæ his paucis annis à sua ciuitate legatum, summa apud duos Pontifices Max. auctoritate summaque gratia vidimus, Paulum & Iulium tertios (in utriusque enim tempora eius legatio incidit) Matthæus Dandalus: se se, cum vehementer auctor Contareno fuisset eius honoris accipiendi, qui non ab eo expetitus, sed ad eum delatus esset, magna contentione ratiocinandoque vix ægre ad extremum homini persuasisse, ne committeret, ut Pauli consilium, in quod non ille temere incurrisset, sed sine vlla dubitatione duce Deo deuenisset, aspernari videretur: præsertim his Reip. Christianæ temporibus: multos enim fore, qui eam rem aliorsum acciperent, atque ille faceret. quique in Romanam ecclesiam impietatis scelerisque nefarij Gasparem Contarenum, virum unum omnium maxime

pium, maximeque religiosum, subscriptorem habere gloriaturi, se seque in eo impudentissime iactaturi essent; quippe qui, cum à Pont. Max. ne beneficium quidem accipiendum sibi esse statueret, quid de causa illa tota iudicaret nemini dubium relinqueret. Hæc cum Dandalus diceret; adderetque, eos, qui Contareno æquissimi futuri essent; suspicaturos tamen esse non ob animi magnitudinem atque æquabilitatem, tantam illum dignitatem à se remouisse, sed propter imbecillitatem atque ignauiam defugisse: peruicit homo grauis atque eloquens, omnique necessitudinis genere cum eo ab adolescentia coniunctus, cum propter affinitatem, tum præcipue propter morum, voluntatum, studiorum similitudinem, ut dubitantem confirmaret: atque in suam sententiam diu multum cunctantem ac tergiuersantem perduceret: qui maximam partem eorum, quæ à me posita in hoc commentario sunt, nos docuit. Omnino verum id est, quod ait apud Euripidem Theseus, cum Herculem, quo tempore ille Athenas in exilium venit, multis honoribus ac beneficiis prosequeretur: sic enim ait. Laudem feremus omnium pulcherrimam uniuersa a Græcia, Fecisse cum memorabimur bonis bene: quod ille Græce optime, nos Latine ut potuimus. Ve-

rumtamen is est virtutis splendor, ut non modo ii, qui eius compotes sint, honore digni habeantur, sed etiam si qui honorem illis, qui adepti eam sint, habeant, honorati ipsi & clari ob eam rem euadant. Id, quod Theseus de se sperabat, Paulus etiam assequutus est: nec enim dici potest quantum in Contareni dignitate amplificanda suam ipse gloriam propagarit. Quamquam fuit ille suo quoque nomine insignibus laudibus ornatus, virque egregie magnanimus & plane maximus. Ab hoc tempore aliud tamquam *vitæ* exordium & quasi origo, Contareno nascitur. Antiquiores habentur Venetum mores, propterea quod inquinari se externis consuetudinibus ea ciuitas passa non est. Victu & cultu non modo a luxria longe absunt, sed etiam de lautitia hac, quæ plerasque Italię ciuitates nuper inuasit, per multum circumscripserunt: quippe qui prisco more esse se principes, quam videri malunt. consuetudo autem eorum moderatioque vitæ cotidiana discrepat illa quidem fortasse nonnihil, sed ita, ut ad summam expolitionem desit forsitan aliquid; firmum autem quiddam ac solidum certe subsit, & leuitate atque ineptijs vacet. quod Romæ contra mihi visum est fieri: aptiores enim in conuictu & congressionibus Romani homines sunt: sed

accer-

accersito quodam interdum genere, minimeque vernaculo. vitæ autem cultus lautior est, atque, ut video nonnullos existimare, etiam delicatior. in principibus quidem luxus pæne regalis; maguus equorum, iumentorumque numerus, multitudo familiarium; lauta, splendida, sumptuosa suppellex: ut dedisse mihi operam videantur non modo re magni ut essent atque clari, sed etiam specie ac pompa. Neque eo hoc dico, quod exterarum rerum, quæ ad dignitatem ac decorem pertinent, rationem non habendam esse existimem, aut quo mihi id arrogem, ut utrius ciuitatis studia rectiora sint, dijudicare me posse profitear: sed illud affirmo, hanc quasi migrationem è sua in alienam, non illam quidem deterius, sed longe longeque aliter moratam ciuitatem Contareno, ingrauescente iam ætate, subitam ac repentinam necessario molestam fuisse. Veruntamen ita vitæ victusque mutatio facta ab eo est, ut ingenium tamen, institutaque illa sua pristina retineret: nec ullos spiritus, tanta facta accessione dignitatis atque fortunæ, sibi sumeret: sed probitas, affabilitas, & eadem, quæ in priuato uerat, facilitas atque humanitas (quamquam inuidiosa illa, tantoque opere à multis ex petita purpura recens induta erat) integumentis inuolu-

ta, & quasi personata elucebat tamen, & agnoscebatur ab omnibus. Nam cum intempestiui ipsi complures, molestique sæpe essent, propterea quod omnibus presto ille semper erat, admonitus est à suis, non tam faciles eius ordinis cęteros se se præbere consueuisse, sed certam diei horam constitutam habere, antequam adiri ad se non paterentur: neque cuiquam sui potestatem facerent. Quibus ille respondit non se putare honorem illum sibi soli esse datum, sed eius partem amicos, partem inopes homines & egentes iure sibi optimo vindicare, ad quorum arbitrium viuendum sibi esse statueret, non ad suum: nec enim æquum esse amicorum clientumque negotijs, tempus, idoneum quod sit, à se præscribi, sed ab iis ipsis, quid rerum suarum occasiones ac momenta exigant, statui oportere. Itaque ut quique ad eum veniebant, statim admittebantur, ac quibus operam suam semel esset pollicitus, fidem in eo religiosissime seruabat; ut sæpe tenuium aut miserorum hominum causa ad summos reges iterum & sæpius adire non dubitauerit: cum id præcipue Christiani esse officij contenderet, id maxime hominum genus auxilio iuuare, quod maxime opis & auxilij egeret. Quod iudicium ipsius etiam faciebat, ut reliquias Græcæ nationis, multis grauibusque ma-

lis

lis conflictatas, foueret; ac, quibuscumque rebus posset, subleuaret. accedebat autem huic animi propensioni erga illos, ut miseros & durissima seruitute oppressos, quod memor erat veterum beneficiorum, quæ uniuersi mortales ab erudita ea gente accepissent: inde namque & bonas artes, & cuncta ingenua studia profecta per omnes terras manasse affirmabat. Nam quin maiores eorum pietatem Christianam, cultumque hunc optimum nostræ vitæ strenue adiuuissent, dubitari non posse dicebat; cum Basilius, Chrysostomus, Nazianzenus quasi signiferi huius sanctissimi doctorum hominum gregis fuissent, qui pectora nostra excoluerunt, ac scriptis laboribusque suis veros ritus, explosis inde falsis opinionibus, eo inseuerunt. quare oportere nos, si grati esse velimus, lapides etiam stirpesque eius telluris amplexari, ne dum homines, cum quibus tot arctissimis vinculis coniuncti sumus, omni amore prosequi non debeamus. vigebat autem eo magis in animo ipsius hæc opinio, quia illos ipsos summos theologos, quos appellaui, ut philosophos quoque eiusdem gentis, cotidie in manibus habebat, & eorum laboribus, vigilijsque se instructum esse recordabatur. Benigniorem eum esse cum res non pateretur, quod proximum erat, fidem

diligentissime præstabat, ut ad diem, quibus deberet, semper persolueret. quæ res, à potentioribus non paucis neglecta, efficere solet, ut multis in locis sit fides angustior: neque hoc tantum maioribus in nominibus custodiebat; ad tempusque his, qui se grandiore pecunia inuissent, respondebat (quod tamen ut faceret ægre & urgente tantum aliqua necessitate committebat (verum etiam aduersus tenues homines, quibus aliquid deberet, se talem præbebat; quæ culpa maioribus eorundem inhærens, inquinat non parum eorum splendorem, miserosque illos creditores ad desperationem & laqueum aliquando adigit. Declarat quantopere maculam hanc fugeret, quamque omni in re iustitiam coleret: uox edita aliquando ab ipso, quum forte audisset diœcetem suum iubere minutum quendam opificem cras redire; castigatum enim illum iussit pecuniam eam statim dissoluere, addiditque, si unde id faceret, non esset, sumeret ex abaco vas, ipsumque diuenderet: arbitrari enim se tenuem illum hominem magis mercede sua, quam se argento illo, mensæque ornatu egere. Eodemque pacto toto animo abhorrebat ab indignis graui & honesto viro quæstibus: non pauci enim ne desit ipsis pecunia in minime necessarijs sumptibus, & ut inanem splendorem retinere

tinere possint, cogunt illam illiberalissima quauis ratione ac sordidissima. Quum igitur eo tempore, quo Bononiam legati nomine obtinebat, qui, pars illius muneris obeundi, illatarum iniuriarum causas audiebat, ita cum eo egisset (putabat enim Contarenum eiusdem animi esse, cuius plerunque sunt, qui negotiis illis implicantur.) Esuribimus profecto: nullum enim emolumentum parit imposita mihi cura cunctaque in ciuitate concordiæ atque otij plena sunt: inquit ille: Voluptatem magnam mihi nuntias, cupioq; hunc statum rerum permanere, videreque diem illum, quo ego, ut habeam sumptum unde faciam, mulam etiam, qua vehor, cum omni ornatu proscribere cogar. Non putaui autem alienum esse has etiam ipsius voces memoriæ mandare, quum præsertim huiuscemodi breuia dicta, quia ab intimis sensibus proficiscuntur, subitoq; prolata sunt, in singulis factis ac motibus animi, ut reliquis etiam casibus humanis, videantur in primis mores voluntatemque eorum, unde erumpunt, indicare: eademque voces multum valere non sine causa semper existimatæ sint ad homines informandos, illosque etiam emendandos, qui contrarijs vitiis tenentur. quam causam fuisse puto, cur plures & docti & prudentes viri sedulo multas collegerint, & vo-

lumina etiam ex ipsis confecerint. Sæpe multumque ineunte adolescentia cum iracundia, quæ paulo sibi consueuisset esse molestior, quasi luctatum, ad extremum prostratam illam & domitam aiebat oppressisse: non modo enim turpe, sed etiam miserum sibi semper visum, ira incitatos à consilio atque nobismetipsis abscedere, quod de se Terentianus ille prædicaret, Præ iracundia Menedeme non sum apud me: Bibulum autem illum, qui cum L. Libone fuit ad Oricum (quamquam hoc de Scribonio ab inimicissimo homine memoriæ traditum est, & qui quacunque re potuit, existimationem eius semper violauit) sibi nullius pretii hominem videri fuisse, qui cum de compositione agendum esset cum Cæsare, ad colloquium non prodijt, ob eam rem, quod furenter consueuisset irasci; ne res maximæ spei, maximeque utilitatis eius iracundia impedirentur. Itaque non modo stomachantem, sed ne commotum quidem visum illum à se umquam esse, qui cum eo familiarissime vixerunt, affirmant, ut nimirum prope patiens ac lentus existimaretur, neque ijs, qui in epulis, in cubiculo ipsi ministrarent, sæpe cessantibus, sæpe etiam peccantibus, non modo non conuicium faceret, sed ne verbo quidem malediceret. Quod igitur de non nullis doctis viris memoriæ

pro-

proditum est; ut Socrate, Stilpone Megareo; quum illi natura propensi essent ad aliquod vitium, effecisse tantum eos studio ac diligentia sua, ut nullum umquam in vita ipsorum vestigium rerum illarum appareret, id vere de hoc nostro prædicari potest: in illisque sine dubio Contarenus enumerari debet, qui vitiosam naturam compresserint: ac quidquid illic aliquod maius malum, si creuisset, ferre potuisset, tenerum adhuc & imbecillum fregerint, & omnes eius fibras extirparint. Superbiorem ipsum (de quo etiam supra non nihil significatum est) copia bonorum, quæ aut à fortuna acceperat, aut ipse suo labore industriaque quæsiuerat, non fecerat: in quod vitium passim multi, minoribus multo ornamentis decorati, ruunt. & sane hanc culpam ille, ut scopulum aliquem, magnopere vitabat; quod si umquam in sermone aliquo aliquid à se forte prolatum intelligeret, quod tenuem modo umbram illius mali retineret, valde dolebat, ut contigit quodam tempore. Cum enim Paulus III. loqueretur cum ipso de augendo numero summorum antistitum, ostendissetque se in animo habere quosdam in eum ordinem cooptare, Contareno minime probatos (quod ille etiam præ se ferebat, atque id tunc palam dicebat) videns ipsum

ſuæ voluntati refragari Pontifex Max. inquit, ijs ipſis verbis. Inſitum fuit ſemper Cardinalibus, ut nouis repugnarent, ne ſibi alij dignitate exequentur; reſpondit igitur ille commotior quam ſolebat. Noli ſanctiſſime pater ita de me exiſtimare: cognitum enim tibi plane eſt, quot ego nominarim, idoneam prorſus materiam huic operi efficiendo; & unde fingi poſſint perſonæ tantæ dignitati ſuſtinendæ aptæ. nam quod ad me attinet, non puto purpuram hanc maximum eſſe eorum, quos in vita aſſecutus ſum, honorum. Extrema hæc verba, illa occaſione edita, ſtatim ut domum redijt, doluit ſibi excidiſſe; ut qui noluiſſet ſpecimen aliquod à ſe umquam datum, aut ſuperbi hominis, aut inanis huius honoris & gloriæ cupidi. Quin etiam dictitabat ampliſſima ſacerdotia plus in ſe oneris, quam ſplendoris habere, quoque maiora illa forent, eo moleſtiæ plus ſollicitudiniſque continere. quare ſe ſæpe vicem dolere ſolitum eorum, qui Pontifices Maximi creati forent; quia pondus Ætna grauius humeris ſuis ſuſtinerent, cuius iudicij Seleucus quoque rex quondam fuit: ille namque dixit, quæ vox eius monimentis litterarum mandata eſt à doctis viris, ut errorem eorum coarguerent, qui falſo putant opulentiſſimos quoſque homines beatos eſſe, magniſque ſemper

per voluptatibus frui, cernentes splendorem vitæ illius ac florem; inquit igitur ille, nescire priuatos illius status incommoda: ideoque magnopere falli in iudicio de illo faciendo. quod si scirent tantum, quam arduum sit, ac molestiæ plenum, tot epistolas scribere ac legere, futurum prorsus ut diadema abiectum iaceret sine honore ullo: nec quemquam inuentum iri tam stultum, qui ipsum tolleret ac capiti suo imponeret; nec tamen non multo maioribus grauioribusque curis premi necessario illos, si munus suum fideliter obire vellent, qui vitam moresq; eorum, quibus præsunt, regendos susceperunt, animosque ab omni labe purgandos, quam qui in eo tantum eximio statu rerum suarum, regnoque conseruando, occupati sunt. Quum igitur hoc crimen Contarenus vehementer reformidaret, ac, si quis vere existimare posset, vacuus prorsus ab ipso foret, non tamen penitus potuit ea suspicione carere. Erat ille in omni suo sermone, factoque integer ac liber, remotus ab omnibus blandicijs orationis, acerrimus inimicus vanitatis illius, assentationisque, quæ nunc in locum inuasit simplicis veritatis, libertatisque loquendi, merito quondam magnopere probatæ, ob quod etiam ingenij bonum ferunt eum Carolo Cæsari valde acceptum fuisse,

 quum

quum ob alias etiam animi dotes ab eo diligeretur. Hæc igitur probitas nuda, expersque omnis fuci ac fallaciarum, quæque, uti eo venerat, ita se Romæ in longe alijs moribus, institutisque conseruarat, causa fuit, ut superbiæ à non nullis insimularetur: quasi ille contemnens ceteros præ se, quidquid sentiret de omni re contra commoda illorum diceret: nec sua quicquam interesse putaret potentioribus aduersari. quam ansam quidam arripientes, ipsum, ut contumacem & inhumanum, apud Paulum III. criminati sunt, quod nimis libere in senatu contra ipsum sententiam diceret, atque honestissimos quosque viros offenderet; ipse vero id diuerso consilio faciebat: neque ut impediret commoda aliquorum, sed ut religioni suæ & ei, quod rectum esse sentiebat, seruiret. Vt autem, quod non verum esset, nec ordine factum, quamuis intelligeret se apud aliquos offensurum, accusabat, ita gratiam aliorum astuta simulataque oratione non aucupabatur: cui rei ostendendæ in utramque partem exemplum hoc satis accommodatum erit. Contigit aliquando, ut eo astante in senatu ageretur de Camarino in potestatem tradendo uni alicui Pont. Max. nepotum, eo genere iuris, quod feudum appellant. admonuit igitur Contarenus Paulum, ut antequam

de

de tanta re quicquam statueretur, colendæ iustitiæ causa, vacuæque à culpa conseruandæ sanctissimæ sedis, mandaret ut iura Varanæ familiæ, quæ diu in possessione eius oppidi fuerat, diligenter noscerentur, ne iniuriæ aliquid ipsa in ea re acciperet. Hæc sententia, præsenti animo dicta, illa ipsa die per urbem sparsa disseminataq; est: Quare Hercules Varanus, qui Romæ tunc erat, statim domum ad Contarenum venit, gratiasque illi maximas egit, causamque ei suam totam commendauit; cui quidem ille, eadem animi simplicitate, quod tamen quidam ab agresti inhumanoque ingenio profectum potius dicerent, respondit. Non necesse erat te mihi isto nomine gratias agere, quod enim feci tunc, ut æquitati officioque meo satisfacerem, feci: nec quicquam amplius cogitationis suscipiam de ista re, præter id, quod mihi fides mea præscripserit, nisi aliquid à Pontifice ipso, quod eo faciat, curæ meæ mandatum fuerit. Blandus aliquis, illa occasione usus, studuisset gratiæ illi, sine ullo suo labore partæ, nouam gratiam addere, animumque honesti viri inani spe, falsisque pollicitationibus, lactasset. Quare mihi venit in mentem arbitrari non paucis in rebus simile fuisse Contareni ingenium naturæ moribusque Dionis Syracusani: ut enim

reliqua, in quibus ipsis inter se magnopere conuenit, taceam, non deerant etiam in regia illa Dionysij filij (ut ab eruditissimis viris memoriæ proditum est) qui castissimi illius & integerrimi viri maximas virtutes & sane easdem has, propinquis vitiorum vocabulis deformarent, ac grauitatem superbiam esse dicerent: libertatemque loquendi contumaciam vocarent: qui Dion, cum induci non posset, ut una cum alijs peccaret, qui se omni genere vitiorum contaminarent, eorum peccata videbatur dissimilitudine vitæ coarguere. Fertur tamen ille durior fuisse natura, tristiorque; unde temperare indolem illam summo studio ipsum debere à doctissimo viro, studiosissimoque gloriæ ipsius elegantissima voce dictum est: hortatus enim est Plato ut Gratijs hostias imolaret, suasitque ut aliquid etiam daret moribus suorum temporum, institutisque reliquorum mortalium; non quia id omnino verum esset, sed quia ad congressus hominum frequentandos, beneuolentiamque eorundem retinendam, obsequium sæpe necessarium foret. Atque hæc priuati officij sunt, illa publici; quod malas consuetudines tollendas curauit, illas veteres renouandas; quod multarum legum præclarissimarum auctor suasorque fuit; quod in dicenda sententia numquam inuidiam
refor-

reformidauit, multaque contra collegarum suorum commodum sæpe suscepit atque perfecit. Vitiosa quadam consuetudine duabus, sæpe etiam pluribus ciuitatibus, unus & idem dabatur custos, qui Græco verbo episcopi appellantur: neque in ijs ipsis ætatis progressus expectabatur, qui annalibus Pontificum Maximorum legibus constitutus est; adolescentuli, sæpe pueri, maximis administrationibus præficiebantur. Has atque huiusmodi alias prauas corruptasque consuetudines sua Contarenus sententia delebat: moresque sacerdotum hominum, nimium nonnumquam deformatos emendabat, magnaque sua ipse offensione communem reipublicæ leuabat inuidiam. Non eadem condicione est collegium Cardinalium ceterarumque ciuitatum senatus aut consilium; nam illæ ex ea, quam habent, ciuium copia in suos senatus; qui aptissimi visi sint, legunt, in collegium Cardinalium è toto orbe terrarum, qui aut doctrina, aut nobilitate, aut prudentia, aut probitate, religione, pietate excellunt, si Pontifici Maximo visum sit, eos cooptare licet: eoque factum est, ut summa is ordo amplitudine, summa auctoritate, summo splendore, omni ille quidem tempore fuerit quippe è Christianorum flore decerptus atque collectus. Verumtamen ijs, de quibus institutus mi-
hi

hi sermo est, temporibus præcipuum quoddam in eo lumen enituit: propterea quod Paulus Pont. Max. magni atque acris iudicij vir, eximia singularique virtute homines nactus, ad eam illos dignitatem ultro ipse euocauerat, ut ei collegio, quod per se antea esset clarissimum, ea re lucis tamen permultum attulisse videretur. Ex hac virorum clarissimorum copia, cum mittendus ad Cæsarem Legatus esset, Contarenus potissimum ad id munus delectus est: caussa mittendi ea fuit. Vehementer erat Cæsar anxius sollicitusque, quod Germani, qui plurimum armis possunt, neque præsto illi in bellis erant, neque eum pecunia iuuabant; propterea quod maximis inter se seditionibus de religione contendebant, atque intestinis dissensionibus distenti, nullo illi vsui esse poterant. Abiecti quidam perditique ac desperati homines, xxxx. fere abhinc annis, iampridem receptas ratasque disciplinæ Christianæ sententias in controuersiam reuocauerunt, multitudinique persuaserunt imperitæ, uti à Romano Pont. quod caput Christianæ reip. atque ecclesiæ est, desciscerent, se seque in libertatem vindicarent. quod malum tarde initio serpens, ab ijs neglectum à quibus opprimi id & poterat & debebat, paulatim infimæ plebis, vulgique mulierum, animis, legum

vinculis laxandis & dissoluendis, possi-
cendaque cupiditatum multarum licen-
tia, in fraudem inductis, paucis annis opi-
nione magis adcreuit. idemque nefarius
furor, postquam populare existimari cœ-
ptum est pietatem euertere, multos quo-
que principes inuasit. Alios metus im-
pellebat, veritos ne à suis desererentur, si
ab illis dissentire pergerent, partim rerum
nouarum studio, partim leuitate & stulti-
tia, quod Deo immortali, legibusque
spernendis, fortitudinis opinionem face-
re se se de se nonnulli arbitrarentur; par-
tim etiam auaritia, quod sacerdotum ma-
ximas amplissimasque possessiones publi-
catas, inter se partiebantur: multi tamen,
quibus esset Deus pro sua ipsorum pietate
propicius, veram integramque pietatem
constantissime complexi, nullis permulce-
ri illecebris, nullis illici præmijs, nullo
timore depelli se se passi sunt: eaque à
maioribus, quæ acceperunt, instituta ad
hoc usque tempus fortissimo animo reti-
nuerunt. Sed tanta inter utrosque extitit
non modo contentio ac disceptatio, sed
etiam concertatio atque pugna, tantum-
que exarsit odium, ut maximæ, bellicosis-
simæ, florentissimæ, atque adeo, ante
hunc furorem, religiosissimæ, optimæque
de rep. meritæ nationis vires, opes, &
copiæ absumptæ, in se se ipsa conficienda
atque

atque delenda, sint. Quibus rebus permotus Cæsar animo & cogitatione in ea cura defigebatur, si per compositionem minui id malum sedarique discordiæ possent; qua de re cum omni contentione cum Germaniæ ciuitatibus ageret, primo Christianorum omnium concilium in ijs maxime locis indici postulauerunt, quo adire tuto ipsi possent: is erat locus nusquam gentium; quippe cum ab omnibus defecissent, nec ullis se se gentibus committere auderent, præterquam in eorum ipsorum finibus, ad id concilium venturos eiusque decretis iudicijsque staturos se se pollicentur: id eo ab illis consilio fiebat, quod Pontificem Max. numquam eo descensurum sibi persuaserant. Verum ubi probari à Paulo III. condicionem, ac ne de loco quidem, cuius iniquitate deterritum iri eum maxime sperabant, recusari senserunt; paulatim regredi, neque in eo quod ultro ipsi postulauerant, manere, dirimi controuersias per colloquium posse; id breuius, expeditius, certiusque esse, dicere, longum esse expectare, dum ex ultimis terris conueniretur. Omnia sibi Cæsar experienda existimabat, si vlla ratione mederi ei tanto malo posset. Itaque deliguntur homines docti ex utroque numero undeni, ad colloquium venitur, magna contentione, magna pertinacia,

ab

ab ijs, qui se ipsi Protestantes appellant, disputatur, atque in omni genere calumniæ delitescitur: eos ij, qui ratas veteres sententias esse volunt, Catholicique appellantur, acriter refellunt, constantissimeque in sententia perseuerant. Ad extremum, cum concertationum exitus nullus reperiretur, nec quicquam inter eos conueniret, prorsus disiunctis discordibusque opinionibus, infecta re, à colloquio discedunt: quod, quoniam se absente factum erat, Cæsar sperans Germanos suum aspectum atque auctoritatem reueritos, aliquid de pertinacia atque calumnijs remissuros, iterum deligi homines iubet, qui colloquendi causa Ratisbonam conueniant: atque eo ipse proficiscitur, ut maiore auctoritate de concordia ageretur, simulque magnopere à Paulo III. per litteras petit, legatum ut ad se mitteret, qui ad rem tantam & tam grauem maxime esset idoneus. Paulus è tanta præclarissimorum hominum facultate & copia Contarenum sine ulla dubitatione delegit, atque hominem in Germaniam mittit; quod is & magnum iam antea eius gentis propter eas causas, quæ commemoratæ à nobis sunt, haberet vsum, & Cæsari esset gratissimus: idemque innocentiæ, doctrinæ, prudentiæ, facilitatis, animique moderationis, magna apud

Ger-

Germanos opinione excelleret: quique (id quod Cæsar magnopere postulauerat, maximeque ad rem pertinere arbitrabatur) in disputando minime esset ambitiosus, minimeque pertinax: eo cum venisset mirabiliter acceptus à Germania est, & magno in honore apud Cæsarem fuit: Nam cum omnes Germaniæ principes, tum rex Romanorum ipse, officij, honorisque hominis causa, domum ad eum venij; & in sacris cerimonijsque solemnibus, datus ei locus est secundum Cæsarem primus, nihilque earum rerum, quæ ad homines magnos honestandos adhiberi consueuerunt in eo prætermissum est: quæ, tametsi ordini scilicet debebantur & dignitati, tamen cum alacrius aliquanto, tum etiam cumulatius, quam antea solita sint, personæ dicuntur esse persoluta. Accedebat quod Cæsar, iucundissima eius consuetudine & sermonibus delectatus, sæpe hominem ad se extra ordinem vocabat; cumque de grauioribus negotijs, deque republica collocuti inter se essent, multa ad eum Cæsar de suis priuatim rebus referebat; multa de Geometria, multa de Geographia quærebat; quibus ille scientijs, quod eæ ad rem militarem (quæ illi spectanda erat maxime) pertinent, operam multam illis temporibus dabat: illa autem cum in promptu Contarenus haberet,

beret, quod puerili disciplina erat in ijs artibus studiose versatus, omnia scilicet certa, dilucidaque respondebat. Quæ cum de Contareni apud Cæsarem familiaritate ac gratia, apud omnem autem Germaniam auctoritate & fama, Romam essent allata; ventum est in spem fore, ut res conueniret, mitigatisque Contareni lenitate & prudentia Germanorum animis tæterrimæ discordiæ tollerentur: quæ res quoniam maiorem in modum illi gloriæ futura erat, homini vehementer inuideri cœptum est. Nec deerant etiam Romæ, qui dicerent, nulla alia de causa ipsum Germanis gratum acceptumque esse, nisi quia aduersarijs indulxisset; ac decreta, quæ pugnacissime defendere debebat, ijsdem prodidisset. Hæ vero graues acerbæque voces ab ijs, qui æquo animo laudem gloriamque Contareni non ferebant, emanabant: nec tantum illic, ubi plurimum ipsi obesse poterant, improbe mittebantur, verum etiam per omnem Italiam fusæ ac disseminatæ, magnopere illius existimationem ac dignitatem lædebant; quas tamen ille, magno animo præditus, reique ipsius naturæ non ignarus, primo contempsit, ad eum namque maleuoli hi sermones inuidorum in Germaniam usque delati sunt; simulque sperabat exitum earum rerum innocentiam suam,

ita in-

fidemque patefacturum, cui sane ipse toto animo incumbebat. Contigit tamen tunc, quod sæpe in magnis arduisque rebus usu venit, ut negotium illud, Christianæ reip. magnopere utile, atque adeo salutare, in medio cursu fractum ac dissipatum sit: id autem magna ex parte factum est malitia fraudeque illorum, qui Cæsaris potentiam, quæ multum compositis rebus, Germaniaque pacata creuisset, suspectam habebant, suisque rebus periculosam existimabant: hi namque non modo veterum discordiarum fibras, ut oportebat, communis utilitatis causa non euellebant, verum etiam nouarum simultatum semina occulte iaciebant, in aures eorum, quibus commissa res erat, insusurrantes, ac falsos quosdam metus eo inserentes. Vt autem astuta hæc consilia rem remorabantur, & ne ad exitum adduceretur impediebant, ita subito exortum est, quod animos Germanorum ad longe alias curas traduceret, finemque disputationi illi ac colloquio faceret: hoc autem fuit incursus Turcarum regis in Pannoniam cum maximis copiis, communisque hostis metus; nec enim effecit tunc timor ille, quod plerunque consueuit, magnopere exacerbatis animis, ut stimulum periculum tantum admoueret ad odia extinguenda & gratiam reconciliandam;

dam; sed potius spem, quæcunque erat, malorum illorum sedandorum eo tempore intercidit, ac sustulit. Missis igitur sermonibus illis, quod factum est extremo mense Quinctili, ceperunt Germani arma, totosque se ad impetum illum coercendum, finesque suos tuendos contulerunt. Cæsar vero aliam rationem iniit eius periculi callido consilio propulsandi; quod à veteribus etiam ducibus non semel usurpatum fuit, & satis tutum semper utileque cognitum est: statuit enim cum classe, quam maximam ædificauerat, ornaueratque in Africam nauigare: magno namque spatio Solimanus inde remotus, auxilium illis locis ferre nullo modo poterat, & ne maiorem etiam aliquam plagam in Græcia acciperet, non sine causa metuere debebat. Vrgebant præterea Carolum, ut hoc faceret, assiduæ preces Hispanorum, crebraque damna stimulabant, quæ cuncta illa maritima regio cotidie accipiebat, ob frequentem irruptionem piratarum, adeo ut mare pæne omne clausum illic foret. Quare ut tam grauibus malis regnum illud suum liberaret, deleretque maculam, quam sibi videbatur suscipere ob tantam licentiam prædonum, statuit, ut dictum est, apparatui illius belli non deesse, sedemque nefariorum hominum, si posset, omni ratione euertere:

re: quamuis inimici timoris ipsum arguerent, quod ferocissimum hostem declinaret, ac tellurem, quam maxime tueri debebat, tanto impendente periculo, destitueret, in Italiam igitur celeriter venit. Cum vero muneri, quod sustinebat, non sine magna animi sui molestia finem factum esse vidisset Contarenus, nec se posse amplius nauare operam reipublicæ, una cum Cæsare reuersus est. Postea vero quam Tridentum ventum est, Imperatorem, ut se dimitteret, rogauit; velle enim se, quum commode id facere posset, ecclesiam suæ fidei commissam, quæ non longe inde abesset, inuisere, ac, postquam publice non posset, priuatim religioni officioque suo seruire. Venerunt tamen eo tempore Roma à Pontifice Max. litteræ, quæ iuberent ipsum, persona legati retenta, apud Imperatorem esse, Mediolanumque una cum eo proficisci, in quam urbem ille, ut veteris imperii iuris, non multo ante receptam, volebat (ut moris est) cum pompa ingredi, indeque Lucam accedere; quo in loco Pontifex ipse Cæsarque statuerant simul congredi, ac de communibus rebus studiose agere. Accidit hoc in itinere res, quæ vehementer animum optimi viri commoueret: cum enim Brixiam ventum esset, ciuis eius loci, honestus sane vir, ac vetus amicus

Con-

Contareni, qui ad ipsum salutatum venerat, quæsiuit ex eo simpliciter, quæ mens ipsum impulisset, ut capita, quæ ferrentur prolata ab aduersariis, adeo absurda, & à vera ratione aliena, in Germania comprobaret. cui statim respondit ille; eas esse meras nugas, rumoresque prorsus inanes, & quos omnium aures respuere deberent. se namque, ne dum anceps quod esset, & in quo scrupulus aliquis resideret, sine auctoritate Pontificis Max. concessurus aduersarijs fuisset, ea etiam quæ rata in primis sunt & firma aliter recepturum non fuisse. non destitit auctor eius sermonis, sed addidit; rem aliter, atque illi putaret, se habere: neque enim incertam esse, ac nullo auctore prolatam famam illam: se namque litteras vidisse ab eius ordinis homine scriptas, summo viro, quem etiam nominauit, quæ id commemorarent, ac verum esse contenderent. non potuit tunc homo lenissimus sibi temperare, quin stomacharetur exclamaretque. Digna vero merces hæc est meorum laborum: si vera sunt, quæ narras, statimque ut innocentiam suam, existimationemque tueretur, misit epistolam ad Pontificem Max. qua valde questus est de iniuria illa, sermoneque improbissimo, quem Romam profectum, ac per omnem Italiam ab iniquissimis dissipatum, contra dignitatem

suam comperisses: rogauitque simul, ut, si penitus eum non aspernaretur, saltem se indicta causa ne condemnaret: nec quicquam de illa re secum statueret, antequam ipse ad eum peruenisset: sperare enim se facile causam suam probaturum, ostensurumque, laude se ac præmio, non reprehensione aut pœna ulla, ob ea, quæ in Germania gessisset, dignum esse. Cum Mediolanum peruentum esset, quæ ciuitas omni genere lætitiæ, magnificentiaque apparatus Cæsarem excepit, mirifice suo quodam facto Contarenum Carolus decorauit, ac, quid sentiret de virtute, singularique probitate hominis, notum testatumque omnibus esse voluit: lateri enim suo ipsum in omnia ea pompa hærere voluit: cumque hoc ille modestiæ causa recusaret, sequereturque aliquanto post, mandauit humanissimus princeps uni e famulis, ut pæne inuitum ipsum traheret ac prope se collocaret, omneque id tempus, donec eo perueniret, quo paratum illi hospitium erat, consumpsit cum eo iucundissimis sermonibus. id vero quum personæ dignitatique datum non sine causa aliquis arbitrari posset, licet tamen existimare, multum etiam ad hoc valuisse iudicium, quod fecerat de homine; quod putaret, ut qui veræ gloriæ non ignarus esset, eam rem non minus sibi, quam Contareno,

tareno, laudi & honori futuram. Et sane litteris mandatum est, eius nominis primũ Augustum Cæsarem, quum primum Alexandream, quam bello ceperat, ingressus est, in magna copia honestorum ac clarorum virorum, Areum, grauissimum & eruditissimum hominem, sibi adiunxisse, familiariterque cum eo solo in tanta illa lætitia, fortunæque suæ magnitudine locutum esse. quem etiam, ut magis eum ciues sui suspicerent ac fortunatum iudicarent, manu teneret: erat enim philosophus ille Alexandrinus. Sed aliæ quoque res, dum illic mansit, indicio esse potuerunt, quantopere Contarenum diligeret: id quod animaduersum ab alijs opulentis viris, qui in eo comitatu erant, fecit ut omnes ipsum colerent, ac de illo celebrando quasi inter se contenderent. Cæsar, qui, ut supra ostendi, mare transire statuerat, quæ ad cursum illum necessaria erant, studiose parabat: imperaratque ut Genuam classis, propinquosque in portus cogeretur. quare, ut id celerius fieret, statuit sibi in eam urbem accedendum, indeque Lucam eundum, quo Pontifex Max. se venturum significarat. Contarenus igitur breuiore via se Lucam contulit, atque illic, quod maxime cupiebat, post paucos dies Pontificem Max. vidit; qui sane hilari vultu, nulloque signo edito offensionis, ipsum

accepit. nec multo post eodem Imperator venit, qui non cessauit etiam in alijs magnis rebus, quas cum Paulo III. egit, multa prædicare de prudentia, industria, probitate legati; quibus omnibus virtutibus, in munere illo obeundo, usus fuerat in Germania: necnon questus est, quod Romæ multa falso iactata forent contra fidem & dignitatem ipsius, quum ille integre sincereque personam eam sustinuisset; ac negotia cuncta cum fide administrasset. cui statim sapientissimus senex, quique ignarus non erat artium malarum quibus plerique Romæ utuntur, aut inuidia commoti, aut, si alios depresserint, sperantes se in locum illorum inuasuros, respondit, sibi eximie cognitam esse ac probatam Contareni virtutem; seque eam ob causam ipsum tunc in Germaniam misisse; tantũque oneris ei imposuisse, facturumq. etiam breui, ut nemo dubitare possit de beneuolentia sua erga illum, ac, quo denique loco eum haberet, se omnibus declaraturũ. Non contentus autem hoc Pontifex, ut omnem scrupulum ex animo Contareni euelleret, gauderetq; ille secum tam prompto erga se animo fortunatissimi hominis ac tam præclaro testimonio suarum virtutum, notum esse voluit ipsi eum sermonẽ, simulque suasit illi, ut contemneret maleuolas voces improborum, nec putaret eas

quic-

quicquam valere ad existimationem suam violandam: fontem etiam huius mali aperire volens, testimonium citauit veterum poëtarum, qui naturam inuidiæ versibus suis expresserunt, moremque illam habere tradiderunt, ut summa loca feriret non minus, quam venti editissima quæque appetere, ac violentius verberare consueuerunt; omnique demum ratione, qua potuit, ostendit se eum valde carum habere: cumque etiam gratias amanter egisset pro susceptis laboribus, fecit ei potestatem, ut tot itineribus defatigatus Romam reficiendi sui causa breuiore via accederet: ipse namque vicinitate inuitatus, Bononiam profectus est; indeque Ariminum venit. ac Flaminia denique via Romam reuersus est. non dum autem duobus mensibus transactis, memor eius quod dixerat, de augenda dignitate Contareni, legatum ipsum Bononiæ declarauit; quæ publica cura prouinciaq; reliquas omnes superat, quas intra suos fines imperiumque status reip. possidet. Ille igitur hoc nouo onere sibi imposito, ut qui non minus rebus gerendis, quam contemplandis factus erat, Martio mense se in prouinciam contulit; factumque est, ut VI. K. Aprilis in urbem ingrederetur: qui dies apud eos maxime celebris agitur, consecratus genitrici eius, qui salutem nobis

 dedit.

dedit. summa igitur lætitia totius ciuitatis exceptus est: conataque est illa, quam spem conceperat animo de probitate & prudentia ipsius, externis etiam rebus, honoribusque omnibus indicare: certo enim sciebat futurum sibi illum potius esse optimum parentem, quam durum aliquem & auarum dominum, aut etiam fortunarum suarum expilatorem. in quo certe illi falsi non sunt: ut primum enim res illas attigit nullo negotio cognitum est, non minus ipsum in rebus iudicandis clementia uti & æquitate, quam summo illo iure, quod sæpe merito reprehenditur, ac, si quis vere existimet, quod alio nomine appelletur dignum est. Totos dies ille caussis audiendis, controuersijsque tollendis operam dabat, nec unquam molesto sane hoc, & odioso munere, præsertim homini in alijs curis studijsque educato, defatigabatur: hoc autem faciebat, naturamque ille suam, consuetudinemque flectebat, quia veræ gloriæ deditus erat, ac prodesse mortalibus, quacumque re poterat, studebat: quare quodcumque munus obiret, dignum viribus operaque sua, in ipsum tota mente incumbebat. Erant hæ curæ cogitationesque hoc tempore Contareni; procurabatque ille commoda eius nobilissimæ ciuitatis; cum repente, inopinante illo, Roma litteræ venerunt, quæ

quæ ipsum ad aliud munus traducerent, in quo sane ille diutius versatus fuerat; quodque omnes numeros honestatis in se habebat. Cum enim sedari numquam potuissent ulla ullius opera iræ inter Franciscum Gallorum regem, & Carolum V. Imperatorem, sed cotidie magis nouis iniurijs inferendis inflammarentur eorum animi, gerereturque aut pararetur ab ipsis semper bellum taterrimum, quod in singulos dies reip. Christianæ grauissima vulnera imponeret, & ad internicionem denique redigeret maxime pias nationes, officij sui esse ratus est Paulus Pont. Max. tanto malo, si ulla ratione posset, mederi; tantumque & tam sæuum incendium extinguere. quare mittendos sibi esse censuit seorsum ad ambos potentissimos reges, legatos, prudentissimos viros & tanto oneri sustinendo pares: praclare enim sciebat, quanta vis esset in ministris ad unamquamque rem efficiendam; hancque curam omnium maximam, requirere personas in primis sapientia & auctoritate præditas atque ornatas, & non minus gratas acceptasque principibus ijs, quorum animos delinire ac flectere deberent. Elegit igitur, quem ad Cæsarem, in Hispanijs tunc degentem, mitteret, Gasparem Contarenum: & ad Gallorum regem ire voluit Iacobum Sadoletum; ambos viros

probos, atque omni ingenij laude florentes; &, ut collegas in amplissimo sacerdotio, ita multis honestis artibus inter se coniunctos, ac maxime bonis omnibus probatos: quæ res gesta est sextili mense. Erat eo tempore Sadoletus Romæ, quare significauit per litteras Pontifex Contareno, quid de illo statuisset, mandauitque, ut, quæ ad iter necessaria erant, expediret: socium namque ipsius in honestissimo illo munere intra paucos dies in viam se daturum. Hoc accepto nuntio ille, qui nullum umquam utilitatis aliorum causa laborem recusarat, quamuis ætate iam confectus esset, & satis imbecilla valetudine, æquo tamen animo tulit sibi onus illud imponi. quod si animam etiam in ea legatione se profusurum esse certo scisset: tanta erat pietate præditus, & ita dicto audiens esse summo Pontifici cupiebat, ut ipsam prorsus repudiaturus non fuerit. Appropinquabat sane illi mors, quę tamen longe alia ratione, & ubi minime expectabatur, ipsum oppressit: nec enim (ut à me nunc diligenter narrabitur) aut laboribus, aut defatigationibus nouis accelerata est.

Agebat Contarenus ætatis suæ annum LIX. in his curis, quas ostendi, toto animo occupatus; partem tamen illarum iam in id munus, quod instabat, deriuans. In-

cum-

cumbens igitur illis, quæ multæ profectò ac graues erant, moleſto anni tempore, ut par eſſet ipſis ſuſtinendis, aliquando reficiendi ſui cauſa ſe in propinquum urbi locum conferebat, ubi manens & æſtum declinaret, quo conficiebatur domi, & aliquantulum a perpetuis ſuis laboribus animum relaxaret; nam ſi quid maioris momenti ſubito euenifſet, facile illuc adibatur, vbi etiam poteſtatem ſui omnibus faciebat. Locus autem valde animo ipſius, temporique illi accommodatus, ac quo plurimum varijs de cauſis delectabatur, erat ſacellum Diuæ Mariæ à Monte vocatæ, cuius poſſeſſio procuratioque eſt ſodalium Diuæ Iuſtinæ. Acciderat autem, ut illis ipſis diebus, qui primi Sextilis menſis fuere, fratris filius, illius ſalutandi & viſendi cauſa, Bononiam veniret, qui ſuperiore anno Patauij inter ſodales illos receptus fuerat; vocabatur vero nouo nomine, ut conſuetudo eſt eorum, qui ſe ſacris aliquibus initiant, Placidus: cum autem probus adoleſcens eſſet, ſeminaq; non nullarum virtutum in ſe contineret, à Contareno diligebatur. ille igitur primo apud ſuos in urbe manſit in Diui Proculi dicato ipſis domicilio: ut tamen eo facilius frui poſſet Contarenus, ipſeque itidem ſitim ſuam expleret videndi virum, quem maxime optabat, ſecum ſanguine coniun-

ctum, cuius etiam visendi alienigenæ desiderio flagrabant, impetrauit à suis, ut se illic esse paterentur: quæ causa reliquis causis addita est frequentandi recessum eum, diutiusque illic commorandi. Hic collis ab urbe abest spatio mille passuum, amœnissimus, & natura & arte factus ad animum multis modis pascendum, atque omni honesta voluptate explendum: & sane, qui desideria optimi huius viri, gaudiaque cognita haberet, quod non magno negotio omnibus contingere potuit, qui familiariter cum eo vixissent; facile iudicaret paucos illos dies, quos illic traduxit, iucundissimos ei fuisse omnium, quos in vita unquam degustasset: viuebat enim cum sui amantissimo fratris filio, cumque alijs non nullis comitibus illius, eorumdemque sacrorum socijs, honestis sane viris & eruditis; rem diuinam crebro faciebat, omnisque sermo illic erat de rebus, quibus maxime capiebatur. Cum igitur, ut traditum à me est, calores essent maximi, crebro in porticulam quandam declinandorum illorum causa veniebant, & ut illic frequentius deambulabant, ita etiam aliquando posita mensa cibum capiebant: vergit enim illa ad septemtriones, urbemque ipsam quasi ante pedes positam prospicit, planitiemque omnem, quę ipsam cingit: quin etiam remotiores ur-

bes illinc commode cernuntur Mutina, Ferraria, aliaque nobilia oppida; quare non sine causa expetitur prospectus ille, paritque oculis incredibilem voluptatem; quamuis tunc, capto iucunditate illius Contareno, nihil tale timenti, exitium comparauerit: aura enim illa lenis, quæ flabat, frigidiusculusque aer, cum temperamentum corporis ipsius rarius esset, paruoque momento sæpe commoueretur facile ad imas partes penetrauit, sanguineq; inflammato abscessum in latere creauit, e genere eorum, quæ ἀποστήματα Græci vocant; quare statim febris consecuta est, quæ septimo die ipsum consumpsit; quamuis magna diligentia summorum medicorum curatus sit; simul ac enim primum cognouit se ægrotare, Bononiam reuersus est. Ipse autem in primis naturam vimque eius morbi mature perspexit, tribus namque diebus, antequam animam efflaret, omnem rem Ludouico Beccatello uni è familiaribus suis, quo plurimum in rebus maioris ponderis utebatur, enarrauit. Dixit igitur grauitatem eius morbi non appatere, reconditasque corporis partes magis ipsum oppressisse, quam exteriores male habere, in promptuque esse addiditque genus id morbi periculum magnum in se continere, quod si vires corporis eæ forent, ut spatio trium quattuorve

suam comperisses: rogauitque simul, ut, si penitus eum non aspernaretur, saltem se indicta causa ne condemnaret: nec quicquam de illa re secum statueret, antequam ipse ad eum peruenisset: sperare enim se facile causam suam probaturum, ostensurumque, laude se ac praemio, non reprehensione aut poena ulla, ob ea, quae in Germania gessisset, dignum esse. Cum Mediolanum peruentum esset, quae ciuitas omni genere laetitiae, magnificentiaque apparatus Caesarem excepit, mirifice suo quodam facto Contarenum Carolus decorauit, ac, quid sentiret de virtute, singularique probitate hominis, notum testatumque omnibus esse voluit: lateri enim suo ipsum in omnia ea pompa haerere voluit: cumque hoc ille modestiae causa recusaret, sequereturque aliquanto post, mandauit humanissimus princeps uni e famulis, ut paene inuitum ipsum traheret ac prope se collocaret, omneque id tempus, donec eo perueniret, quo paratum illi hospitium erat, consumpsit cum eo iucundissimis sermonibus. id vero quum personae dignitatique datum non sine causa aliquis arbitrari posset, licet tamen existimare, multum etiam ad hoc valuisse iudicium, quod fecerat de homine; quod putaret, ut qui verae gloriae non ignarus esset, eam rem non minus sibi, quam Contareno,

tareno, laudi & honori futuram. Et sane litteris mandatum est, eius nominis primũ Augustum Cæsarem, quum primum Alexandream, quam bello ceperat, ingressus est, in magna copia honestorum ac clarorum virorum, Areum, grauissimum & eruditissimum hominem, sibi adiunxisse, familiariterque cum eo solo in tanta illa lætitia, fortunæque suæ magnitudine locutum esse. quem etiam, ut magis eum ciues sui suspicerent ac fortunatum iudicarent, manu teneret: erat enim philosophus ille Alexandrinus. Sed aliæ quoque res, dum illic mansit, indicio esse potuerunt, quantopere Contarenum diligeret: id quod animaduersum ab alijs opulentis viris, qui in eo comitatu erant, fecit ut omnes ipsum colerent, ac de illo celebrando quasi inter se contenderent. Cæsar, qui, ut supra ostendi, mare transire statuerat, quæ ad cursum illum necessaria erant, studiose parabat: imperaratque ut Genuam classis, propinquosque in portus cogeretur. quare, ut id celerius fieret, statuit sibi in eam urbem accedendum, indeque Lucam eundum, quo Pontifex Max. se venturum significarat. Contarenus igitur breuiore via se Lucam contulit, atque illic, quod maxime cupiebat, post paucos dies Pontificem Max. vidit; qui sane hilari vultu, nulloque signo edito offensionis, ipsum

accepit. nec multo post eodem Imperator venit, qui non cessauit etiam in alijs magnis rebus, quas cum Paulo III. egit, multa prædicare de prudentia, industria, probitate legati; quibus omnibus virtutibus, in munere illo obeundo, usus fuerat in Germania: necnon questus est, quod Romæ multa falso iactata forent contra fidem & dignitatem ipsius, quum ille integre sincereque personam eam sustinuisset; ac negotia cuncta cum fide administrasset. cui statim sapientissimus senex, quique ignarus non erat artium malarum quibus plerique Romæ utuntur, aut inuidia commoti, aut, si alios depresserint, sperantes se in locum illorum inuasuros, respondit, sibi eximie cognitam esse ac probatam Contareni virtutem; seque eam ob causam ipsum tunc in Germaniam misisse; tantũque oneris ei imposuisse, facturumq. etiam breui, ut nemo dubitare possit de beneuolentia sua erga illum, ac, quo denique loco eum haberet, se omnibus declaraturũ. Non contentus autem hoc Pontifex, ut omnem scrupulum ex animo Contareni euelleret, gauderetq; ille secum tam prompto erga se animo fortunatissimi hominis ac tam præclaro testimonio suarum virtutum, notum esse voluit ipsi eum sermonẽ, simulque suasit illi, ut contemneret maleuolas voces improborum, nec putaret eas

quic-

quicquam valere ad existimationem suam violandam: fontem etiam huius mali aperire volens, testimonium citauit veterum poëtarum, qui naturam inuidiæ versibus suis expresserunt, moremque illam habere tradiderunt, ut summa loca feriret non minus, quam venti editissima quæque appetere, ac violentius verberare consueerunt; omnique demum ratione, qua potuit, ostendit se eum valde carum habere: cumque etiam gratias amanter egisset pro susceptis laboribus, fecit ei potestatem, ut tot itineribus defatigatus Romam reficiendi sui causa breuiore via accederet: ipse namque vicinitate inuitatus, Bononiam profectus est; indeque Ariminum venit. ac Flaminia denique via Romam reuersus est. non dum autem duobus mensibus transactis, memor eius quod dixerat, de augenda dignitate Contareni, legatum ipsum Bononiæ declarauit; quæ publica cura prouinciaq; reliquas omnes superat, quas intra suos fines imperiumque status reip. possidet. Ille igitur hoc nouo onere sibi imposito, ut qui non minus rebus gerendis, quam contemplandis factus erat, Martio mense se in prouinciam contulit; factumque est, ut VI. K. Aprilis in urbem ingrederetur: qui dies apud eos maxime celebris agitur, consecratus genitrici eius, qui salutem nobis

dedit. summa igitur lætitia totius ciuitatis exceptus est: conataque est illa, quam spem conceperat animo de probitate & prudentia ipsius, externis etiam rebus, honoribusque omnibus indicare: certo enim sciebat futurum sibi illum potius esse optimum parentem, quam durum aliquem & auarum dominum, aut etiam fortunarum suarum expilatorem. in quo certe illi falsi non sunt: ut primum enim res illas attigit nullo negotio cognitum est, non minus ipsum in rebus iudicandis clementia uti & æquitate, quam summo illo iure, quod sæpe merito reprehenditur, ac, si quis vere existimet, quod alio nomine appelletur dignum est. Totos dies ille caussis audiendis, controuersijsque tollendis operam dabat, nec unquam molesto sane hoc, & odioso munere, præsertim homini in alijs curis studijsque educato, defatigabatur: hoc autem faciebat, naturamque ille suam, consuetudinemque flectebat, quia veræ gloriæ deditus erat, ac prodesse mortalibus, quacumque re poterat, studebat: quare quodcumque munus obiret, dignum viribus operaque sua, in ipsum tota mente incumbebat. Erant hæ curæ cogitationesque hoc tempore Contareni; procurabatque ille commoda eius nobilissimæ ciuitatis; cum repente, inopinante illo, Roma litteræ venerunt,

quæ

quæ ipſum ad aliud munus traducerent, in quo ſane ille diutius verſatus fuerat; quodque omnes numeros honeſtatis in ſe habebat. Cum enim ſedari numquam potuiſsent ulla ullius opera iræ inter Franciſcum Gallorum regem, & Carolum V. Imperatorem, ſed cotidie magis nouis iniurijs inferendis inflammarentur eorum animi, gerereturque aut pararetur ab ipſis ſemper bellum taterrimum, quod in ſingulos dies reip. Chriſtianæ grauiſſima vulnera imponeret, & ad internicionem denique redigeret maxime pias nationes, officij ſui eſse ratus eſt Paulus Pont. Max. tanto malo, ſi ulla ratione poſset, mederi; tantumque & tam ſæuum incendium extinguere. quare mittendos ſibi eſse cenſuit ſeorſum ad ambos potentiſſimos reges, legatos, prudentiſſimos viros & tanto oneri ſuſtinendo pares: præclare enim ſciebat, quanta vis eſset in miniſtris ad unamquamque rem efficiendam; hancque curam omnium maximam, requirere perſonas in primis ſapientia & auctoritate, præditas atque ornatas, & non minus gratas acceptaſque principibus ijs, quorum animos delinire ac flectere deberent. Elegit igitur, quem ad Cæſarem, in Hiſpanijs tunc degentem, mitteret, Gaſparem Contarenum: & ad Gallorum regem ire voluit Iacobum Sadoletum; ambos viros

probos, atque omni ingenij laude florentes; &, ut collegas in amplissimo sacerdotio, ita multis honestis artibus inter se coniunctos, ac maxime bonis omnibus probatos: quæ res gesta est sextili mense. Erat eo tempore Sadoletus Romæ, quare significauit per litteras Pontifex Contareno, quid de illo statuisset, mandauitque, ut, quæ ad iter necessaria erant, expediret: socium namque ipsius in honestissimo illo munere intra paucos dies in viam se daturum. Hoc accepto nuntio ille, qui nullum umquam utilitatis aliorum causa laborem recusarat, quamuis ætate iam confectus esset, & satis imbecilla valetudine, æquo tamen animo tulit sibi onus illud imponi. quod si animam etiam in ea legatione se profusurum esse certo scisset: tanta erat pietate præditus, & ita dicto audiens esse summo Pontifici cupiebat, ut ipsam prorsus repudiaturus non fuerit. Appropinquabat sane illi mors, quę tamen longe alia ratione, & ubi minime expectabatur, ipsum oppressit: nec enim (ut à me nunc diligenter narrabitur) aut laboribus, aut defatigationibus nouis accelerata est.

Agebat Contarenus ætatis suæ annum LIX. in his curis, quas ostendi, toto animo occupatus; partem tamen illarum iam in id munus, quod instabat, deriuans. Incum-

cumbens igitur illis, quæ multæ profectò ac graues erant, molesto anni tempore, ut par esset ipsis sustinendis, aliquando reficiendi sui causa se in propinquum urbi locum conferebat, ubi manens & æstum declinaret, quo conficiebatur domi, & aliquantulum a perpetuis suis laboribus animum relaxaret; nam si quid maioris momenti subito euenisset, facile illuc adibatur, vbi etiam potestatem sui omnibus faciebat. Locus autem valde animo ipsius, temporique illi accommodatus, ac quo plurimum varijs de causis delectabatur, erat sacellum Diuæ Mariæ à Monte vocatæ, cuius possessio procuratioque est sodalium Diuæ Iustinæ. Acciderat autem, ut illis ipsis diebus, qui primi Sextilis mensis fuere, fratris filius, illius salutandi & visendi causa, Bononiam veniret, qui superiore anno Patauij inter sodales illos receptus fuerat; vocabatur vero nouo nomine, ut consuetudo est eorum, qui se sacris aliquibus initiant, Placidus: cum autem probus adolescens esset, seminaq; non nullarum virtutum in se contineret, à Contareno diligebatur. ille igitur primo apud suos in urbe mansit in Diui Proculi dicato ipsis domicilio: ut tamen eo facilius frui posset Contarenus, ipseque itidem sitim suam expleret videndi virum, quem maxime optabat, secum sanguine coniun-

ctum, cuius etiam visendi alienigenæ desiderio flagrabant, impetrauit à suis, ut se illic esse paterentur: quæ causa reliquis causis addita est frequentandi recessum eum, diutiusque illic commorandi. Hic collis ab urbe abest spatio mille passuum, amœnissimus, & natura & arte factus ad animum multis modis pascendum, atque omni honesta voluptate explendum: & sane, qui desideria optimi huius viri, gaudiaque cognita haberet, quod non magno negotio omnibus contingere potuit, qui familiariter cum eo vixissent; facile iudicaret paucos illos dies, quos illic traduxit, iucundissimos ei fuisse omnium, quos in vita unquam degustasset: viuebat enim cum sui amantissimo fratris filio, cumque alijs non nullis comitibus illius, eorumdemque sacrorum socijs, honestis sane viris & eruditis; rem diuinam crebro faciebat, omnisque sermo illic erat de rebus, quibus maxime capiebatur. Cum igitur, ut traditum à me est, calores essent maximi, crebro in porticulam quandam declinandorum illorum causa veniebant, & ut illic frequentius deambulabant, ita etiam aliquando posita mensa cibum capiebant: vergit enim illa ad septemtriones, urbemque ipsam quasi ante pedes positam prospicit, planitiemque omnem, quę ipsam cingit: quin etiam remotiores ur-

bes

bes illinc commode cernuntur Mutina, Ferraria, aliaque nobilia oppida; quare non sine causa expetitur prospectus ille, paritque oculis incredibilem voluptatem; quamuis tunc, capto iucunditate illius Contareno, nihil tale timenti, exitium comparauerit: aura enim illa lenis, quæ flabat, frigidiusculusque aer, cum temperamentum corporis ipsius rarius esset, paruoque momento sæpe commoueretur facile ad imas partes penetrauit, sanguineq; inflammato abscessum in latere creauit, e genere eorum, quæ ἀποστήματα Græci vocant; quare statim febris consecuta est, quæ septimo die ipsum consumpsit; quamuis magna diligentia summorum medicorum curatus sit; simul ac enim primum cognouit se ægrotare, Bononiam reuersus est. Ipse autem in primis naturam vimque eius morbi mature perspexit, tribus namque diebus, antequam animam efflaret, omnem rem Ludouico Beccatello uni è familiaribus suis, quo plurimum in rebus maioris ponderis utebatur, enarrauit. Dixit igitur grauitatem eius morbi non apparere, reconditasque corporis partes magis ipsum oppressisse, quam exteriores male habere, in promptuque esse addiditque genus id morbi periculum magnum in se continere, quod si vires corporis eæ forent, ut spatio trium quattuorve

dierum resisterent, sine dubio morbum ipsum impetum suum remissurum; se tamen magnopere vereri, ne contra ipse deficiat, naturaque penitus frangatur; intelligere enim se venæ motum valde imbecillum esse. Cui ille, qui saluti ipsius omni studio prospiciebat, respondit, rogans ut abduceret paulisper animum ab his molestis cogitationibus, rationemque omnem sui curandi in prudentia diligentiaque medicorum positam esse vellet; affirmans præterea Deum optimum maximum, quem semper ille pie coluisset, ipsi præsidio futurum: esse autem accurate incumbendum valetudini recuperandæ, ut cito mandatum sibi munus obiret, iterque ad Imperatorem faceret. Ille vero statim hilari vultu, ad alium longe maiorem Imperatorem sibi iter instare, dixit, idque ipsos breui cognituros: neque tamen se hoc dicere, quia mortem valde perhorrescat, parumque animo æquo ferat se è vita discedere: intelligere enim se præclare quot quantaque beneficia à Deo acceperit, quorum etiam plæraque commemorauit, non gloriæ causa ostentationisque, cui tunc locus minime erat, verum ut se gratum esse erga auctorem illorum significaret. Inquit igitur se ortum esse ea in ciuitate, quæ nulli earum cederet, quæ in uniuerso terrarum orbe existunt; e familiaque, quæ
haud

haud poſtremum locum in ea rep. teneret; conſecutumque itidem illic eſſe honores non paruos: &, ut domi, ita etiam foris gradus maximos dignitatis adeptum eſſe: utramque vitam ſe cum laude aliqua coluiſſe: & eam, quæ in contemplatione rerum verſatur, & eam, quæ rebus agendis incumbit: perueniſſe ad ætatis annum LIX. quem terminum vitæ non multi attingere potuerunt: quare ſecum quoque hac parte non male actum eſſe, canereque ſe debere una cum ſacro Hebræorum vate carmen, quod ad æquum gratumque animum significandum pertinet, nomenque illius laude gloriaque cumulandum, quia non tam liberaliter ſe geſſerit erga multos, neque tot bonis expleuerit omnem populum gentemque. Vnum tantum ſibi moleſtum eſſe; quod, ut optabat, commodis quorundam tenuiorum hominum non proſpexerit, qui ſibi, poſtquam ad ſacrum illum honoris gradum aſcenderit, fideliter miniſtrarint; ſperare tamen ſe Deum Optimum Max. Pontificemque, cuius dignitati toto animo inſeruierit, fortunas eorum ſubleuaturos. Nec oblitus eſt ſuo opportunoque tempore mandare cuſtodi ipſius, ut priuilegium, quod beneficij loco à Pontifice impetrarat, ad delicta penitus abſtergenda traditum, ſibi legeret, dum mente orationeque conſiſteret. Cum

hæc

hæc animo versaret, sane constanti ac forti, atque hoc sermone semet consolaretur, suos, qui præsentes aderant (ij autem erãt, ut quisque maxime illi acceptus probatusque fuerat) angebat, atque ita perturbabat, ut lacrimas vix tenere possent, à quibus tamen sibi diligenter temperabant, quamuis intelligerent ne magna quidem copia ipsarum spectante illo effusarum, posse ipsum commoueri, & è statu illo animi deijci. Eadem vero hominis prouidentia in intelligendo, prædicendoque suis vitæ suæ fine, exitu ipso comprobata est, quæ in cęteris rebus iudicandis significandisque sæpe apparuerat: crescente enim semper vi morbi, remedijsque omnibus superatis, oppressus ille est, animamque efflauit. K. Sept. meridie. Quamuis autem horas circiter sex antea voce orbatus esset, non tamen sensu animi, intelligentiaque extremo illo tempore caruit, ut certis quibusdam notis indicijsq; perspectum est; confiditque clementia conseruatoris nostri, ut Christianum virum decet; & cum aliter non posset, se spem omnem suam in eo collocatam habere nutu, admonitus diligenter de hoc, significauit. Vt vero se constantem in hoc, maximeque pium præbuit, ita, quæ moris est consuetudinisque, non solum magno, verum etiam alacri animo geri,

custo-

custodirique passus est; quæ sane, ut nuntia mortis, perterrefaciunt plerosque; ac valde omnes, qui non firmas radices egerunt in persuasionem Christianam, perturbant. Reliquit vero ille discessu suo suos omnes mœroris ac luctus plenissimos, ut uniuersam quoque ciuitatem dolore magno adfectam, quæ sane, quacumque ratione potuit, funus illius honestauit, & quam molesta ipsi optimi custodis mors fuisset, planum fecit: die autem, quæ secuta est mortem ipsius, funus ductum est. Orationem de laudibus eiusdem, & honeste acta cuncta vita, habuit Romulus Amazeus, disertus & nobilis orator, qui tunc in ea urbe, domicilio quodam vetere omnium disciplinarum, & humaniores litteras docebat, & negotia publica reip. administrabat. corpus in Diui Proculi depositum est, eo consilio, ut Venetias postea comportaretur, in sepulchroque maiorum ipsius, clarissimorum virorum, collocaretur. Paulus III. nuntio allato de obitu Contareni, ægre admodum illum tulit, declarauitque quanti hominem fecisset, omni genere liberalitatis vsus erga domum illius. nec tantum Pontifex Maximus, qui sæpe opera ipsius fideli & vtili vsus fuerat, verum etiam Romę cęteri probi viri morte ipsius vehementer conflictati sunt. nam, quantum luctum eadem in pa-

patria excitarit, non facile dici poteſt. omnes denique, qui aliquando doctrinam illius guſtarant, ſingulariſque probitatis hominis ſpecimen aliquod acceperant, publicam illam cladem exiſtimarunt. Ciuis autem collegaque ipſius in ampliſſimo ſacerdotio Petrus Bembus quantum dolorem cepiſſet ex graui morbo Contareni, deſperataque iam a medicis ſalute, notum omnibus eſſe voluit: in epiſtola enim ad Flaminium Tomarotium, quomodo adfectus animo eſſet audito caſu illo, & propinqua morte optimi & honeſtiſsimi viri, diligenter narrauit. Verbis ipſis, quum illuſtri loco poſita ſint, alioque ſermone edita, ſuperſedebo. Poſſem etiam aliorum multorum, doctorum & excellentium virorum, teſtimonia citare, qui quantum damnum morte illius factum eſſet, ſcriptis ſuis teſtati ſunt, in quibus etiam nonnulli, qui ab eo vehementer diſſentiebant de ratione viuendi, veroque cultu Chriſtiani hominis, & acerrimi aduerſarij opinionum, quas ille in Germania defendit, exiſterunt, magnifice tamen de eruditione continentiaque illius in illis ipſis libris, quibus ſententias ipſius oppugnabant, locuti ſunt. quod fere uſu venire non ſolet, ut à quibus de veritate homines diſſentiant, non eoſdem etiam conentur deformare, atque ita auctoritate omni ipſos

ſpo-

ſpoliare. Et quoniam de dolore, quem illo tempore cepit Paulus III. mentionem feci, libet etiam commemorare, quod ab eodem illo familiari Contareni, & omnibus officijs cum eo coniuncto, Ludouico Beccatello, honeſto in primis & fide digno viro, accepi, ad id confirmandum vehementer accommodatum: declarat enim manſiſſe diu in animo Pontificis ægritudinem hanc, ac leui quoque momento refricari ſolitam tantam plagam, niſi forte aliquis putet ſapientiſſimum illum ſenem cotidie magis, in magna penuria talium virorum, cognouiſſe quantum incommodum olim acceptum fuerit obitu eius viri, qui ut quietorum temporum ornamentum ingens, ita perturbatorum præſidium firmum erat: quum enim ad ſe illum euocaſſet, opera ipſius quibuſdam in rebus uſurus, diligenter ex eo quæſiuit, an præſens forte ille adfuiſſet, quum fato Contarenus functus eſt, rogauitque ut diceret aliquid de inſtitutis & vita illius: cui ſtatim, mihi affirmauit ille, ſe reſpondiſſe id, quod erat, mirificam fuiſſe Contareni integritatem fidemque in ijs omnibus rebus gerendis, quæ mandatę illi ab ipſo forent, intelligeretve ipſe ſua ſponte, facere ad dignitatem Romanæ Reipub. conſeruandam, virumque illum vera probitate, præditum fuiſſe, non ficta ac ſimulata,

quam

quam personam plærique, ut eo perueniant, quo cupiunt, sibi callide imponũt: unumque omnium Contarenum veteres ac maxime ratas opiniones & animo probasse, & verbis etiam semper defendisse. quo sermone accepto commotum Pontificem Maximum, qui deambulabat, stetisse, manuque iterum percussisse mensam prope positam, dixisseque non sine gemitu quodam ac suspirio, quod indicauit, euulsam fuisse penitus omnem ex animo ipsius suspicionem, quæ quondam eo inculcata de illo vocibus maleuolorum fuerat. Amisimus profecto magnum virum, ac valde utilem Reip. nostræ ciuem; sed, ut alia, ita hoc magno constantique animo ferendum. Quoniam autem non semel dictum est in hac vita de magna labe animi quorundam, quum ab ipso illo vitio magnopere Contarenus abhorreret, qui alienam personam induentes (unde Græco vocabulo, sumpto ab actoribus fabularum, vulgo ὑποκριταὶ appellantur) & eam quidem semper meliorem, vel optimam potius omnium, longe alij videri volunt, quam vere sint; atque ita magnis in rebus imponunt simplicibus hominibus, nihil inde mali suspicantibus, unde plurimum ipsos expectare oportebat; non alienum esse duxi de hoc etiam disserere: & si enim numquam defuerunt, qui fallacias & do-

los

los horum nefariorum hominum aperirent, ac maxime illos esse cauendos in vita admonerent, numquam tamen ita probi viri eruditi & instructi fuerunt, ut satis possent artes eorum intelligere, atque insidias etiam vitare. In primis autem in pietatem nostram Christianam, quæ tota in simplicitate animi fundata est, radices egit, atque incommoda sæpe magna apud nos peperit hæc fraus. Quo maiore odio digni sunt hi pessimi mortales, qui in re, quæ quo magis pura integraque est, eo magis probatur, astutis consilijs utuntur, ac dolos malos exercent. Hoc etiam aliquo modo significasse videtur doctissimus vir Plato, qui, hoc genus humanum notans, inquit, postremam iniustitiam esse, videri velle optimum virum, quum minime sis. Idemque ab Æschilo, non solum graui poëta, sed etiam docto in disciplina Pythagorea prolatum est, quum ferret in cœlum magnis laudibus Amphiaraum, summum illum augurem, eundemq; sanctissimum virum: inquit enim ipsum non studuisse quod multi faciunt, ut videretur optimus, verum ut esset, nam quod nos, malis multis doctos, reddunt etiam aliquando dubios & incertos, faciuntque, ut probos honestosque viros ab improbis & impuris distinguere nequeamus; non dici etiam potest quantopere hoc pacto ob-

sint,

fint, cum apud Euripidem etiam ſapiens antea ſemper habitus Theſeus, eo nomine ſuſpectam habuerit eximiam probitatem, caſtitatemque filij: inſimulatus enim falſo Hippolytus, quod cubile ipſius violaſſet, quum ſe ille apud eum purgaret, quod vita ſua ab eo ſcelere valde remota eſſet, fidem ea de cauſa non fecit: timuit enim pater ne tenuis victus, cultuſque, quo filius delectabatur, abſtinentiaque a veſcendis animantibus, ſimulata foret; ſimulque ne diſciplina Orphei, quam ille profitebatur, familiaritaſque demum Dianæ, in qua ſe valde iactabat, ficta eſſet; quare in alteram partem miſerabiliter peccauit.

Sed eo redeamus unde digreſſi ſumus. Idem etiam intimus conſiliis Contareni, nec minus ſtudioſus famæ exiſtimationiſque huius optimi, ac prudentiſſimi viri, quem ſibi in vita tamquam vivum quoddam exemplar probitatis propoſuerat, notam, quam improbe vitæ ipſius inurere præpoſterus quidam amicus ſtuduit, hoc pacto deleuit. Narrat enim forte eueniſſe, ut illo ipſo tempore, quo grauiter Contarenus ægrotabat, Bernardinus Ochinus, illæ nouæ condendæ Franciſcanæ familiæ dux & auctor, Bononiam venerit, Romam ad cauſam dicendam euocatus, inſimulabatur enim in ijs concionibus, quas Venetiis habuerat, nonnulla dixiſſe, quæ vete-

teribus decretis Romanæ Reip. aduersabantur, additque habuisse illum litteras ad se scriptas à Giberto Episcopo Veronensi, quibus à se petebat, ut diligenter ageret cum legato, ut hortaretur hominem ad sistendum se in iudicio, coramque ad ea, quæ ipsi obijciebantur, defendenda: quum cognouisset ipsum timide ad id descendere, egereque stimulo quopiam & auctoritate magni alicuius & grauis viri: neque enim adhuc Gibertus hominis leuitatem inconstantiamque perspexerat: is autem vesperi venerat, quum iam cenassent omnes, legatus tamen adhuc in lectulo vigilaret: qui, quum speraret morbum postridie leuiorem fore, ut commodius eum audire posset, loquique cum suo familiariter, iussit ut præberentur illi, quæ ad curandum corpus pertinerent, contigisse vero contra, ut ea nocte morbus ingrauesceret: quare mane legatum legatum totum distentum fuisse in remedijs, quæ medici adhibenda iusserant, sumendis, nouisque curationibus, unde factum fuerit, ut neque de hospite illo, neque de alia ulla re agi cum eo potuerit. Bernardinus interim, cui in primis mala sua mens, malusque animus cognitus erat, atque umbras etiam, ut, qui sibi alicuius sceleris conscij sunt, faciunt, reformidabat, cœpit vereri ne astute illic detinere-

tu:

tur, putabat enim fingere morbum legatum; quo metu homo oppressus (nam hoc verum esse non multo post è consilio, quod cepit perspectum est) non cessabat Ludouicum urgere, ut rogaret legatum potestatem sibi faceret abeundi; in quo ille ipsi non obtemperabat, putans breui fore ut melius esset legato: videbatur enim sibi prospexisse cupere illum magnopere cum Bernardino loqui; qui sane usque ad id tempus magnum sibi nomen ex facultate illa dicendi, & opinione sanctitatis conciliarat. Cum autem, magis magisq; semper timore crescente, instaret, Ludouicus importuno sane tempore coactus est, cum æstu febris in lectulo legatus iactaretur, eo irrumpere, rogareque ut pateretur ipsum abire, in quo sane humanissimus vir ei morem gessit: quumque ad eum Bernardinus introductus esset, hæc ipsa verba protulit. Vides quo in statu sim. excusatio hæc apud te iusta sit, & ora, ut Deus opt. max. mihi propicius sit, feliciterque institutum iter perage; cui ille tantum, demisso (ut moris est) capite respondit se prorsus ita facturum; ilicoque abijt. Hic est sermo, quem Bononiæ habuit cum sanctissimo, & modestissimo viro Bernardinus; nec verbum præterea additum est, qui tamen postea, quum susceptam vitæ rationem deseruisset, acerrimum

mumque se hostem Pontificiæ potestatis præbuisset, ut se sapienter id fecisse ostenderet, à perditaque causa & flagitijs multis contaminata, merito defecisse: habereque se multos socios eius consilij probare vellet, non veritus est criminari amicum, memoriæque ac litteris prodere: questum secum esse eo tempore Contarenum de moribus institutisque Romanorum antistitum, & insectatione sæua atque iniusta bonorum, huiuscemodique alia multa scribere prorsus inania, & quæ non solum à veritate abhorrerent, sed etiam vitæ eius, cui adficta erant, nullo modo conuenirent: quæ cuncta Ludouicus (ut est vir optimus & omnis officij, quod in amicitia coli debeat, obseruantissimus) asseuerabat, refellendi eius mendacij causa, & purgandæ innocentiæ viri illius mortui, quem viuum magnopere dilexerat, nec tantum hoc se ita habere, testimonio suo confirmabat, sed alios etiam testes huius rei producebat, qui præsentes illic adfuerant, in quibus etiam nominabat Iulium Contarenum, fratris legati filium, qui post eius mortem & ob naturæ probitatem, & ob commendationem patrui, creatus est Pont. Ciuitatis, cui præfecturæ regendæ præpositus antea fuerat. Cum hoc tanti momenti sit ad integritatem Contareni ostendendam, abstergendamque

que maculam illi falso aspersam, volui totam rem, ut factam eam accepi, ac pæne iisdem verbis, quibus mihi exposita est, commemorare. Rebus autem gestis ab eo dum vixit enarratis, nunc quæ monimenta ingenij reliquerit, fructusque otij ipsius indicabo: prius tamen, quod adhuc valet aliquid ad confirmandam doctrinam hominis, testimonium de ea re grauissimi & eruditissimi viri citabo: quod additum superioribus testimonijs, quæ prodidi de eximio ingenio ipsius, præstantique cognitione omnium disciplinarum, vera esse declarabit: simulque non sinet quempiam dubitare, quomodo ille, in vita plerumque occupata, tot tamque preclara opera efficere potuerit, quæ multum etiam posteris prosint, perpetuoque testentur, qualis ille, quantusque vir fuerit. Ludouicus igitur, cui cognomen ferrei oris fuerit, nobilis philosophus, & qui multos annos in Bononiensi gymnasio summa cum laude & admiratione omniũ, qui aliquando ipsum disputantem audierunt, matrem eam omnium optimarum artium coluit, mortuo Contareno, quum sermo ipsi esset institutus cum honestis quibusdam viris de damno, quod eo tempore factum esset interitu illius, plurimisque animi dotibus, ac maximis virtutibus, una cum eo extinctis, inquit doloris ple-
nus:

nus: (nam virum eum valde dilexerat, in familiaritatemque se eius insinuarat illo tempore, quod legati nomine urbem eam rexit.) Ego, quod mihi videor meo iure facere posse, nec enim malum me omnino esse existimatorem harum rerum arbitror; adfirmo hunc hominem omnibus, quos aliquando cognoui in philosophiæ studiis merito laudatos, qui sane non pauci fuere, præstitisse & scientia multarum rerum; & iudicii firmitate, ipsumque vere philosophi grauissimo nomine dignum fuisse iudico. Certe quum ego de aliqua re, propria eius studii, cum eo disserebam, videbar mihi præ illo minutus quidam philosophus esse, vel potius nouus quispiam auditor, & plane rudis eius artis, quam profiterer: quare ad ipsum sæpe me conferebam, ubi locus aliquis obscurior mihi negotium facesseret: in qua quæstione quum paulo antea ipse toto animo versatus essem, & aliquas etiam horas, euolutis pluribus voluminibus, præterita die consumpsissem: ille vero, ut existimari potest, spatio multorum annorum nullam cogitationem de se ipsa suscepisset, ita tamen apte & exquisite nodos illos dissoluebat, ut videretur diu multumque non multo antea de ea cogitasse: quare (inquit) sæpe ego pæne stupidus euasi, mihique potius cum cælesti aliqua natura, quam cum

mortali homine visus sum loqui, idque nunc, quia res ita se habet, verumque id prorsus est, prædico, nulla alia causa impulsus. quis enim non videt assentationi nunc locum non esse, quæ præterea à persona, quam sustineo longe semper abesse debet? Hæc asseueranter tunc ab illo prolata quum essent, auxerunt magnopere opinionem, quam, qui aderant, de præstanti Contareni ingenio antea in animis habebant. Sed etiam scripta, quanta fuerit eruditio ipsius, aperiunt: quæ sane, ut ordine à me tradantur, hæc sunt. Edidit iuuenis adhuc (xxx. enim tertium atatis annum tunc agebat) librum contra iudicium Petri Mantuani doctoris sui; nec tamen ea de causa minus pius, quamuis contra pietatem facere videretur, fuit: ille enim in omni sermone suo adfirmare solitus erat, ex opinione sententiaque Aristotelis existimari debere animos nostros esse mortales; quum contra ipse, sedulo aduersus eum disputans, citatis multis locis, & tamquam tabulis obsignatis, ostenderit longe aliter principem Peripateticorum de ea re sensisse; viderique potius immortalitat: donatos ipsos Aristotelem esse voluisse: cuius opinionis antea Plato, unde didicerat, sine ulla dubitatione fuerat. Argumenta autem illa firma ad probandum & grauia fuisse, opusque totum valde

de elaboratum, perspicitur; quia acutissimus ille physicus in libro, quo defendit opinionem illam suam; acriter oppugnatam ab eo, quem instruxerat, tradit eum librum & doctissimum omnium & uberrimum esse, qui omni tempore materiam illam persecuti sunt, additque videri prorsus eum diuina opera & manu fabricatum fuisse. Scripsit etiam de Elementis libros quinque, in quibus viam omnem, rationemque Aristotelis diligenter expressit: misit autem illos ad Matthęum Dandalum sororis suæ virum, cuius hic supra mentio cũ magnis verisq; ipsius laudibus facta est. Addidit his, in altiore philosophiæ parte, libros quattuor, quos dicauit Paulo Iustiniano, nobilissimo & clarissimo suo ciui, qui odio rerum humanarum, quum pertæsum elset varietatis ipsarum, ut facilius diuinas contemplaretur, deoque ipsi toto animo seruiret, in Etruscos montes cœtumque Camaldulensium se contulerat. Hi libri ei, qui attent legerit, nullo negotio patefacient, quæ fuerit vis animi ipsius, & quanta prudentia in rebus grauioribus tractandis. Sed idem etiam (vt melius adhuc intelligatur factum illum natura & studio fuisse ad personam eam sustinendam, quam ipsi multo postea sapientissimus Pontifex, multumque semper omni in re prouidens, imposuit) iuvenis

adhuc, vitamque colens liberam, ac nullis sacris astrictam, occasionem hanc eius rei nactus, quod familiaris ipsius Pontifex Bergomas destinatus fuerat, ipsum instituere cupiens, duos libros scripsit de officio eorum sacerdotum: finxitque ita atque informauit talem virum, quales si forent, quibus tantum hodie commissum est, non laboraremus: quis enim non fateatur pias in primis castasque fuisse cogitationes ipsius, totaque mente ac studio solitum esse in illis volutari optimum virum, postquam alium instruere & ornare in ea vita ausus est, quam ipse adhuc non attigerat, nec umquam cogitarat, præcepta illa sibi utilia aliquando futura? Præterea, quum orta quæstio esset in Senatu de Pontificis Max. potestate, diuinitusne illa stabilita foret, an humanis consilijs regeretur: quumque multum de ea re illic in utramque partem disputatum esset, domum reuersus, ut quid ipse de eo sentiret, ostenderet, omnique errore ciues suos liberaret, spatio unius noctis libellum confecit, qui nunc excusus in manibus versatur. Sed, ut ijsdem etiam in suo proprioque ipsorum munere prodesset, effigiemque eius reipublicæ, in qua natus erat, exprimeret, quinque libros confecit de magistratibus, reque publica Venetorum, qui itidem diuulgati sunt. Postquam vero in am-

amplissimorum antistitum collegium cooptatus est, perlectis diligenter synodis omnibus, quæ varijs temporibus ob emendandum statum Christianæ Reip. coactæ sunt, in breue quoddam corpus grauissimas quasque ipsarum collegit, seruato temporum ordine, materiaque omni, quam persecutæ sunt, demonstrata. Vtile vero mirifice potuit esse volumen illud ei synodo, de qua tunc summis contentionibus agebatur, quamque Paulus Tertius aduersarijs, reconciliandorum animorum gratia, proponebat, multumque opis adferre illis omnibus, qui in eo certamine versari deberent. misit autem opus hoc multarum vigiliarum ad eũ, cuius maxime intererat, quid de ea re fieret, & qui eo tempore tota mente in illam curam incumbebat. Absoluto autem illo, par huic opus, & quod eundem finem haberet, aggressus est: scripsit enim quattuor libros de ritibus ceremonijsque nostræ religionis persuasionisque Christianæ, quæ Sacramenta appellant, quibus libris complexus est materiam illam omnẽ, &, quæ radix visque ipsarum fuisset, declarauit: quidque demum pie credi, & custodiri de illis deberet, veris rationibus, argumentisque satis firmis comprobauit: nam ipsum, argumento hoc sumpto, si, quod pollicitus erat, præstare voluisset,

debuisse omnem quæstionem, de qua nunc tot tantæque lites & concertationes inter dissidentes partes Reip. existunt, explicare planum & exploratum est: quare sic quoque præclare instruxit & armauit illos, qui pro veritate comminus congressuri erant cum hominibus magno errore inflatis, & causam eam malam obstinate defendentibus. Vt autem libellum alium, admodum vtilem prauis opinionibus ex animis hominum euellendis, conficeret, occasionem hanc habuit. Factum est, quum ille Bononiam legati nomine obtineret, ut vir prudens, salutisque gregis illius, qui fidei ipsius potestatique commissus foret, ut pastorem bonum decet, valde studiosus, ad eum veniret, medicinam ab eo petens; rationemque accipere cupiens, quasi saluum ipsum incolumemque redderet, quum grauiter ægrotare non paruam partem ipsius cognosset: quam tamen totam rem ille ita tractari volebat, quum honestam nobilemque ciuitatem regeret, ut ne ignominia illa notaretur, & tamen remedium cito adhiberet, ne magis malum serperet. Consilium ipsius quum mirifice probasset Contarenus, multa animo reuoluens, ut erat summus & accuratus medicus huius pestilentis morbi, statuit demum ita rem esse agendam. Confecit tamquam institutionem quandam breuem,

Chri-

Christiani hominis: collegitque, quæ magis mordere animum debent, probra omnia: & ita, ut aperire ipsa oporteat cum dolore sacerdoti: illum autem commentiolum κατηχύσιν appellauit. qui sane nō uni illi ciuitati sanandæ factus uideretur, sed Christianis omnibus in officio retinēdis, & ab illa contagione liberandis: eum vero grauis ille vir ad suos comportauit, divulgatumque studio quodam & arte effecit, ut vulgo reciperetur, cunctique se viæ illi tenendæ, legibusque seruandis astringerent: statim enim probatus fuit omnibus, exceptis paucis illis, qui plane perditi ac desperati forent, posteaque & ipse formis excusus est. Quum autem, ut gesta tunc res est, temporique illi aptum fuit, nomen & ciuitatis & præfecti ipsius in sacris rebus curandis celauerim, illa postea patefacta, quum incommodi nihil amplius inde nasci possit, deberi puto personam etiam à me indicari. Moronus enim Mutinensium Episcopus is fuit, qui & ipse non multo post ob singularem prudentiam in rebus gerendis, præclarasque alias animi dotes, auctus dignitate est à Pontifice Maximo: cuius amplissimi sacerdotij insigne Bononiæ manibus suis legatus capiti ipsius imposuit. Illustrauit etiam scholijs quibusdam suis Contarenus multos obscuros locos in epistolis Diui Pauli, quum

ipsas accurate legeret; quo sane in studio toto animo occupatus erat, cum mors cũ oppressit. Sed etiam epistolas ipse non paucas conscripsit eruditas, & optimorũ præceptorum plenas: ut libellos etiam nõnullos alios, aliquam occasioaem illorum conficiendorum nactus: præcipue autem studijs amicorum, varijsque eorum temporibus seruiens, in quibus est quæstio diligenter explicata, perdifficilis sane, magnique semper momenti habita ad vitam bene beateque degendam; qua traditur liberam esse potestatem nostram, omnique nexu causarum ac necessitate solutam: veteres illi περὶ τοῦ ἐφ᾽ἡμῖν ipsam vocabant; & qui de fato disserunt, re huic contraria, necessario de ipsa disputationem suscipiunt: eum vero librum misit ad Victoriam Columnam, feminam lectissimam, & quæ ob eximium amorem erga virum mortuum, admirabilemque ingenij laudem in condendo carmine, maximo quoque honore digna est. Sed etiam, vt sorori suę, quæ se in castissimum cœtum mulierum Muranarum coniecerat, morem gereret, animumque ipsius suauissimo cibo aleret in ea solitudine, cui se dicauerat, interpretatus est duos Hebræorum illorum cantus Italico nostrę ętatis sermone; cum enim ille doctrina ingenioque suo prodesse quoque alienis studeret, non visus

sus sibi est posse suis ullo modo deesse. Quin etiam, eodem honesto desiderio incensus, ut utilitatibus fratrum suorum seruiret, qui crebro, mercaturis faciendis operam dantes, nauigabant, confecit libellum de æstu maris, &, quam causam reciproca illa fluctuum agitatio haberet, diligenter monstrauit: qui tamen liber amico ipsius commodatus, magno adhibito studio, recuperari numquam potuit. Sed ne omnia diligenter minutiora ipsius opera, quæ plurima sunt, enumerem, in quibus tamen appareret specimen illius doctrinæ ac iudicij, finem faciam; possum enim vere adfirmare, quodcumque temporis vacuum à negotijs nanciscebatur, in his rebus ipsum consumere solitum, omnesque vigilias suas eum consuesse temporibus amicorum necessariorumque suorum consecrare: neque enim ostentationis & gloriæ causa huiuscemodi scriptiones suscipiebat, in hisque se dies atque noctes macerabat, quamuis iustus inde honos, nec magnopere reprehendendus consequatur; sed, ut dixi, voluntati amicorum, commodisque indulgens, siue studijs suis memoriæque seruiens, à scribendo nunquam cessabat.

FINIS.



Dd 2

INDEX
NOTABILIVM
In Vita Io: Francisci Commendoni Cardinalis.

A

Anto-

C

D

E

F

Fede-

G

H

Ioan.

O

P

Phi-

R

S

T

V

Z

FINIS.

Noi Reformatori dello Studio di Padoua.

HAuendo veduto per fede del Padre Inquisitore nel Libro intitolato, Antonij Mariæ Gratiani de Vita Io: Francisci Commendoni Cardinalis, stampato in Parigi l'anno 1669, non v'esser cosa alcuna contro la S. Fede Catolica, e parimenti per attestato del Secretario nostro, niente contro Prencipi, e buoni costumi, concediamo licenza à Pietro Maria Frambotto di poterlo ristampare, osseruando gl' ordini &c.

Dat. lj 15. Nouembre 1684.

(Girolamo Ascanio Iustinian Ref.
(Ferigo Marcello Ref.



Gio: Battista Nicolosi Seg.

Ioan-

Ma-

N

Ostro-

O

P

Phi-

R

S

Tri-

T

V

Z

FINIS.

Noi Reformatori dello Studio di Padoua.

HAuendo veduto per fede del Padre Inquisitore nel Libro intitolato, Antonij Mariæ Gratiani de Vita Io: Francisci Commendoni Cardinalis, stampato in Parigi l'anno 1669, non v'esser cosa alcuna contro la S. Fede Catolica, e parimenti per attestato del Secretario nostro, niente contro Prencipi, e buoni costumi, concediamo licenza à Pietro Maria Frambotto di poterlo ristampare, osseruando gl' ordini &c.

Dat. lj 15. Nouembre 1684.

(Girolamo Ascanio Iustinian Ref.
(Ferigo Marcello Ref.



Gio: Battista Nicolosi Seg.

